JOANNIS LAURENTII LUCCHESINII LUCENSIS E SOC. JESU EDITIO...

Giovanni Lorenzo Lucchesini,
Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

37
46 E
20

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS LAURENTII LUCCHESINII

Lucenſis e Soc. Jesu

Sacræ Congregationis Rituum Conſultoris

Editio Decima

ADMIRABILIS VITÆ S. ROSÆ DE S. MARIA:

Et altera Voluminum inſcriptorum:

ORATORIA PARADOXA;

In quorum Primo Proluſiones Academicæ, in altero Panegyrici:

Ex aliis Tribus Carminum Voluminibus interea prodeunt iterum primi Quatuor Libri, in quibus

ENCYCLOPŒDIA, SATYRÆ, AC PANEGYRICI, VARIO VETERUM POETARUM STYLO,

Et aucta Præcepta Rhetoricæ numeris incluſa.

OPERUM TOMUS TERTIUS.

Pertinet ad Bibliothecam Conventus Aragitani —

ROMÆ, MDCCXVI.

Ex Typographia Georgii Plachi, apud S. Marcum.
SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

Epiſtola, qua Editio Nona
VITÆ S. ROSÆ
Conſecrata fuit Anno 1696.

Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo

PRINCIPI

JOANNI FRANCISCO
CARDINALI ALBANO,
NUNC

Sanctiſſimo Domino Noſtro

CLEMENTI XI.
PONTIFICI MAXIMO.

QUIA difficillima lege adjecta, ne Tuas videlicet in laudes effundar, meam bujuſce Conſecrationis audaciam, Princeps Eminentiſſime, coërcuiſti, novum excogito nuncupatoriæ morem Epiſtolæ, nihil aliud ſeriò præſtare adortus, niſi ut a me tria illa, ob quæ culpari poſſem, amoliar. Hoc, in-

Digitized by Google

quam, unum ſeriò conficiam; nam ſi quidpiam ex innumeris Tuis Dotibus, in quibus alioquin exultans æſtuaret oratio, delibare obiter coget neceſſaria meæ cauſæ defenſio, mihi verti crimini nequaquam poterit abſque inſigni rigore, a quo longiſſimè abeſt Clementia Tua. Perſtringi primò poſſum eò quòd meum huic Opuſculo nomen præfigam, quod toties in theatrum non prænotato Scriptore prodivit: perinde ac ſi e ſipario tandem aliquando proſiliam, paucas ut pagellas eximio queam Heroi conſecrare. Alterum, in me a plurimis improbandum, eſt, quod omnigenâ Sapientiâ ornatiſſimo Eccleſiæ Senatori Hiſtoricam ſolummodo unius Narrationem Vitæ ſeligam dedicandam. Tertium, quod ipſius quoque Narrationis tenue tantùm, minimumque Compendium Magno Principi exhibeam. Sed cum iterum hæc Epitome Typis nunc ſubjiciatur, quia nulla ejus Exempla, jamdiu a multis quæſita, ſupererant, integrum ampliùs mihi non eſt deliteſcere poſt editam rurſus Anno 1676. a Nathanaele Sotuello Scriptorum noſtri Ordinis Bibliothecam, in qua Compendium hoc cum cæteris a me ſcriptis eò uſque Libris recenſeri voluit celeberrimus Theologus Martinus de Eſparza, quo urgente illud ex publicis Actis, quæ Proceſſus dicunt, in lucem eduxeram, cum agebatur de Beatæ Appellatione Roſæ verè Admirabili tribuenda. Quemadmodum verò etiam poſt illam inter Sanctas relatam excuſum prælo deinde ſæpius fuit nunquam appoſito Auctoris nomine, licet non defuerit Nuncupator: ita perpetuò latuiſſem, niſi aliena me in ſcenam humanitas rapuiſſet. Cum igitur nunc primùm poſt vulgatum Indicem illum hæc publici Juris Vita iterum fiat, Præſidium eidem a me, ac Decus quærendum fuit. Hoc autem a Te, Princeps Eminentiſſime, flagitare auſus, alterum diluo, cujus gratiâ fortaſſe traducar. Siccine, inquient aliqui, Sapientiſſimo Principi, in quo Doctrinarum omnium concentus omnes admiratione ſuſpendit: qui Græcæ, Latinæ, noſtræque Linguæ facundiâ elegantiſſimâ Triſmegiſtus: qui Philoſophiæ, Theologiæ, tum quæ Naturam Divinam contemplatur, tum quæ pugnat in hoſtes Fidei, Cæſareique, ac Pontificii Juris fontes exhauſit omnes: Hiſtorica interim ſolummodo unius inſcribitur Vitæ narratio? Ita planè, cum aliquod certè Vectigal ſolvendum illi ſit, cui me, ac Sanguine, vel Religioſâ Familiâ conjunctos mihi innumeris eſſe nominibus devinctiſſimos noverunt, quotquot me degere non ignorant inter mortales: & ab aliis altioris argumenti, quæ affecta mihi ſunt, dicandis voluminibus procul me idem ſubmoveat Ingenii faſcibus, adeoque ingens occurrat, ut laceſſere verear eorumdem conſecratione Judicium præſtantiſſimi Ingenii, licet mira humanitate præditum meas erga Literarias nugas fuerim ſemper expertus; plurimùm enim intereſt, ut Senior inquit Plinius, ſortiatur aliquis Judicem, an eligat. Libenter iiſdem, quibus ille Profanum

Ti-

Titum, Sacrum alloquor verbis, priſcum beneficentiſſima propenſione animi antegreſſum, & in quo ſunt verius, quàm in veteri Tito, omnium amorem allicientes generis humani Deliciæ. Quamvis cum reformidem offerre ſi quid ex aliarum diſciplinarum fœtura natum apud me ſit, hac quoque Opella non niſi religioſè, Princeps Eminentiſſime, adiris, qui penè Puer miro candore a Te Latii Linguâ donatos Græcos Patres Typorum beneficio eruditorum oculis ſubjeciſti: ut de cætera Oratoria Tua, & olim Poetica, Latina, Græcaque Elegantia, deque, in Regia dictis Academia, Regali profectò Verborum, Sententiarumque ſplendore contextis Etruſcis Diſſertationibus, deque Pontificiis Conſtitutionibus, ac Literis uberrimâ lectiſſimorum Divinis ex Oraculis florum copiâ fulgentibus, conticeſcam. Sed cum aliquid (ut in hoc hæream) omnino Tibi dicandum ſit, ad hoc eligendum qualecumque Compendium plures me Cauſæ impulerunt, quas innuens refellam id, quod tertium in me torqueri poſſe comperio. Vtcumque tenuiſſimam hanc eſſe Scriptionem ultro profitear, Regium tamen illa, eundemque Cæleſtem exhibet Florem multiplici Tibi nomine reſpondentem: ſicut enim in hortis Roſa, ita Ipſe in animis regnas, & perinde ac Roſa ſpecie pulcherrima exhilarat, odore ſuaviſſimo reficit, adeoque munifica eſt, ut quatuor ſupra triginta Hiſtoricus Naturæ morbos recenſeat, quibus medelam affert: ita blando fulgure riſus temperas oris majeſtatem, latèque diffuſo Virtutum odore omnium animos rapis, & beneficentiſſima Indole adeo Clientibus metum expungis, ut qualibuſcumque tabeſcentia infortuniis pectora Te mirabilem quotidie ſuæ ſalutis Æſculapium requirant, & experiantur. Verùm multò magis a Cæleſti hac noſtra, quàm ab Hortenſi Roſa Tuæ pinguntur, Dotes, quemadmodum enim in illa prodigioſa quædam enituit Virtutum omnium complexio: ita præcellens quoddam laudum omnium fœdus in Te ſuſpicimus, cui univerſa Superi Dona contulerunt, nobiliſſimi Generis Claritatem, perpetuam a primis annis Vitæ Innocentiam (quam ſimul cum ſenili etiamtum Prudentia, incomparabilique Ingenio in Gregoriano Athenæo licuit mihi præ cæteris admirari, haud dubiè, ac frequentiſſimè ominato ad hoc Te faſtigium evehendum) ſemperque adultam Religionem, Conſilii vim incredibilem, eamque vaſtæ Capacitatem Mentis, quæ, inſtar Cæleſtium Orbium, continuo curarum motu fauſtitatem mortalibus elaborante refici videatur. Ad Roſam, uti recentem Cæleſtis Viridarij Florem, & ſumma, quas a Divino exorat Sponſo, Gratiarum ubertate vernantem omnes anhelant. Neque verò Te nunc ſolummodo ambiunt omnes, ſed etiam cum Cauſas in primo ad Sacram Rempublicam acceſſu referebas, certabant univerſi Tuo ſuas ore proferri: ad Te omnes Diſceptatorem, ad Te Arbitrum unanimes confluebant, licet inter ſe alioqui diſſidentes; certiſſimi

enim perpetuò fuerunt, ac porrò ſunt omnes de ſublimi Tua Integritate, Sapientia, ingenuoque Candore. Vnum ſolummodo eſt, in quo Te abſimilem Roſæ cupiamus omnes, ne videlicet Te quoque (ſicut illam ſuæ ſemper ſpinæ ſauciabant) abſque ulla remiſſione animi ſemper vulnerent pro Republica ſolicitudines, quas ut identidem relaxes, obſequentiſſimè flagitamus, ac, niſi Tibi, eidem parcas Publicæ rei, cui nimium neceſſe eſt Te diutiſſimè Eccleſiæ Divinæ fælicitati excubare. Inque hoc Voto, Excuſatione abſoluta, conquieſcat Epiſtola, Tecum eloquuta de iis, quorum Proluſione ad Lectores fuiſſet meæ cauſæ conſulendum, ut pateat, ad quantam me fiduciam erigat Eminentiſſimus Princeps, cui nullum addidit Regalis Purpura ſupercilium. Hoc autem cum Tibi ne in ipſis quidem Literis ullum ſit, veluti Sapientiſſimis eſſe nequaquam ſolet, ſpondeo nunc obſequentiſſimas alias (retexo enim id, quod huc uſque ratiocinando confeci) humaniſſimo Mecænati meo nuncupationes; perinde ac auſus fui alia Volumina Summis Mortalium conſecrare: utque hanc interim arrham Tuo, ideſt ſemper ſereno, Vultu digneris excipere oratum Te etiam atque etiam velim.

MI-

Digitized by Google

MICHAEL ANGELUS
TAMBURINUS
Præpoſitus Generalis Societatis JESU.

CUM Librum, cui Titulus: *Compendium Admirabilis Vitæ S. Roſæ de S. Maria*: a P. Joanne Laurentio Lucchesſinio Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut Typis iterum mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur: cujus rei gratiâ has Literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ die 17. Auguſti 1715.

Michael Angelus Tamburinus.

Reimprimatur,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

N. Caracciolus Archiepiſcopus Capuæ Viceſg.

Reimprimatur,

Fr. Gregorius Selleri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter Ordinis Prædicatorum.

AU-

Digitized by Google

AUTHOR LECTORI.

Ggreſſus compendio includere admirabilem Vitam Sanctiſſimæ Virginis Roſæ a Sancta Maria e Sacris a me Actis erutam, & ab ejus præterea tot Authoribus eleganter deſcriptam, elaboratum e pretioſiſſimo lapide ſimulacrum, & ad unguem Roſæ moribus reſpondens, ita decore omni, & nativa pulchritudine ſpoliavi, ut ſcribendum in illius baſi propemodum ſit, quod Æliano teſte priſci ſolebant Pictores: Hæc ſtatua Roſam refert. Auro Peruviæ ſuæ, immo & ſyderum auro centum exarata volumina vix cæleſtes Roſæ mores complecti pro dignitate poſſent. Quid ergo verborum anguſtiis includam monumenta Roſæ, quæ ſatius eſſet fuſioribus voluminibus poſteritati commendare? Conſulendum tamen eſt curis mortalium, quorum plerique innumeris implicantur: & breves, ideoque velociores alæ huic Operi ſunt aptandæ, quod ultra fines Herculeos ad fines uſque deficientis naturæ ab argumenti dignitate proferetur. Sua igitur hanc Epitomen brevitas Lectori commendat: Commendant prodigioſæ, quas commemorat, Roſæ virtutes, eo nomine gratiores, quòd inter barbaras ſpinas adultæ: quemadmodum oculos, & manum legentis alliciunt prognati in ſcopulis flores, invidia naturæ fruſtra repugnantis obſtetricante, toto elemento lactati, & recreati furiis Boreæ ferocientis. Si peregrinæ merces, inviſæ belluæ, nec aſſuetæ metiri Europæ Cælum aves omnium ſtudia rapiunt virtute magnetica: ſi viſus olim Romæ Phœnix præſtolántia reditum æterni alitis Quiritum lumina Cælo affixit, quàm blando cognoſcendi ſtudio ſapientum corda pertentabit peregrinus hic flos, quo in uno tantus infertur Cælo theſaurus, ut immenſam jacturam compenſet ob innumeros ſpinarum faſces ex illis quondam Inferorum coloniis in tartara devolutos: & qui omnium primus ex recentis incolis Mundi provocavit ſummos honores? Quæ demum cumque, dum Indica ſit, virtus curam Lectoris exacuit. Quid ſumma? Quid inaudita prorſus, & huic ſolùm Sponſæ conceſſa munera Divinitatis? Niſi unam fortè Senenſem Catharinam excipias, quam adeo Roſa moribus ſuis expreſſit, ut ſi fuiſſent in Indiis Pythagoræ aſſeclæ, juraſſent, ad animanda iterum Roſæ membra veniſſe reducem Catharinam. Hoc denique Italos ad legendum ultro compellit, quibus ad exteræ gratiam novitatis accedit in Roſa domeſticæ quodammodo virtutis amor ob Catharinæ conſortium.

LECTO-

Digitized by Google

LECTORI TYPOGRAPHUS.

PAucis ego quoque præfabor, candide Lector. Licet, quem iterum excudimus, aureus hic libellus nomen præ ſe Compendii ferat, nihil tamen in illo deſideratur, quod ſit in magnis Voluminibus idem argumentum amplexis. Non modò geſta, ſed dicta recenſet propemodum omnia Sanctiſſimæ Virginis Roſæ; adeo ipſius Author

Semper ad eventum feſtinat, & in medias res,
Non ſecus ac notas, Auditorem rapit:

Quam laudem Venuſinus Lyriſtes tribuit Smyrnæo, Mantuano potius Homero tribuendam. Cæterùm Quarta quidem hæc eſt Romana hujus Opuſculi Editio, ſed Decima, ſi præterea enumerentur illæ, quibus alibi in Italia, Germania, & Polonia lucem rurſus aſpexit: ut interim prætermittantur plurimæ, quibus impreſſum eſt Gallicè, Hiſpanicè, Polonicè, & Indicè; omnes enim ferme linguæ ſui juris illud efficere voluerunt. Tinaſſii autem tantummodo typis ſex mille Latina ejus exempla prodiverunt: cumque in præſentia nulla apud Bibliopolas proſtent venalia, exprimendum iterum formis fuit, ut plurimorum votis fieret ſatis. Vale, & conatibus noſtris fave.

INDEX CAPITUM
VITÆ S. ROSÆ.

CAP.I. *ROSÆ Natales, Indoles, Educatio, votumque Virginitatis.* pag. 1.
CAP.II. *Roſæ erga parentes mira obedientia, pietas, ſolicitudo.* 2.
CAP.III. *Roſa, ut ſequatur veſtigia Sanctæ Catharinæ Senenſis, Tertio Sancti Dominici Ordini aſcribitur.* ibid.
CAP.IV. *Roſæ mira animi ſubmiſſio; virgineus candor, benignitas, aliæque virtutes.* 3.
CAP.V. *Roſæ mira inedia, prodigioſa jejunia: Eadem tenerum corpus ciliciis, flagris, catenis domat.* 4.
CAP.VI. *Roſæ capiti aculeatam coronam infigit: ejuſdem lectulus, cervical, nocturnæ vigiliæ.* 6.
CAP.VII. *Roſæ domeſtica ſolitudo, fuga publici, cellula perangusta.* 7.
CAP.VIII. *Roſæ cum Chriſto mira deſponſatio, Pronuba Auguſtiſſima Imperatrice Angelorum.* 8.
CAP.IX. *Roſæ perpetuum orandi Numinis ſtudium.* 9.
CAP.X. *Roſa funeſtis viſis exercetur, ac horrendas alterius vitæ pœnas deguſtat. Doctorum examen ſubit, & ab illis mirum in modum probatur.* 10.
CAP.XI. *Roſa cum Chriſto, Deipara, Sancta Catharina Senenſi familiariter, jucundè, aſſiduè ſermocinatur: domeſtica Tutelaris Angeli conſuetudine fruitur: validè luctatur cum Dæmone, ſemper victrix.* 12.
CAP.XII. *Roſæ vexationibus, morbis, ærumnis preſſæ prodigioſa tolerantia.* 14.
CAP.XIII. *Roſæ ardentiſſimus erga Sponſum amor variis indiciis manifeſtus. Impetratum ab illa miraculum ſudantis imaginis, ut Chriſtum omnibus amandum perſuadeat.* ibid.
CAP.XIV. *Roſæ cum imagine Deiparæ familiare conſortium, in divinæ Crucis ſignum religio: Mutui honores, quibus illa, & Sancta Catharina Senenſis ſe proſequuntur.* 16.
CAP.XV. *Roſæ fervidus amor, & cultus in divinam Eucharistiam, pro qua ad Martyrium ſe accingit.* 17.
CAP.XVI. *Roſæ eximium pro periclitantium animarum ſalute ſtudium, & ardor conſulendi*

lendi

lendi corporali ſaluti proximorum ſupra modulum facultatum. 18.

CAP.XVII. *Roſæ magna in Deo fiducia crebrò in ſuis, ſuorumque neceſſitatibus prodigioſum Cæli præſidium experitur.* 19.

CAP.XVIII. *Roſa divinitus cognoſcit ædificandum in Urbe Limana Sanctæ Catharinæ Senenſis Cænobium. Eidem alia complura arcana Deo revelante patefiunt.* 20.

CAP.XIX. *Roſa mortis ſuæ præſcia cum ultima ægrotatione generosè luctatur, & ſanctiſſimè moritur,* 21.

CAP.XX. *Roſæ funebris pompa, ac tumulus: ejuſdem ſepulcrum Ordinarii authoritate muratum ſolenni Corporis translatione, & ingens Fama Sanctitatis. Eadem in Sanctos a Clemente Decimo Pont. O.M. deſcribitur.* 23.

CAP.XXI. *Roſa poſt mortem & ſæpiſſimè, & multis apparet glorioſa. Eadem in ſceleſtorum converſionibus, & obſtinatione cordium emollienda mirabilis.* 25.

CAP.ULT. *Roſæ defunctæ attactu, aut invocatione, mors, morbi, pericula depelluntur. Ejuſdem cingulum, veſtes, ſepulcro exemptus pulvis, & pictæ imagines phreneſim, cancrum, lepram, & omne morborum genus mirabiliter curant.* 27.

INDEX PROLVSIONVM,

In quibus Paradoxa continentur.

I. *Ciceronem Scriptoribus omnibus acutè dictorum copiâ præſtitiſſe.* pag. 39.

II. *Ciceronem Oratorum omnium breviſſimum eſſe.* 51.

III. *Ut optimè ſtatuatur Heroici Carminis Idea, recedendum in aliquibus rebus eſſe ab imitatione Virgilii Poetarum Principis.* 58.

IV. *Satyram egregiè commendare, & Laudationi antecellere in genere exornativo.* 64.

V. *A Satyra magis, quàm a Panegyrico, res exornari.* 70.

VI. *Brevem, ſi prudenter impendatur, hominum ætatem non eſſe ad Sapientiam comparandam.* 76.

VII. *Gloria, Jucunditate, ac Honeſtate, Sapientiam Dominationi præſtare.* 81.

VIII. *Ditiores, ac Potentiores Regibus eſſe Sapientes Viros.* 88.

IX. *Philoſophandum eſſe poeticè, ut verè, ac optimè, philoſophemur.* 91.

X. *Pluribus curis urgeri docentem ſemel tantùm quotidie Rhetorices Inſtitutorem, quàm Philoſophiæ, cui Vacatio quotidiana non indulgetur.* 97.

XI. *Encyclopædiam neceſſariam eſſe, nec excellere quemquam Oratoria poſſe, vel Poetica facultate, qui fontes non exhauſerit omnes Humanæ ſimul, ac Divinæ Scientiæ: neque numeris omnibus abſolutum eſſe Philoſophum, aut Theologum, qui Arte quoque dicendi non emineat.* 103.

XII. *Ad Ciceronem Demoſtheni anteferendum ipſi Græci adiguntur.* 109.

XIII. *Ab Argumentis, quibus Morum Philoſophiam impetunt Sapientiſſimi Viri, ejus gloriam plurimùm augeri.* 112.

XIV. *Heroicam Fortitudinem in ipſis quoque Terræmotibus fulgere poſſe.* 119.

XV. *Nullam Improbis ineſſe Prudentiam, & ne ipſam quidem Aſtutiam concedendam eſſe Nicolao Macchiavello.* 125.

XVI. *Artem Grammaticam ob eadem nomina, propter quæ deprimi ſolet, extollendam laudibus eſſe.* 129.

XVII. *In Divinarum Explicatione Literarum Paradoxa proponi poſſe: atque hoc præſtandum ab Interpretantibus Iſaiæ Prædictiones.* 134.

INDEX

Digitized by Google

INDEX PANEGYRICORUM,

In quibus Paradoxa continentur.

I. *INſaniens hominum Prudentia extinEti Numinis rea. Sive de Chriſti Domini Cruciatibus.* pag. 143.

II. *Suum ipſis quoque Cælitibus eſſe Sanctiorem Annum.* 145.

III. *Eximiæ D. Joannis Dotes erutæ ex eo, quod cæteri Apoſtoli putaverint illum non moriturum.* 146.

IV. *Ex eo, quod omnium primus pro Chriſto Domino S. Stephanus Mortem obiverit, eumdem omnibus Fidei Teſtibus anteferendum eſſe.* 148.

V. *Perhonorifica Criminatio, ſive Magni Athanaſii laudes erutæ a congeſtis in eumdem calumniis.* 149.

VI. *Divus Athanaſius Exemplar, Auſpex, & Cauſa referendi de Turcis Triumphi.* 150.

VII. *Heroica Divi Athanaſii Magni Acta Chriſtianorum de Turcis Triumphos augurantur.* 152.

VIII. *Manifeſta Divi Athanaſii Maximi ſupra reliquos Eccleſiæ Divinæ Doctores Dotes.* 153.

IX. *D. Gregorium Nazianzenum perpetui Latinos inter, & Græcos fœderis Conciliatorem eſſe.* 155.

X. *Multiplici de cauſa S. Gregorium Theologum in Vaticano Templo tumulari voluiſſe.* 156.

XI. *Innumera in uno Gregorio Theologo collata dona Vaticanæ Baſilicę gratulamur.* 158.

XII. *Cæleſtis Amicitiæ Prodigium, Gregorius Theologus, & Baſilius Magnus.* 159.

XIII. *Divus Gregorius Nazianzenus Conſtantinopolis Antiſtes præcipuus recuperandæ illius Urbis Chriſtianis Principibus futurus eſt Auctor.* 160.

Ea, quæ prope Orationis finem indicantur de Alumnis Græcorum in Urbe Collegii, probantur. 162.

XIV. *Plurimis de Cauſis Agnomen Magni præ cæteris omnibus Profanis, & Sacris Heroibus Divo Baſilio tribuendum fuiſſe.* ibid.

XV. *Amantiſſimam fuiſſe Beati Aloyſii Gonzagæ ab Amore Divino Fugam, & cæteris ejus dotibus anteferendam.* 163.

XVI. *Brevem Vitæ uſuram indultam Beato Aloyſio Argumentum eſſe maximæ illius Sanctitatis.* 165.

XVII. *Beatus Aloyſius Gonzaga, quia Ticinum pluviis intumeſcentem incolumis tranſivit, eximia Sanctitate præſtans.* 166.

XVIII. *Bellicâ gloriâ præ cæteris omnibus Gonzagis Heroibus Beatum Aloyſium inclaruiſſe.* 168.

XIX. *Inſtauratorem Mundi potuiſſe cenſeri Gregorium XIII. Pontificem Maximum.* 169.

XX. *Heroicam Magnanimitatem humillima Objurgatione dignum fuiſſe in Clemente X. Pontifice Maximo Sacrum Imperium recuſante.* 178.

XXI. *Heroicorum Pontificum Dotes Rediviva in Sanctiſſimo Domino Clemente X.* 183.

XXII. *Regiminis præclari Securitas in Alexandro VIII. Pontifice Maximo ex actis ante Regnum, & primis Imperii diebus.* 189.

XXIII. *Pugnantium cum ſingularum Victoria Virtutum Triumphum fulſiſſe in Cæſare Cardinali Raſpono.* 200.

XXIV. *Joannem Willelmum Ignatium Neoburgi, Juliæ, Cliviæ, Montium Principem &c. nunc Sereniſſimum Comitem Palatinum Rheni, celebrari non poſſe.* 204.

Multiplex nexus inter eximias Virtutes Innocentii XII. Pontificis Maximi, & Polemicam Hiſtoriam Pontificiam Concilii Chalcedonenſis illi conſecratam. 208.

Cauſæ, propter quas Sanctiſſimi Pontificis Innocentii XII. Dotes exigunt Nuncupationem Tractatuum de Præſtantia, & Infallibilitate Pontificia. 210.

Eximio Rhetori, ac Theologo Sfortiæ Cardinali Pallavicino præcipuè dedicandum Volumen pertractans de Juriſprudentia, ab Angelo Bernabò. 212.

Concentus Virtutum Eminentiſſimi Principis Card. Camilli Maximi cum Tragœdia P. Stephani Tuccii, quæ inſcribitur: Chriſtus Judex. 214.

Eas tantùm Maximi Viri P. Joannis Pauli Olivæ Præpoſiti Gen. Soc. Jeſu, & Pontificii Concionatoris Dotes attingam, quæ nexum habent cum Epiſtolis P. Bernardini Stephonii eidem conſecratis. 216.

CAPUT

Digitized by Google

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

Roſæ Natales, Indoles, Educatio, votumque Virginitatis.

ROSA a S.Maria, Flos delibatus terrarum Orbis nuper inventi, Patriam habuit Limam Regiam Peruviæ Urbem: Parentes Gaſparem de Floribus, Mariam ab Oliva, ſtirpe, non item opibus nobiles. Illam mater anno Virginei partus 1586. die Aprilis vigeſima enixa eſt fœliciſſimo partu, ſolita cæteroqui in aliorum puerperiis mirè torqueri: & prodivit infans ſecundis pelliculis involuta, veluti naſcuntur Roſæ. Iſabellæ nomen inditum illi fuit ab avia materna Iſabella de Herrera. Sed cum a matre, aliiſque viſa fuerit repanda roſa inſidere vultum trimeſtris parvulæ in cunis quieſcentis, hoc aliud nomen a prodigio traxit: & Beatiſſima Virgo Myſtica Roſa juſſit illam annis adultam a S.Maria cognominari; adeoque prima forſan hæc fuit, quæ non ſolùm divinitus nomen, ut alii, ſed & cognomen acceperit. Eadem infanti Roſæ, quæ D.Catharinæ Senenſi, indoles quieta, ſuavis, lepida: nunquam ſtridulis vagitibus turbavit ædes, ploravit nunquam, niſi cum ſemel in alienam domum illata ejulatu popoſcit maternas latebras jam tum ſibi gratiſſimas. Prodigioſum ſpecimen heroicæ tolerantiæ trimula exhibuit; namque dextero pollice ab arca, dum properè clauditur, fortè correpto dolorem egregiè diſſimulavit, & manum abſcondit matri eò properanti. Hilaris deinde ſenſit acribus remediis totum ferè unguem abſumi, & reſiduum lenta, ac violenta forcipe radicitus avelli: attonito ad hæc Joanne Perez Chirurgo, qui tantillam Virginem gemere, aut expalleſcere nunquam vidit tempore acerbiſſimæ curationis. Et præciſa novaculâ vitiata pars auris, & caput, ob adhibitam improſperè ab imperita matre noxiam medelam, bullis turgidum, ac foſſulis profundè ulceratum, a quadrimula Roſa gemitum nullum, aut moleſtiæ notam expreſſit; cum tamen acerrimus dolor totum corpuſculum identidem improviſa agitatione concuteret, & ſolidam noctem ſub efferi cruciatus ardore voraci tranſegiſſet. Duos ſupra quadraginta dies, ut novam cutem induceret Chirurgus Virginem lancinavit: ac deinde ſexenni ex intima nare phaſeolum tertio tractu demum exemit; obdurante in his tormentis Roſâ mirâ conſtantiâ. Hæc rudimenta ſpinarum noſtrum florem excoluere, ut gratiſſimum Sponſo in ipſa infantia odorem exhiberet ſuaviſſimæ charitatis. Fortè puer virgunculæ frater inter ludendum luto illius comam imbuerat, quod cum Roſæ, non contemptum, at ſordes averſatæ, accidiſſet ingratum: Scito, inquit frater concionatoris in morem, cultos puellarum cincinnos infernos rudentes eſſe, quibus illaqueantur incautæ animæ, ut in æterna ſupplicia detrahantur. Hæc verba Roſæ animum altiùs penetrarunt, & ad altiſſimam Dei notitiam vaſtiſſimæ illius menti aditum aperuerunt. Pulchritudine virtutis mirificè capta ſtatim eſt. Statim exarſit in illa mira ſitis orandi, adeo ut nec dormiens ceſſaret a frequentibus precibus, quibus perpetim invigilabat: Et jam tum rapi ſe apertiſſimè animadvertit ad premenda heroica veſtigia Sanctæ Catharinæ Senenſis, qua duce quinquennis Roſa lilium Virginitatis Deo conſecravit ſponſione ſolenni: & mox capillos inſcia matre ſibi abſcidit ad vivam uſq; cutem. Divinus hic ardor puellam invaſit ſub ipſum uſus rationis diluculum, ut affirmant illius animæ moderatores, qui omnes teſtati deinde ſunt, nunquam illam a recto tramite gravioris admiſſione criminis aberraſſe. Ex eo jam tempore cæleſtem, quam exequemur, vitam aggreſſa eſt: nec illi quidquam ſe unquam objecit, quod eam a concepta religione, officioque deduceret.

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

Roſæ erga parentes mira obedientia, pietas, ſolicitudo.

QUod à parentum æquis imperiis ne latum quidem unguem deflexerit Roſa, ſit ordinariæ virtutis; erit tamen prodigioſæ, quod fuerit divini, humanique obſequii retinentiſſima, cum pugnantia inter ſe Deus, ac genitrix imperarent. Hæc filiam vexabat in dies, ut nativam oris pulchritudinem fuco magis intenderet; at illam alto muliebris mundi contemptu inſultare ſeculi genio docebat Deus. Capiti aliquando circundare compulſa ſertum vario florum genere contextum, illi ab ima parte ſuffixit oblongam acum, adeoque corollam capiti validè impreſſit, ut aliena manu contentis viribus fuerit extrahenda. Chirothecas, quæ delicati candoris elegantiam augerent, induit jubente matre; ſed primò diriguit, amburi dein manus experta, flammas etiam ex odoratis pellibus emicare vidit, totum noĉte intempeſta cubiculum illuminantes. Ne ad nobilium fœminarum domos deduceretur, clam Indico pipere, quod mordaciſſimum eſt, ſupercilia, & palpebras ſibi obliniebat, ut arderent oculi, ruberent, ſtillarent, idcirco impares publicæ luci ferendæ, potiorem ducens oculorum pupillâ ſolitudinem, quam tanto pretio emptam genitrix illi tandem indulſit, ſicut & rudem ac decolorem ſaccum ex obvia, vilique materia, quam pro amiĉtu induit mirum in modum exultans. Vel ergo matrem infimis precibus exorabat, ut ſibi liceret cruentis Divini Sponſi veſtigiis inſiſtere: vel mitia imperia ingenioſè eludebat: veluti cum juſſa, non lignis, at lanâ farcire cervical, lanæ vim tantam operosè ſtipavit, ut ligno caput videretur inniti. Quid, quod non matri ſolùm, ſine cujus venia nec bibebat, nec muliebres labores aggrediebatur, ſed & domeſtico mancipio alacris obtemperabat, præcipuè verò cum ardua imperabantur. Cum mater non raro ſubirata veniam libandæ aquæ Roſæ denegaret, inſcia, filiam nunquam bibere, niſi ipſa annuiſſet, in ſex & plures dies Virgo fraudabat ſitim. Hiſpidas aliquando pelliculas, quæ vim frigoris propulſarent, Roſæ manibus ex morbo contraĉtis incauta mater admovit, addito imperio, ne illas abiiceret. Toleravit obſtinato ſilentio Roſa plurimos dies mordacem pellium ardorem, quo accenſæ manus turgidis undique tuberculis ulceratæ ſunt. Quin & poſt mortem a religioſi Cœnobii Præſide juſſa Roſæ imago argentum diu multùmque fruſtra quæſitum menſæ ſuperimponere, impoſuit illico, animante mortuos colores obtemperandi ſtudio. Quæ verò cætera illius in parentes obſervantia, pietas, amor? Exhauſta viribus ad mediam uſque noĉtem laborem protrahebat, ut illorum egeſtati conſuleret: & licet duodecim quotidie horas divinis alloquiis conſecraret, tot muliebria penſa quotidie conficiebat, quot alia quævis celerrima vix quatriduo; eaque tantâ elegantiâ, & curâ, ut humanam artem ſuperare viderentur; quanvis non raro, dum flores acu pingeret, animo a ſenſibus avocato divina intueretur. Ad hæc alebat in horto violas, ex quibus venum expoſitis aliquod lucrum parentibus accederet: & Sponſum cæleſtem aliunde miris, & arcanis modis ſupplere ſolitum candidè confeſſa eſt religioſo viro. At ſi fortè parentes ægroti decumberent, leĉto aſſidebat inſomnis, parabat pharmaca, peragebat omnia operoſiſſima Virgo, ut ſolatium illis afferret. Hic præterire non debeo prodigioſam lætitiam, quam ipſa moriens dolenti matri, ac ſecum exanimandæ impetravit, tanta enim cæleſtis dulcedinis ubertas maternum peĉtus inundavit, ut jurejurando faſſa ſit, imparem ſe gaudio inſolito perferendo plurimos dies jucundiſſimè laboraſſe, & hoc argumento manifeſtè aſſequutam, quantopere fluminis impetus exhilarans civitatem Dei Roſam ſuam recrearet.

CAPUT TERTIUM.

Roſa, ut ſequatur veſtigia S. Catharinæ Senenſis, Tertio Sanĉti Dominici Ordini aſcribitur.

QUi Sanĉtiſſimam Virginem Catharinam Senenſem cum Roſa noſtra componat, incertus animi ſit, Indicumne hunc florem, an ex Italia translatum in Peruviam dicat, uſque adeo Roſa ſuſceptum a Catharina inſtitutum vitæ, mores integerrimos, benevolentiſſimi Numinis dona, & ipſa tandem lineamenta vultus expreſſit. Connubii, cui nobili, & honeſtiſſimo deſtinabatur, ſpem amputare viſa eſt ſimul cum ſuis capillis. Sed egregia formæ venuſtas, acre judicium, ſuavitas ereĉtæ indolis, elegantiſſimi mores ſanĉto Virginis conſilio adverſabantur. Roſeum illa candorem jejuniis deterere; nativam pulcherrimi vultus gratiam omni arte abolere: manus, quarum candor, & pulchritudo commendabatur, viva calce amburere: ne hominum placeret obtu-

Digitized by Google

obtutibus, domi latere: adeo ut aliquando Cantam deducta, locum metalli fodinis nobilem, quadriennio nunquam pedem extra limen extulerit, ne ſemel quidem videre dignata vicinum deliciarum hortum, aut percelebre ſpectaculum molium Indicarum. Plures nihilominus invita accendit ambitu honeſtiſſimi thalami: ac præcipuè matrona genere, & opibus clara, illam unico filio ſuo ſponſam optabat: & gratiſſimum hoc erat Roſæ parentibus, ac fratribus, qui urbanæ munditiæ, ac elegantiæ apprimè deditam illam volebant: & nuptiarum nomine exanimatam, probris, conviciis, alapis, calcibus impetebant, veluti Lapa mater S.Catharinam, cujus inſtar Roſa injuriis omnibus æquiſſimo animo devoratis, in S.Dominici viridarium tandem inſita fuit, aſcripta Tertiæ Sanctiſſimi Patris familiæ. Licet illam invitaſſent Cœnobia nobiliſſima: optaſſet S.Archiepiſcopus Turibius, ab illa præcipuè ſacræ domus, quæ tunc ſurgebat, fundamenta poni, Roſa ſtudioſa ſequi Seraphicæ magiſtræ ſuæ Catharinæ Senenſis exemplar, quam quinquennis elegerat, vitæ inſtituto, moribus, habitu repræſentandam; ne tamen ſuo conſilio nimium tribuere, parum ſapientum virorum arbitrio videretur, in viam ſe aliquando dederat Sanctiſſimæ Incarnationis Monaſterium ingreſſura. At cum ultimum vale diceret Roſariano Sacello Deiparæ, viſa eſt ut rupes adnaſci ſolo, & fruſtra in pedes exilire tentavit, advocato ſæpius ad opem ferendam germano fratre, contentiſque viribus conniſo; quò uſque decreto regreſſu ad domeſticas latebras, alacritate mira ſurrexit. Alio prodigio Deus ad premenda Catharinæ veſtigia Roſam invitavit; nam ex papilionibus, qui colorum varietate mirabiles Limanum agrum pervolitant, unus nigro tantùm, alboque colore pulcherrimè ſtriatus, circumvolitavit Roſam, quæ divinum hoc eſſe reſponſum intellexit, ut, velut animo dudum agitaverat, Prædicatorii Ordinis tertium habitum ſuſciperet. Ab illo ſemel induto vix non dimovit Roſam modeſtiſſimi animi demiſſio; nam gliſcente ejus nominis celebritate, cœpit monſtrari digitis, notari oculis, laudari a prætereuntibus, ipſique Divæ Catharinæ Senenſi non rarò comparari. Et meritò, nam adeo ſanctæ magiſtræ ſuæ virtutes induit, ut ſemel tacitè miranti Confeſſario viſa fuerit ſpecie, vultu, lineamentis ſic transformata, ut viva ſimilitudine ipſam Sanctæ Catharinæ Senenſis effigiem referret. Demum, quæ tam carò illi ſteterat, veſtem conſtanter retinuit; nam dum latendi ſtudium illam ſeponendam ſuggerebat, ad aram Sanctiſſimi Roſarii flexis humi genibus inter orandum placidiſſimo animi deliquio ſenſim diriguit, viſa ab adſtantibus primò exalbeſcere pallore niveo, mox decora ſuffuſione rubeſcere, demum toto vultu luceſcere, ac radiare: ſuoque colori reddita, erumpentibus ex animo prægeſtiente verbis, oſtendit, ſe in hoc vitæ inſtituto divinitus confirmatam.

CAPUT QUARTUM.

Roſæ mira animi ſubmiſſio, virgineus candor, benignitas, aliæque virtutes.

FUndamentum reliquarum virtutum modeſtiſſimi animi ſubmiſſio tam altas in hac Virgine radices egit, ut ſuum unicè contemptum perpetuo ſtudio quæſiviſſe viſa fuerit. Parum illi fuiſſet domeſticæ ancillæ officio diſtineri, niſi & infra illam ſe demiſiſſet. Quamobrem ſæpe Marianam agreſtem ſervam adigebat, ut ſe dejectam humi pedibus proculcaret. Exultabat injuriis proſciſſa ob ſingularem vitæ rigorem; at ſuis laudibus vulnerata ſpineam coronam, qua tempora clam obſederat, violento pugno capiti altius infigebat. A Regio Quæſtore, qui a ſupremis tribus Roſæ annis ſuam domum conſecrari ambivit, flexis poplitibus aquæ libandæ veniam impetrabat. Morbos cælare conſueta, ne medicæ ſibi manus, & delicata remedia adhiberentur, aliquando tamen candidè fatebatur, quantis cruciatibus diſtabeſceret, ut crederetur ob immania crimina a vindice Numine flagellari. Quin & mirari ſe, cur nondum terram infœlicem, quæ ſuis piaculis onerabatur, ſubverterit ultor Deus, ſanctè affirmabat. Et enormium quidem ſcelerum ream illam crediďiſſes, cum obruta lachrymis, & ſingultans procumbebat ad Sacerdotum pedes. Sed illa nunquam lethali crimine amiſit hauſtam a ſacro fonte divinorum munerum ubertatem, & laborandum Confeſſariis erat inveſtigantibus, quid ad ſuum forum certò ſpectaret. Veſtigium illi contumaciæ inerat nullum: mortalium nulli quæſtionem intendit: nullum ab illius ore verbum excidit criticum: nihil in ejus moribus mæſtum, nihil auſterum; ſed tota ſerena erat, & benigna, adeo ut negaſſes Roſam eſſe, quæ ſpinis carebat. Non erat in illa triſtis, & horrida ſapientia, ſed mira facilitas, quæ tamen nihil de morum gravitate detrahebat: cumque integerrimo ſingulos amore complecteretur, a Dei, hominumque charitate animari videbatur. Nulla rerum huma-

Digitized by Google

narum cura ejus animum ſolicitavit; quin interrogata aliquando, num qua re præter divinas delicias innocuè caperetur, negavit ſe poſſe rebus perituris exhilarari. Non modò nunquam carnis tyrannidem ſenſit, ſed & virgineum illius candorem nulla unquam veniali macula decoloratum fuiſſe, aç in toto vitæ curſu ne ſemel quidem illi in animum impuram cogitationem obrepſiſſe jurati affirmaverunt undecim Religioſi viri, quotquot generalem Virginis Confeſſionem exceperunt. Poſtquam egregiam formam aſſiduis verberibus, diuturnâ inediâ, & aquâ gelidâ toti corpori creberrimè ſuperfusâ, corrupit, magno haberi cœpit in pretio, utque innocentiſſimum pœnitentiæ ſimulacrum ab omnibus indigitari. At illa blandientis famæ laudes horreſcens, vividum illico in genas colorem, vigorem in oculos precibus revocavit; adeo ut cum domum rediret ſub meridiem ſextæ feriæ ſanctioris hebdomadæ roſeo vultu inſtar auroræ ſubvivida, & amœna, congerrones quidam juvenes audaciſſimi in prætereuntem jocati ſint, quaſi reducem a convivio, & opiparè habitam. Illa verò quadraginta elapſos dies pane tantùm, & aquâ duraverat: & horas tunc triginta immota perſtiterat in Templo Sancti Dominici precibus inſiſtens, cibique omnis expers, ac potus. Majus illi ſtudium fuit premendi reliquas divinas dotes, ideoque Deum a teneris annis flagitaverat, ne cui mortalium ſineret innoteſcere, quæ ſuum intra animum operari dignaretur, cumque illius votis annuerit Sponſus Divinus, perpauca, & penè vulgaria crediderim, quæ, ut maxima, & ſingularia, ſpirituales Virginis Patres ab illa expiſcari potuerunt. Quid, quod Superos habuit adminiſtros modeſtiæ ſuæ, & cum aliquando templum ingreſſam conſternaſſet ſubita recordatio deſtituti in patenti cubiculo ſeverioris ad domandum corpuſculum inſtrumenti, deſignavit animo locum, in quo illud ſupprimi a Cæli Regina exoptabat, ut domeſticos lateret, & regreſſa reperit famularem ſuæ demiſſioni præſtitam operam a Superûm Imperatrice.

CAPUT QUINTUM.

Roſæ mira inedia, prodigioſa jejunia: Eadem tenerum corpus ciliciis, flagris, catenis domat.

LAboraret, opinor, hiſtoriæ fides, prodigioſa Roſæ jejunia recenſendo, niſi Lector admoneretur, Compendium hoc, quo Sanctiſſimæ Virginis Vita delineatur, a remiſſoriali, ut dicunt, proceſſu fide bona extractum fuiſſe. Roſa profectò per D. Catharinæ Senenſis veſtigia mirabili ſe inedia cruciavit. Penè infans omni ſibi fructuum eſu interdixit, qui ſuaviſſimi in Peruvia naſcuntur. Sexennis tres hebdomadæ dies nihil præter panem & aquam deguſtare cœpit. Anno verò ætatis quintodecimo ſe obſtrinxit voto nunquam delibandi carnem, niſi adigeretur illorum imperio, quibus non obtemperare nefas fuiſſet; quod ſi aliquando indicebatur, maximo ſtomachi ſupplicio pœnas dabat virtutis eximiæ, & non rarò nauſeantem ardentiſſima febris invaſit. Quoties verò jam lecto defixam delicatis eduliis ad ſalutem revocare tentarunt, in manifeſtum vitæ diſcrimen adduxere; cum contra panis fruſtulum aquæ infuſum præſentiſſimam illi ſanitatem ſæpenumero repoſuerit. Quod prodigium nulli admirationem incutiat; nam Chriſtus ipſe Roſam docuerat, velle ſe ab illa rigidis inediæ exercitiis conſtanter honorari. At mater nimiam in exangui filiæ vultu' maciem conſpicata, hanc parſimoniam grande vocabat in crimen. Juſſa proinde Roſa communi menſæ accumbere, ancillam rogavit, ut ex panis fruſtulo, & herbarum pugillo ſibi pararet offam nullo ſale conditam. Sed quas herbas ſibi Virgo legebat, amariſſimæ erant, & agreſti ſaporis malignitate torquebant palatum. Has illa e vicina ſylva petitas alebat in horto ſtudioſè, cujus ſub ſepibns vaſculum abdiderat vervecino felle plenum, & hoc cibos aſpergere, & os quotidie ſummo mane ſolita erat imbuere. Granadillæ, quo in flore mirabili perennant inſtrumenta cædis divinæ, amariſſimæ frondes dulcem illi, & quotidianum ſaporem elaborabant. Dubitari ergo meritò poteſt, duriuſne illi a talibus cibis, an ab ipſa inedia tormentum eſſet. Duplici ſe torquebat jejuniorum genere, & quo ſemel tantùm in die tenue panis, & aquæ ſolatium delibabat, & quo per totum diem, noctemque penitus guſtabat nihil. Primum ferè quotidianum, præſertim ultimis vitæ annis, religioſius ab illa ſervabatur ſeptem continuos menſes, a feſto

Exal-

Digitized by Google

Exaltatæ Sanctæ Crucis uſque ad Dominicam Reſurrectionem. At ineunte cinerali jejunio, ſeu Quadrageſima, omnem ſibi ſubtrahebat panem, ſolis malorum aureorum ſeminibus parciſſimè victitans, iiſque tantùm quinque, dum ſexta feria recurreret. Reliquo anni tempore, quod octo diebus abſumebat, vix unica die tolerandæ vitæ ſat eſſe credebatur. Unico pane, illoque ſat exiguo, & aquæ vaſculo quinquaginta dies aliquando tranſegit: aliaque vice idem ſpatium decurrit ne guttulâ quidem aquæ recreata. Supremis annis tranſmittebat complures dies ſine omni prorſus alimento. Feriâ quintâ ſe includens in domeſtico Oratorio, nec inde ad Sabbatum uſque digreſſa protrahebat triduum omnino inſomnis, impranſa, incœnata, & uni angulo affixa, omnino impos ab illo vel ad momentum ſurgere, & in contemplationem rerum divinarum toto pectore incumbens. Quid, quod octo ſolidos dies nullum præter Divinam Euchariſtiam alimentum admiſit. Vulgare ſit, aquæ ipſius hauſtu guſtum fraudaſſe, tranſactis hebdomadis quampluribus ſine potu, & cæteroqui hauſtâ non aquâ gelidâ, ſed plerumque calenti. Prodigioſum eſt, plus virium a jejuniis accepiſſe, quàm a cibo, eò quòd cum ſua Magiſtra Catharina vulnerati Chriſti lateris ambroſiam deguſtabat. Prodigio quoque ſimile eſt, ſuperfuiſſe in arido corpore locum, qui flagella exciperet, ſanguinem, qui verbera ſequeretur. At niſi per Confeſſarios modus illi fuiſſet impoſitus, mortem nimium properaſſet ardor corporis caſtigandi. Poſtquam Sanctæ Catharinæ habitum induit, non contenta vulgaribus funiculis, duas ſibi catenas ferreas aptavit in flagrum, quibus per noctes ſingulas ita ſe cruentabat, ut ſanguinis rivi parietes, & pavimentum aſpergerent: præcipuè ut ſceleſti meliorem ad frugem revocarentur, quot flagellorum ſulcis, quot vibicum livoribus ſe in dies exarabat! ita vulnera diſpenſans per diverſas corporis partes, ut dum una coaleſceret, altera feriretur, iterumque ſæviret in primam vix dum coalitam, ab hac alterna, crudelique viciſſitudine diriſſimè cruciata. Horrebant domeſtici ex ædium parte ſecreta plagarum ſtrepitum audientes latè ſonorum, quique Roſæ animum moderabatur, temperari nimium rigorem, juſſit; ſed illa infimis ab eo precibus extorſit, ut liceret ſibi intra aliquot paucos dies quinque mille ictus infligere. Seriis ab infantia præludiis oſtenderat, quàm avidè in hæc pœnitentiæ exercitamenta ferretur, nam & quadriennis ſub crudorum laterum, & gravis trunci pondere ſæpe laborabat, & Marianam ancillam precibus adigebat, ut ſe in horti angulo orantem graviſſimis ponderibus oneraret, ſub quibus æſtuabat, gemebat, & interdum victa premebatur ad ſolum. At nondum quartumdecimum annum egreſſa ſæpe nocte concubia perambulabat hortum nudipes, oblongam crucem lividis humeris geſtans, nec illi tunc auræ malignæ intemperies, nec frigora, nec ventorum turbines inſuaves erant. Juſſa flagellis, non ferreâ catenâ ſe cædere, ipſam catenam lumbis triplicato circumductu validiſſimè adſtrinxit, & ſerâ commiſſuræ angulis immiſsâ, clavem eò projecit, unde redire non poſſet. Cum verò per extritam pellem in carnis, & nervorum profunda ferrum penetraſſet, jamque conſepultum propemodum eſſet, nocte quadam acutiſſimus coxendicum dolor Roſam invaſit, a quo, vires identidem accipiente, mox Virgo interempta fuiſſet, namque catenam vi nulla aperire poterat, diu multùmque fruſtra luctata; ſed illa confugit ad preces, quæ Cælum ipſum aperiunt: & ecce ſera ſponte diſſilit, laxatur catena, diducitur; avulſione tamen opus fuit, quam cutis, & cruor ſequebatur. Ubi primùm vulnera coiverant, ſuo ſe iterum tormento Roſa incinxit; ſed catenam carni rurſus adnatam ſibi tranſmitti Confeſſarius imperavit, & illius aliquot circuli poſt Roſæ obitum conſervati mirabilem ſpirarunt odorem, & omnibus peregrinum. Lacertis arctiſſima vincula circumdedit, quæ perpetim torquebant muſculos complicatos: pectus, axillas, latera morſu creberrimo vexarunt minuti ſentes, & urticarum manipuli. At cilicium nacta ex acutis equorum ſetis densè contextum, infra genua productum, quod præ craſſitudine complicari vix poterat, triumphavit ſub illo rigoris paludamento, idemque infixis undique breviſſimis acubus in ſe violentius armavit. Hoc uſa complures annos, & ob frequentem ſanguinis vomitum alieno tandem imperio exuere coacta, ſaccum villis craſſiſſimis gravem ſibi in formam induſii aptavit: quo ſub pondere æſtuabat, rigebat, laſſabatur extenuata viribus Virgo, & pœna illi erat quicunque motus plumbeo pondere prægravatæ. Plantis, in quibus tantùm a vertice capitis erat ſanitas, quoties domi clibanus accendebatur, calcabat immota fornacis orificium, unde vehementior incendii vis erumpebat. Hiſce deliciis demulcebat corpus, cui ſat pœnarum afferebat crebra ægrotatio, exoptans etiam tentare majora, niſi vetuiſſent animæ moderatores. Quid, quod ad cæteram in ſe inhumanitatem illud etiam additum ab ipſa fuit,

ut

Digitized by Google

ut neque delicias ſpiritus in corpus exundare ſineret, cavens, ac totis viribus obſtans, ne divinis epulis animum ſaginantibus reficeretur: quod ego divortium ſublimibus Roſæ operibus adnumerandum reor. Hoc unum ſolita erat reponere culpantibus nimium in ſe rigorem: ſinerent ipſam, quando nil boni operaretur, ſaltem mala tolerare.

CAPUT SEXTUM.

Roſa capiti aculeatam coronam infigit: ejuſdem lectulus, cervical, nocturnæ vigiliæ.

SPinea ſepes Roſam decebat, quæ dies, & noctes hærens in plicatili ſenticeto, quod Chriſti verticem inſedit, in egreſſu pueritiæ ex ductili ſtanno ſibi coronam implicuit, additis claviculis introrſus præacutis, & hoc diademate ſibi caput incinxit non ſine vulnere. Plures annos duravit ſub hoc ſpineto, quod tamen præludium ſolùm fuit ſeverioris tormenti, imminentis ex ſecunda corona aculeis nonaginta novem armata. Hanc poſtremos decem annos ad finem uſque vitæ prodigioſâ conſtantiâ toleravit; neque enim ſine ſpinea corona D. Catharinæ Senenſis habitum induiſſe ſibi videbatur. Argenteam laminam flexit in circulum, illique tres introrſus infixit aculeorum ordines, tam firmiter ſuo quemque loco inhærentes, ut Aurifex adhibitis forcipibus evellere nullum potuerit. Dentatum hoc ſertum quàm dirè momordit velatum puellæ caput! præſertim cum ſpinæ non omnes ſimul, ſed aliæ poſt alias ſucceſſione moleſtiſſima cutem invaderent; utpote ex varietate motuum in ſingulis vulnerum anguſtiis obliquatæ. Sermo ipſe Virgini dolorificus erat: quid ſi tuſſi concutiebatur pectus, ſi caput ſternutamento exonerabatur? Sed hæc illi ludicra videbantur, ideoque ubi coronæ extrema coibant, vittas innexuit, quas contentis viribus attrahens dolorem intenderet, aculeos altius capiti infigens: neque unquam eodem, quo pridie ſteterat, loco figebat diadema ſuum, ut immitius pungeret, inque intacto pœnam renovaret, Sextâ verò feriâ ſe profundius ſauciabat, ad imum uſque ſinciput, & auricularum cartilagines coronam demittens. Diu matrem, ac domeſticos latuit efferum hoc tormenti genus, & artes, quibus illud in ſe Roſa atrocius irritabat. Sed cum aliquando ſe blandè interpoſuiſſet Patri quærenti ad virgas puerulum filium, fortuito errore in illius caput patris manus incurrit, ac tres illico ſanguinis rivos explicuit, ex quo conjecit mater, qualis herinaceus ſub candido ejus velamine nidularetur. Quoties tartareus hoſtis Virginem aggrediebatur, ter illa digito pulſabat coronam ſuam, quæ validius fronti impreſſa certam ei victoriam aſſerebat. At poſt Roſæ interitum ſanctus vir ſuaviatus coronam, prodigioſum in ſe divini amoris incendium repentè accendi, & odore ſuaviſſimo perfundi ſe, expertus eſt. Ut autem ſpinoſum Sanctæ Catharinæ Senenſis exemplar Roſa noſtra ſecuta eſt, ita cum flores deeſſent, quibus de more virgineum demortuæ caput ornaretur, Catharinæ ſimulacrum ſuum illi diadema commodavit, in argumentum immortalis triumphi, quo excipi ab eadem Virgine & à pulcherrimo comitatu deduci ad ſolium Divinitatis, manu præferens palmam, & a Deipara coronâ decorari, viſa eſt a nonnullis probatiſſimæ ſanctitatis. Sed redeamus ad pœnas, quibus Roſa triumphos ſibi adornavit. Eam ſtrati ſui voluit eſſe duritiem, quæ ſomnum abigeret, non invitaret; immo idem lectulus, & equuleus eſſet. Vix obrepſerat matri ſopor, cum Virgo, remota culcitræ parte, cui incubuerat, in ſubſtratam tabulam deſcendebat. At capiti rude ſaxum ſupponere tandiu perſtitit, quouſque ab irata matre veniam extorſit ſuo ſibi arbitrio lectum contabulandi. Truncus hic fuit undique impolitus, ac lapilli ſub vili ſtragulo diſpoſiti, ut ea inæqualitate læderent corpus, cui læves tabulas in deliciis fore timebatur. Poſtea verò tria ligna tortuoſa, indolata, nodoſa tabulis impoſuit: ac tandem ligna omnino ſeptem certis intervallis diſtinxit, ac tercentum præacutis tegularum fragmentis intercapedines implevit, quorum mucrones obverterentur corpori: & in hoc prato quieſcebat Roſa. Ponè ad lectuli caput amphoram appenderat felle plenam, quo antequam ad ſomnum ſeſe componeret, fauces recreabat in memoriam Sponſi felle potati. Cervical primò fuit craſsioris panni volumen incommodum, crudus deinde later, mox lapis undique ſcaber. At a matre juſſa pulvinar adhibere, non illud lanâ, ſed ingenti vi ſegmentorum infarſit: lanam ingeri mater præcepit: obtemperavit Roſa; ſed lanæ vim tantam ſtipavit, ut ligneum cervical videretur: & ſub parte, a qua facies decumbentis excipienda erat, tortiles juncos occuluit. Quindecim ipſos annos fugitivum ſoporem ſuper horribile ſtratum, quod ultimo loco delineavimus, Roſa carpſit, ſenſu doloris tam effero, ut ad illius cogitatum, cæteroqui generoſiſſima, tremeret, æſtuaret: certa,

non

Digitized by Google

non inde ſe ſine omnium membrorum gelido ſtupore, ac veluti ex oſſifragio ſurrecturam. Exanimem aliquando confirmavit Chriſtus manifeſta, blandaque ſpecie, duriorem fuiſſe dicens Calvariæ lectulum, in quo pro illa cœperat mortis ſomnum. Tandem qui præerant Virginis animo mitiùs illam ad ſoporem componi pro imperio adegerunt, abjectis ſaltem fragmentis tegularum. Ultimis vitæ annis plerumque in humili ſella collecto corpuſculo noctem tranſegit, ex nocturnis frigoribus tremens, ac rigens. Et hoc novercale corporis odium illam edocuit, ut nec unquam vigil pulvino inſideret; ſed vel ſtans perageret labores ſuos, vel tranſverſo palo pro ſellula uteretur. Sed nec morti vicinam deſtituit hic ardor duriſſimè cubandi. Equuleum ſuum fruſtra quæſivit: in nudo pavimento deponi non impetravit: at ſaltem lecticæ tabulis occipite, humeriſque acclinis in duro ligno voluit qualitercunque commori Sponſo Crucifixo. Nec defuerunt, qui in morientis pallido vultu notarint ipſam Chriſti in Cruce expirantis effigiem, quod aliàs in Sancta Catharina Senenſi animadverſum fuit. Quantum verò vigiliis dabat, cui lectulus ipſe ſoporem adimebat! Horas illa duas, neque ſemper integras, ſomno indulſit, reliquum tempus ita diſtribuens, ut ex diurno, nocturnoque duodecim quotidie horas orationi ſeponeret, alias impenderet fœmineis laboribus, quibus parentes alebat: cumque inediæ, cilicii, lectique tormentum, calidæ potus, profunda meditatio divinorum, vigilandi facilitatem ei comparaſſent; verſutus tamen hoſtis illam revocare nitebatur ad ſomnum. At Roſa vel cervicem illidebat parieti: vel ſibi tundebat latera: vel prominentibus ex ligneæ crucis brachiis fortibus clavis manus applicabat, & pendulum corpuſculum librabat in aere; vel oblongo, quem in cellulæ pariete clavum fixerat, modicum capillitium, reſiduum in fronte ad obtegendam ſpineam coronam, implectebat arctiſſimè: & pendula, vix ſummis aliquando pedum digitis terræ inſiſtens, clavis in ſoporem pugnabat, de quo non ſatis adhibitis in lecto tribulis triumphaverat.

CAPUT SEPTIMUM.

Roſæ domeſtica ſolitudo, fuga publici, cellula perangusta.

A Prima infantia ſolitarios angulos domi quærebat procul a ludis puerilibus, ut uni vacaret Deo. Creſcente verò cum annis ſtudio latendi, in horto ſub umbroſis platanis flexili ramorum, palmitum, ac virgultorum circumductu, modicum incluſit ſpatium, in quo ad humile altariolum totas hærebat dies, adeo ut domi abiverit in proverbium: hortum adeas, ſi Roſam quæris. At grandior impetravit a matre aliud intra ædes cubiculum, in quo ſeorſum ab omnibus pernoctaret. Moleſtiſſimum illi erat in publico apparere, & nunc prece, nunc lachrymis ambiebat matrem, ut optatiſſimam ſibi ſolitudinem indulgeret. Aliquando ad obeunda urbanarum ſalutationum officia evocata, juxta domeſticum furnum tranſiens, a clibani orificio ſaxum ſtudioſè ſibi attraxit in pedem, ut eo vulnere claudicans, nec idoneis ad inſiſtendum pedibus, domi ſineretur. Eo præcipuè nomine frequentiam oderat, quòd ſuavis odor virtutum ſuarum commendaverat illam apud omnes, velut illuſtris fœminam ſanctitatis. Igitur aſpirante Numine indagavit viam, qua ſe ab impedimentis viriliter explicaret. Coronam precariam ex coralliis, quam habebat in paupere theſauro, curavit Deiparæ Virginis collo circundari, cui a Roſario nomen, & cultus eſt; ut hoc vinculo ſuaviter illaqueata Regina ſua Roſæ Matrem pertraheret, quò filiæ erat in votis. Poſt aliquot dies cum Roſa Deum intenta ſupplicatione propitiare non deſtitiſſet, viſa eſt corona a Virginis collo ſoluta pendere de manu parvuli Jeſu, attonito ad hæc Æedituo, qui profitebatur, a nullo mortalium in digitos Filioli fuiſſe translatam. At Roſa tacita interpres divini conſilii exultabat intelligens, deſponſum ſibi a ſuà Diva quod munus optabat: & Filium pro Matre fidejubentem ſponſionis vinculum in ſe tranſtuliſſe: ideoque voti ſecura flagitavit a matre cellulam peranguſtam, in qua ſine permiſſu illius, qui ſuæ animæ præerat, nullius conſpectum admitteret, aut alloquium. Intra paucos dies perfectum ſtetit arctiſſimum in horto tuguriolum, quinque pedes porrectum in longum, quatuor in latum; ut anguſtum, ſibi tamen, dicebat Roſa, Sponſoque cæleſti ſufficiens. Hic poſtquam ſeſe incluſit, cuidam probatæ ſanctitatis fœminæ in cæleſti raptu viſa eſt ſub ſpecie luci-

Digitized by Google

lucidiſſimæ ſtellæ, cujus radios opaca parietum anguſtia cohibere non poterat. Hìc perpetuos hærebat dies, per varia pietatis exercitia diſpenſans horas, ignara propemodum, in corpore ne degeret, an extra corpus. Cumque a nonnullis interrogaretur, cur non inde quotidie prodiret, ut Miſſæ ſacrificio adeſſet, candidiſſimè reſpondit, domeſticis curis diſtineri aliquando matrem, ſine qua domo prodire non poterat; ſibi tamen a Divino Sponſo conſultum, ut in cella reſidens plures Sacerdotes perlitantes quotidie videret, audiretque. Compertum deinde eſt, divinitus Virgini datum fuiſſe, ut ſpiritu, non ſecus ac ſi corpore præſens adfuiſſet, intereſſet omnibus Sacris, quotquot in vicinis templis offerebantur. Prodigioſum porrò fuit obſequium a culicibus exhibitum ſolitariæ Roſæ. Innumera illorum agmina ſoli humiditas, & arborum frequentia aut gignebat, aut pertrahebat in Virginis cellam, amicum ſuo generi umbraculum: præcipuè ubi ſub meridiem radii ſolis ardentes, aut ſub veſperum ſerenæ noctis algores tenuiſsimis corpuſculis imminebant: nec tamen in tot culicum legionibus, quibus ſcatebant undique parietes, perſonabat oſtium, feneſtra implebatur, vel unicus fuit, qui Roſam unquam attingeret; cnm contra matrem, aliaſque religioſas fœminas ex permiſſu Roſam inviſentes, hoſtiliter invaderet exercitus moleſtiſſimus. Neque tantùm hoſpitæ ſuæ parcebant, ſed ad illius imperium in omnia ſeſe flectebant obſequia culices ingenioſi. Ubi primùm Virgo reſerabat cellulæ portam: Eja, dicebat, amici, laudes celebremus omnipotentis Dei; at illi concentu leniſſimo ſparſi in gyros arguta miſcebant murmura, phalange tam ordinata, ac in ſe flexibus aptiſſimis redeunte, ut chorum crediidiſſes, cui ratio dux præſideret. Cumque noctu repeterent hoſpitalem domum, rurſus orantem Roſam geſtiebat æmulari volatilis harmonia: & cum illa deinde ſub lege nocturni ſilentii conticeſcere. Accidit aliquando, ut Catharina de Sancta Maria Tertii Ordinis Sancti Dominici in eremo domeſtica Roſam inviſeret: hæc a culicibus ſauciata, unum, quem ſanguine turgidum vidit, occidit. At Roſa miranti ſimilis, cur hoſpites, inquit, meos trucidas, nec tantillum animal tuo paſcis ſanguine, dum ejus Conditor ſuo nos toties recreavit? Sed in poſterum tecum illi, ut mecum, pacem colent. Huic augurio fides ſtetit, namque illi, aliiſque pepercit in poſterum culicum exercitus, adactus admirando Roſæ imperio. Franciſcam verò de Montoya Tertiariam itidem Sancti Dominici alumnam a tribus tantùm culicibus appeti in Sanctiſſimæ Trinitatis honorem blandè permiſit. Ultimo vitæ ſuæ triennio in Gundiſalvi de la Maſſa Quæſtoris Regii domo parem ferme ſolitudinem ſibi Virgo ſtatuit, juſſa a parentibus obtemperare viro religioſiſſimo, qui ſuas ædes Roſæ hoſpitio ambiverat conſecrari: hìc totas cum diebus noctes in domeſtico latebat Oratorio, vel in ultimo ædium cubiculo, identidem regreſſa ad hortenſem eremum, perpetuo ſtudio ſequuta ſolitudinem, cujus amore tantopere tenebatur Magiſtra ſua Catharina Senenſis.

CAPUT OCTAVUM.

Roſæ cum Chriſto mira Deſponſatio, Pronuba Auguſtiſſima Imperatrice Angelorum.

Didicerat quidem Roſa Seraphicam Magiſtram ſuam Chriſto deſponſam; ſed vix audebat exoptare locum inter Sponſæ comites adoleſcentulas. Interea tamen candorem Angelicum, & profundiſsimam dehiſcentis animi ſubmiſsionem adornabat, dotem ſcilicet Sponſi Divini amores rapientem. Prodigiis ad myſterium præparata, & ad conſenſum erecta fuit modeſtiſsima Virgo, nam primò bicolor ille papilio, de quo verba ſupra fecimus, aliquandiu per ſiniſtrum Virginis latus cum oberraſſet, conſtitit e regione cordis, ibique depictam reliquit imaginem cordis in veſte Roſæ pulcherrimè delineatam, perinde ac ſi: Præbe mihi cor tuum, Sponſus Divinus clamaret, & Roſam inſigniret eodem emblemate permutati cum illa cordis, ut olim cum Catharina. Nocte quadam Speciosus forma præ filiis hominum videndum ſe Roſæ præbuit, & candidiſsimum illius amorem ſe quærere profeſſus, innumeras Virgines ſplendido amictu nobiles oſtendit, quæ cædendis marmoribus diſtinebantur, ad illarum conſortium Roſam invitans, inter ſponſas ſuas, arduis virtutis operibus inſudantes, annumerandam. At Roſa veſte gemmis, auroque diſtincta ſe repentè inclaruiſſe vidit, & ad cæleſtem ſortem elatam. Sed feſtinat hiſtoria ad manifeſtum munus, quo Chriſtus vigilem Roſam ad connubialem thalamum invitavit. Dies aderat conſecrata triumpho Divini Regis Hieroſolymam ingreſſi: cumque palmæ diſtribuerentur in Templo, ſola Roſa præterita fuit ab Æditu properante: ſive id caſu contigerit, ſive Numinis conſilio ſingulari, ut Virgo novitate confuſa timeret, ne obliquo forſitan animi motui inſcia ſuccubuiſſet. Ad Deiparæ ſacellum,

cujus

cujus præcipua tenebatur religione, confugit, & genibus innixa per undantes lachrymas ſaucium cor ſuum effudit. Cum ecce Virginem videt ſibi ſereno, mitique vultu blandientem, mox in Filium converſam, & inde veluti fauſto oraculo excepto in ſe rurſus intentam. Roſa ignoto perculſa gaudio Puerum intuetur, qui pariter illi ſuaviſſimè arridebat, & poſtquam aliquandiu miro ſenſu voluptatis ſuam Sponſam perfudit, in hæc apertè verba prorupit: Roſa cordis mei, tu mihi Sponſa eſto. At illa mirum in modum exultans, ac in ſuum nihilum dehiſcens, ancillam ſe dixit paratam ſui Regis ad nutus. Et Virgo Mater: Vide, inquit, o Roſa, eximium favorem, quo te Filius meus dignatus eſt. Exinde quibus gratiæ theſauris ſuam Sponſam ditavit Amor divinus! Illa quidem ſapienti viro, qui ejus ſpiritus explorandi partes ſuſceperat, preſsius interrogata, dixit, verba ſibi deeſſe, quibus munera liberaliſſimi Numinis in ſe immeritam collata explicaret. Ut autem perpetuò ſibi verſaretur ante oculos tantæ gratiæ monumentum, anulum popoſcit a germano fratre ſuo, qui myſterii omnino inſcius, perinde tamen ac ſi nuptiis interfuiſſet, eadem verba: Roſa cordis mei, tu mihi ſponſa eſto: anuli convexo juſsit inſcribi. Hoc Roſa ſui amoris pignus ut in arca, in qua ſervatur Divinum Corpus, feria quinta ſanctioris hebdomadæ, includeretur, ab Æditiuo impetravit. At Paſchatis die ſponte, ac ſecretò redivit ad Roſam, non ſine novo prodigio; namque prope illam innixa mater, & ad omnia intentiſsima, nihil animadvertit. Poſt Virginis obitum vir ſanctitatis famâ conſpicuus manu tenens anulum Roſæ, in mortalium omnium rerum exilium raptus, & miro voluptatis divinæ ſenſu colliqueſcens, Roſam vidit in excelſo gloriæ faſtigio inter præcipuos Cæli cives prope ſolium Divinitatis: ac diu loco moveri, & protendere rigentem manum non potuit. Quod ſi hæc in aliena manu prodigia peperit nuptialis anulus Roſæ, quid ipſas nuptias in anima Sponſæ præſtitiſſe putas?

CAPUT NONUM.

Roſæ perpetuum orandi Numinis ſtudium.

STudio precandi, meditandique mirificè Roſa floruit. Adhuc infantem Divinus Spiritus orare docuerat, eoque igne ſuccenderat, quem nec ipſa nocturna ſomnia conſopirent. Audita ergo per noctem ſæpiſsimè eſt numeratò reddere preces, quibus per diem invigilaverat. Creſcente verò cum ætate religione, duodecimo anno jam Unitivâ, quam dicunt, Orationis viâ Deo adhærebat. Porrò duplex illi erat alloquendi Numinis ratio: tum enim ſoluto curis omnibus animo quietiſsimè ſe colligebat ad loquendum cum Deo: tum inter manuum labores, & extima opiſicia, mentem nihilominus affigebat Divinitati. Priori, ut ſupra innuimus, duodecim quovis naturali die horas ſepoſuerat; poſterior illi perpetuus erat, niſi quando per horam horribilibus, ut mox dicemus, imaginibus torquebatur; adeo ut ſive dormiret Roſa, ſive vigilaret, dum neret, texeret, ſericos acu pingeret flores, alios alloqueretur, comederet, legeret, in horto, in area, ubique locorum, ac gentium, perpetuò obverſaretur animæ oculis illius amor Deus. Quodque omnem admirationem ſupergreditur, Divina hæc præſentia ita Roſæ internas facultates occupabat, ut illam ab extimis ſenſibus non adeo detorqueret. Quocirca reſpondebat appoſitè ad omnia: proſequebatur inſtitutum opus: ac domi ſatagens circa frequens miniſterium in remoto cordis thalamo cum Sponſo delectabatur. At inter orandum omnino torpebant illius ſenſus ad mortalium rerum imagines. Hinc in Templo defixis in aram oculis, nec prætereuntes videbat; immo nec ſi aliquid in pupillas incurreret, attrahebat nictu ſupercilia; ſed veluti rupes immobilis, quo loco, ſituque ad orandum ſe compoſuerat, eodem poſt horas, poſt diem integrum, poſt duas ſolidas cum die noctes hærebat. Ultimis verò vitæ annis a mane feriæ quintæ ad Sabbatum uſque, nonnunquam & ad Dominicum diem in domeſtico Oratorio perſeverabat, omnino impos de pavimento ſurgere. Tres præcipuè in ſingulos dies horas Divina beneficia recolebat: aſſueverat etiam altiſſimo generi orandi, quo Dei Attributa centum quinquaginta mente pervolvens ſingulis proprium latriæ cultum exhibebat: & hanc precationis formam terrori eſſe Dæmonibus affirmabat, cui dum inſiſteret, tota

Digitized by Google

tota ipſa movebatur ſyſtole, quam dicunt, cordis, atque diaſtole. Familiares ſermones, quibus alios alloquebatur, plerumque ſagittæ erant, quibus ferebatur in Deum: veluti hortum commendatura: Venuſtus eſt, dicebat, ac pulcher: Deus illi flores adaugeat. Illam omnia invitabant ad Deum: & aliquando ægrotam, & viles cibos, quibus ſe reficeret, adornantem, canens avicula in extaſim abripuit, mortalium omnium oblitam, ad veſperam uſque ab hora ante meridiem tertia divino amore vehementius æſtuantem. Quid, quod plantas ipſas, mutoſque ſtipites ad laudem, & adorationem Deo exhibendam Roſa mirabiliter inclinabat! Rem affero inauditam. Summo mane cum ad cellam ſuam reditura pandebat horti januam, eminus conſpectas arbores, virgulta, herbas, invitabat, ut ſecum benedicerent Authori ſuo: & ecce moveri ſubitò ramos, collidi frondibus frondes, plaudere foliorum ſuſurros, flores ipſos, ac frutices animari in muſici murmuris harmoniam: altiſſimas arbores ſummo cacumine verrere ſolum profundæ adorationis ritu ſolenni. Neque hoc Roſæ prodigium peregrinum, ac rarum, ſed frequentiâ diuturnâ conſpicuum. Volucres etiam allexit in alternam adorandi Numinis ſocietatem. Anno, qui Roſæ ultimus fuit, per quadraginta ſolennis jejunii dies ſole occiduo advolabat prope illius cubiculum avis mirè vocalis, quam Virgo cantu provocabat ad laudes divinas emodulandas. Illico avicula inchoabat argutam harmoniam, & ſenſim vocalior aſſurgens, tum Virgini cedebat vicem, quæ voce tinnula, ſuaviſſimaque, & ingenio prodigioſè fœcundo hymnos inſtitutos proſequebatur, perque integrum labentis horæ ſpatium alternabant cantum ea lege, ut concinente Roſa volucris attentiſſima nec pipiret: vixque dato ſigno ſextæ poſt meridiem horæ perfuncta officio avolabat, poſtridie reditura. Alios porrò ad ſtudium orationis accendere omni conatu ſategit, præcipuè domeſticos: & pios libros, quotquot de hoc argumento verba faciunt, & legebat ipſa avidiſsimè, & legendos aliis mirâ eloquentiâ perſuadebat. Religioſos verò viros, qui ſacras confeſsiones excipiebant, ac Dei verbi præcones obteſtabatur enixè, ut ad orationem, qua Deum mente alloquimur, omni ſuadela, & arte mortales inducerent: ut uſum piarum meditationum in populum inveherent: ut ad frequentandas Dei laudes, præcipuè Roſarium magnæ Virginis percurrendum, omnes inflammarent: & mirum quantum hoc exemplum, & ardens hortatio Roſæ divinum cultum amplificarit.

CAPUT DECIMUM.

Roſa funeſtis viſis exercetur, ac horrendas alterius vitæ pœnas deguſtat. Doctorum examen ſubit, & ab illis mirum in modum probatur.

CUm ad altiſſimum gradum perpetui colloquii cum Deo Roſa aſcendiſſet; atrocia tenebrarum intervalla pati cæpit in dies, quæ ſolidis plerumque horis eò miſeram deprimebant, ut ſæpe neſciverit, in tartaro ne eſſet, an in diro carcere ignis purgantis; adeo nulla ſuaviſſimi Numinis recordatio, nullum ſolatii veſtigium aderat menti. Accedebat pœnarum in cumulum memoria nebuloſa præteriti amoris, quo Deo adhæſerat aliquando; ſed nunc eundem neque cognoſci, neque porrò diligi a ſe poſſe arbitrabatur, immo veluti peregrinum, alienum, vixque famâ notum eminus, & raptim ſuſpiciebat: videbatur muro adamantino obſtructum effugium, ut nuſquam pateret hujus labyrinthi exitus; quare vix erat, quo ab æterna pœna damni ſuam infœlicitatem Virgo ſecerneret. Tam grave tædium vitæ eamdem invadebat, ut triſte ſolatium venaretur a ſpe proximi interitus, ſed tunc animæ immortalitas importunè occurrebat, quæ illam æterno terrore miſerè lancinabat. Per ipſos quindecim continuos annos quotidie ſemel in hanc caliginem demergebatur integrâ ut minimum horâ: iterum tabeſcebat in malis: inſurgebat ſibimet diſplicentis animi tædium: & Roſa tota jam ſpinea ſemetipſam ſauciabat. Demum ea fuit horribilium figurarum acerbitas, ut Virgo, tametſi ad quidvis ferendum impavida, unicum hunc amariſſimum calicem a ſe transferri enixè petiverit; nam durius illi erat ab amore Domini divelli, quàm interire; cum enim, quod corpori eſt anima, hoc ſit amanti animæ Deus, deerat illi quotidie, abeunte Deo, vita nobilior. Nihil interim de rerum cæleſtium contemplatione remiſit. Vix tandem reperti Theologi, qui de hoc prodigioſo mentis angore quidpiam certi præſumerent definire. Fuere, qui deliria, aut inſomnia, qui lemurum ſpectra, vel dæmonum præſtigias, qui fumantis atræ bilis paroxyſmos interpretarentur. At illa omnia modeſtiſſimè devorabat, acquieſcens in alto providentiæ Divinæ conſilio, & incuſans inopiam inge-

nioli

Digitized by Google

nioli ſui, quod implexos animi motus explicare non poſſet. Nitebatur ſubinde ſimilitudinibus adumbrare dolores ſuos, qui occupatum animum amariſſima cogitatione torquebant; at ſi ignis noſtri cruciatui conferrentur, ridendam eſſe comparationem, dicebat. Se longè a Deo ſitam in regione diſſimilitudinis: obrutam puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate, de qua loquitur David: Anathema ſibi videri a Chriſto, veluti Paulus optabat: eum demum ab horridis illis imaginibus ſibi dolorem inferri, qui millies vitam, animamque ſibi rapuiſſet, niſi prodigioſè a Deo conſervata fuiſſet. Creditur Sancta Catharina Senenſis aliquando idem perpeſſa. De Beato certè Henrico Suſone id compertum tradit hiſtoria. Sæpe illi erat ante oculos Chriſtus judex vultu aſper, & horrendo tonitru intonans illud: diſcedite, maledicti. At compulſa aliquando fateri num poſt tenebroſam noctem Sponſus illuſtraret animum ſuum, ingenuè faſſa eſt, illico rurſus emergere rerum cæleſtium voluntates: totam ſimul animam colluceſcere, & inflammari, & in ſinum Divinitatis iterum volare: totam ſe transformari in Dilectum ſuum: immobiliter in Deo radicatam ſibi videri, & illius gratiâ ſolidatam; adeo ut certò ſciret, quod nihil unquam ſe a Chriſti charitate ſepararet. Quanvis autem arcanum gratiæ lumen certitudinem illi indidiſſet, rectam ſemitam eſſe, per quam ibat; tamen modeſtiſſima Virgo non eſt auſa recuſare ſerium, perque intervalla repetitum examen, quo, præter illos, qui ſacris illi erant a confeſſionibus, intimas ejus animæ latebras perveſtigarunt alii ſapientia, & religione ſingulares, tum e ſacra Sancti Dominici familia, tum e Societate Jeſu, tum Doctor Joannes de Caſtillo ſanctitate nobilis Vir ſecularis. Illi veritatem omnibus veſtigiis indagantes, poſt diuturnam, & ſæpius iteratam quæſtionem, hæc præcipuè compererunt. A prima pueritia Roſam cæleſtes ſtimulos, & tranquillum orandi ſpiritum concepiſſe; adeo ut nihil illi dulcius eſſet, quàm loqui cum Deo, ac Divinis inhiare. Ad duodecimum uſque annum ætatis vario illam inter orandum tenore, ſubinde cum imbecillitate corpuſculi, cum ſomno, & mentis evagationibus luctatam fuiſſe: plerunque tamen animo libero, & quieto perrexiſſe in Deum, & ab illo tempore expertam ita ſe divinæ pulchritudini affigi, non modò ut ad nullius rei amorem, velut ad ſcopulum, adhæſerit unquam; ſed neque ſi ſponte conaretur, aliò mentem detorquere poſſet, neque intimarum imaginum intercurſu, nec occupationibus ſenſuum externorum divelli a complexu dulciſſimi Numinis: radiare in animæ ſuæ penetralibus præſentiam propitiæ Divinitatis, & hac deprehenſa, nulla ſe poſſe alia re oblectari. Interrogata, num quos de myſtica Theologia legiſſet libros, negavit inops Virgo; immo ne nomen quidem, ſi quod proprium eſſet hujus, quam dicunt, intuitivæ orationis, ſibi innotuiſſe. Quæſitum ab illa eſt, quanto ſudore pugnaverit in pravas animi inclinationes; at illa, vix ſe meminiſſe talium certaminum, reſpondit, & ab infantia propenſione quadam innata complexam eſſe virtutem. Si quis autem improviſus motus nixus fuiſſet aſſurgere, repentè ex apprehenſione divinæ præſentiæ citra conflictum evanuiſſe. Num quid ſolatii caperet ex rebus creatis, quando animum contemplandi labore feſſum nonnihil remitteret, interrogata, negavit, ſe poſſe rebus perituris exhilarari: ac ſi ad momentum conſpectum perderet amantis Dei, id ſibi videri atrocius quavis gehenna. Horrendas porrò imagines, pavoreſque, quibus illam diximus agitatam, ſtatuerunt quæſitores, fuiſſe experimenta pœnarum, quibus in diro carcere ignis purgantis torquentur animæ. Quando verò nulla ſpes evadendi illi affulgebat, quodam æternitatis fumo, & horroris inferni caligine obtenebratam fuiſſe; ne Virguncula tam prodigioſis ditata muneribus aliquando ſuperbiret: utque illius amor hoc igne purgatus vehementiùs inclareſceret. At adacta pro imperio aperire, qualiter ſibi poſt illas infernas tenebras eſſet, ſuffuſa rubore, quem metus, ac pudor accenderat, dixit demiſſa, & interciſa voce: Plerumque poſt illas tenebras oſtendi ſibi humanitatem Chriſti, nunc virili, nunc infantili facie: ſæpius & Virginem Matrem, & hanc diutius obtutui ſuo indulgeri: hinc robuſtum gaudium ſuper omne gaudium, hinc experimentum cognationis divinæ, hinc vitam, & alacritatem omnium affectuū oriri: hinc accenſum pietatis ignem nullis fluxarum blandimentis rerum extingui poſſe. Denique poſt omnia ſagaciſſimè explorata, hæc omnium quæſitorum ſententia fuit: Tutiſſimam eſſe viam, qua Virgo ambulabat: nullam hic ſubeſſe vaferrimi Dæmonis impoſturam. Aliqui Theologi præſtantiſſimi, auditis, quæ de Auguſtiſſimo Trinitatis Myſterio, de hypoſtatica Verbi Divini Unione, de libro Vitæ, ac Prædeſtinationis, de natura Gratiæ, aliiſque Fidei ſecretis, arcana promebat Roſa, neque par acumen illius fœminæ ingenio, neque ullam mentem liberalius a Patre lu-

Digitized by Google

minum illuſtratam ſe cognoviſſe profeſſi ſunt, & manifeſtè patuiſſe altiorem ſpiritum, qui in Virgine loquebatur. Præcipuè verò cœpit omnes admiratio, quod ab infantia ad gradum, quem dicunt, Unitivum aſcendiſſet, abſque eo, quod alium, quem nuncupant Purgativum, vix attigiſſet; quodque in horrendo illo tenebrarum tormento, & miſeris fluctuantis animi tempeſtatibus, quaſi certaverit cum Deo, triſtiuſne ille affligeret, an illa vellet affligi; adeoque non ſolùm ferendo fuerit, ſed & quotidie triumphaverit. Sanè apud omnes quotquot Limæ tunc aderant, & aderant multi conſummatæ virtutis famâ celebres, invaluerat conſtantiſſima opinio, Roſam ſpiritu Dei agere, & agi, & ſapientiâ cælitus infusâ gubernari. Quædam ſanctitatis nomine celebris fœmina ſicubi cum ea concurriſſet, flexis humi genibus repugnantem excipiebat, & eodem corporis habitu ad eam literas dabat; at ubi Roſa veſtigium fixerat, geſtiebat, os, & oculos applicare.

CAPUT UNDECIMUM.

Roſa cum Chriſto, Deipara, & S. Catharina Senenſi familiariter, jucundè, aſſiduèq; ſermocinatur: domeſtica Tutelaris Angeli conſuetudine fruitur; variè luctatur cum Dæmone, ſemper victrix.

NOn ſolùm poſt internas animi nubes Divini Solis manifeſtus vultus Roſam exhilarabat, ſed aliàs quam ſæpiſſimè videndum ſe præbebat amantiſsimæ Virgini. Dum ſacros Roſa libros percurreret, parvus Amor vix digiti ſtaturâ procerior obambulabat paginas paſſu leviſsimo: & interim ſereno, ſuavique obtutu Sponſæ ſuæ blandiebatur: dum telas conſueret, laborantis pulvillo quietiſsimè inſidebat; arridebat ridenti, breves protendebat ulnas, velut offerens amplexum, omnique geſtu, ac motu teſtabatur amorem ſuum. Has verò delicias frequentes Roſæ obtigiſſe, immo ferè quotidie, argumento eſt, quod ſi ille tardabat, Sponſa querulis vocibus lamentabatur: utque amor Poeſim docet, ſuas querelas familiari metro illigabat. Ex gutturis dolore aliquando laborantem Sponſus invitavit ad ludum, & victrix Roſa ſuos mitigari dolores popoſcit, & impetravit. Divinus verò colluſor jacturam non ferens ludum inſtauravit, & cum illi proſperè alea ceſſiſſet, in victoriæ præmium quæſivit, augeri tolerantiam Roſæ; ideoque primos illius dolores geminavit. Hoc dum blandè, modeſtèque narrat matri, ne illa ob ſuam ægrimoniam contabeſcat, viſa eſt aliquandiu vultu Angelico radiare. Aliàs cum in hortenſi cella nocte concubia viribus deſtituta fomento indigeret, ſui lateris ambroſiam delibandam cordi Virginis Chriſtus obtulit, uti quondam Catharinæ Senenſi, cujus proinde Virginis non alumna ſolùm fuit, ſed etiam collactanea. In illuſtris fœminæ domo poſt ſancta colloquia de more ſeceſſit ad orandum, & ſeptennis puella juxta Roſam vidit puerum Jeſum multicolori amictu indutum, & radiis coruſcantem. At in aliis ædibus Iſabellæ Mexiæ viſus eſt divinus Infans conſertis cum illa manibus porticum obambulans miſcere ſecreta colloquia: hærere in Sponſæ vultu, tanquam rerum omnium oblitus: & quacunque fixiſſet pedem, improviſo lumine fulgebat pavimentum. Quid, quod mutui amoris adeo ſolicitus erat Sponſus Divinus, ut ne florem quidem in conſortium venire pateretur. Invenit aliquando Roſa eradicatos flores, quos in horto ſtudioſius alebat, & ob id dolenti Chriſtus occurrit, ac dixit: An non ego flos campi melior quovis cæleſti viridario? Flos es, ac flores amas? Mihi tuos amores indulge. Ego illos eradicavi, ac projeci. An non hæc fidem faciunt viſioni fœminæ cujuſdam religioſiſſimæ, cui profeſſus eſt Chriſtus, a ſe Roſam geſtari in penetralibus cordis, ſeque viciſſim in ejus virgineo pectore tranquilliſſimè habitare? At Cæli Regina quàm frequenti alloquio, aſpectuque Roſam dignaretur, vel ex hoc deprehendi poteſt, ut paucis multa complectar, quod cubiculariæ officium illi exhiberet, mane Virginem a ſomno excitando. Illam a multo tempore deſtituerat neceſſarius ſomnus, cui conciliando moderatores animæ præcepere veſpertinum lactucæ, ac ſoporiferorum ſeminum uſum; ſed cum vix hæc inducerent quietem, dum inſtabat hora ſurgendi, cruciabatur Roſa, quod ad præſcriptam horam evigilare non poſſet. Ergo Deiparam Stellam matutinam vocavit in vota, quæ cum immineret hora ſurgendi, aderat conſpicua, & miris diſtincta luminibus voce nectarea dormientem compellabat his vocibus: Surge ad orationem, filia, ſurge, nam inſtat hora. Cum aliquando Roſa in lectulo conſediſſet, ſed prægravante ſomni pondere in cervical eſſet relapſa, redivit Auguſtiſſima Excitatrix, niveaque manu pulſavit dormientis latus: Surge, dicens, filiola, ne pigriteris. At illa vice Roſa abeuntem vidit a tergo Deiparam ſuſpen-

Digitized by Google

penſis veſtigiis, cujus aliàs materno vultu ſolita erat impleri, illam cominus intuita, uti faſſa eſt, deque facie ad faciem. Ex quo ſemel a Chriſto data illi fuit Magiſtra Catharina Senenſis, mutua harum Virginum colloquia tam amica, ac crebra fuerunt, ut, veluti in Moyſi vultum poſt divinum conſortium, ſic ex vultu Catharinæ in Roſæ faciem lumina tranſiverint, quæ hanc illi per oris lineamenta propemodum aſſimilarint. Hinc apud omnes Roſa altera Catharina Senenſis dicebatur, præcipuè ab obitu, cum illius facies in feretro videnda omnibus patuit. Cum Tutelari Angelo domeſtica illi neceſſitudo interceſſit; illum legabat ad Sponſum, ſi fortè hic hora conſueta non adfuiſſet. Nocte quadam in eremo ſua ſenſit vires ex improviſo languere; ideo redivit ad matrem, quæ inſtantis deliquii ſigna notans in filiæ vultu, juſſit ancillæ, adire ſubitò vicinum propolam, & emere libum Indicum, quod Chocolatam vocant. At Roſa rogavit matrem, ut ſumptui parceret, affirmans, ſibi potionem illam non defuturam. Subirata mater ancillam urgebat ad opus. Sed Virgo, mox, inquit, aderit e Quæſtoris domo, qui calentem deferet Indorum ambroſiam. Et quis hoc noctis Quæſtorem admonuit de imminenti deliquio tuo? addebat mater. Cum ecce Quæſtoris ſervus vas affert argenteum calenti chocolata plenum. Attonita parens obedientiæ vinculo filiam adegit, ediceret, unde compererit, affore ſibi remedium. At illa ſubridens, ſæpe me, inquit, hujuſmodi dignatur officiis Angelus Tutelaris; illum miſi, qui admoneret Quæſtoris uxorem de medela, qua indigebam. Solebat mater ante mediam noctis horam aperire oſtium horti, ut inde filia ſe domum reciperet. At quondam oblita cum eſſet, Roſa per feneſtram cellulæ ſuæ vidit umbram candidam motu decoro agilem, aſpectuque non injucundam, quæ Virginem, ut ſe domum verſus ſequeretur, invitabat. Agnòvit illa ſub umbra latentem Angelum ſuæ cuſtodiæ deſtinatum, cumque illo ſe dedit in viam. Ut ad horti januam pervenere, hæc ad umbræ tactum ſponte patuit. Sed & aliorum Tutelares Angelos ſibi ad nutum habuit obſequentes. Exemplo ſit vir quidam e religioſa familia, qui peregrè profecturus Roſæ preces flagitavit pro itineris periculis divertendis. At cum diu iter tutiſſimum habuiſſet, in Truxilli convallibus gravia quæque perpeſſus eſt: ac deinde Limam regreſſus cum Roſa conqueri cæpit, quod ſe deſtituiſſet. Virgo id accidiſſe dixit, quia non ille tunc fuerat peregrinus, qui eſſe ſolebat, & hominem admonuit de arcanis ei ſolummodo notis, quæ non niſi Angelo internuntio Roſæ potuerant innotuiſſe. At quantum illam Sanctiſſimi Angeli amabant, tantundem oderant furiæ tartareæ, quæ aliquando palam cum generoſa puella certarunt. Ingentis moloſſi formâ ſemel in horti cella per tenebras aggreſſus eſt Roſam malignus Tenebrio: pertentavit irrito morſu virgineum corpuſculum, quamque diſcerpere non poterat, diu raptavit per ſolum, quouſque Roſa his vocibus; Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi; hoſtem egit in fugam. Fuit, cum ex inſidiis adrepens Cacodæmon improviſum ei colaphum incuſſit: cum ſaxum in eam libravit eo conniſu, ut euntem afflixerit: cum in ſecreta ædium parte orans Roſa vidit in prægrandi ſporta teterrimam belluam licentius tumultuari, ac, dedignata qualicumque ſolatio lucis uti, candelam extinxit, & hoſtem in arenam provocavit. At ille gigantea mole proſiliens per humeros corripuit Virginem, ſtrinxit, contorſit, quaſi laceraturus obluctantem: & omnia quidem puellæ oſſa commolita videbantur, nervique diſtracti; at infractus animus riſit furentem Cyclopis inſaniam. Animadverſum eſt, frequentes hos Virgini fuiſſe agones, nec unquam formidinis ab illa ſenſum expreſſiſſe, quando feroci vultu animorum prædo irruebat. Sed aliquando cum in horto ſpecie formoſiſſima, ac penè mutatus in Angelum lucis illi aſtitiſſet, & procum sgeret, a nobili fuga victoriam quæſivit illico Roſa, & in propinqua porticu ferreâ catenâ correptâ nudos ſibi humeros flagris acerbiſſimis cruentavit, interque ſanguinis, & lachrymarum rivos de Sponſo conqueri cæpit, quòd ſe tunc deſtituiſſet. At ille manifeſta luce conſpicuus Roſæ vultum exhilaravit, ac dixit: Ni tecum ego fuiſſem, tu ne victoriam reportaſſes? Germana planè ſunt hæc iis, quæ Sanctæ Catharinæ Senenſi in certamine ſimili contigerunt, cui Virgini collata munera Sponſus in Roſam quoque congeſſit: velut etiam mirabile donum internoſcendi ſynceras viſiones ab illuſionibus Sathanæ, quo floruit a pueritia: ac tunc eruditè recenſuit regulas diſtinguendorum ſpirituum ab effectibus, quos in anima pariunt. Has olim Chriſtus Catharinam docuit, hæc Roſam, quæ ſuam adeo Magiſtram expreſſit, ut ſi ad Indos accidiſſet fama erroris Pythagoræi de tranſmigratione ſpirituum, quamplurimi credidiſſent, Catharinæ animum in Roſæ corpus ingreſſum.

CA-

Digitized by Google

CAPUT DUODECIMUM.

Roſæ vexationibus, morbis, ærumnis preſſæ prodigioſa tolerantia.

ROſis connaſcuntur ſpinæ. Nonum ætatis menſem attigerat, cum lactanti matri aruerunt ubera, reque anguſta domi prohibente conductam nutricem, liquidiori pulte ſupplebatur lactis inopia, diducto parvulæ ore non ſine cruciatu, ſed ſine lachrymis; quinimmo Roſa ſui pollicis inutili ſuctu tacita fraudabat famem. Vix pedibus ingredi cæpit, cum ob muliebrem Aviæ, Matriſque de Iſabellæ, Roſæque nomine controverſiam, utriuſque vexationibus ſe vidit implicitam, excepta virgis ab avia, ſi ad Roſæ nomen, a matre, ſi ad Iſabellæ, reſpondiſſet. Ut ſuavis erat indoles filiolæ, ſic aſperum ingenium matris, quæ Roſam ob eximiam modeſtiam, perpetuas preces, ac ſeculi fugam, non convitiis ſolùm, alapis, pugnis, & calcibus, ſed & nodoſo baculo ex malo cydonio delumbabat; præſertim poſt grande crimen præciſi capillitii. Nec mitiores in eam domeſtici ob continuum commercium divinorum, & ferè nullum alimentum, quo patebat, humanis viribus eam vivere non poſſe, vocabant Roſam in ſuſpicionem fictæ ſanctitatis, eique minabantur brevi rapiendam ad ſacrorum Quæſitorum tribunal. Exultabat interim Roſa videns, per ipſas Catharinæ vias ire ſe ad Sponſi complexum: & ab illuſtri fœmina interrogata, cur a Seraphica Magiſtra ſua non quæreret ab his ærumnis effugium; namque apud omnes in comperto erat, Roſam, quæcumque vellet, a Catharina impetraturam: pluris ſe facere, dixit, ſuæ matris ſtigmata, quàm delicata ſolatia; eò quòd puderet Crucifixi ſponſam vel per momentum cruce viduari. Et hæc quidem prægrandis nunquam, aut raró illi deerat; namque vacantem ab externa gravior occupabat interna, ceſſantique foris inſectationi agminatim corporis ægrotationes ſuccedebant. Ex dira nervorum attractione triennium lecto decubuit cruciatu immenſo, gemitu nullo. Mirum quot ex diverſis, oppoſitiſque cauſis in Virginem morbi irruerent, terni ſimul, & quaterni, nullo ſuppoſito in exucco, aridoque corpuſculo ardoris pabulo. At non ab intemperie humorum, ſed a benevola Sponſi manu, ut ipſa probè ſentiebat, hiſce agonalibus bonis provenientibus. Sanè confeſſa eſt aliquando, putare ſe, nullum alicujus partis, aut membri ſupereſſe cruciatum, quem ipſa experta non fuerit. At ne primus quidem impatientiæ motus unquam obrepſit, qui affixam divino beneplacito vel latum unguem detorqueret. Cum angina, cum aſthmate, cum iſchiade, cum pleuritide certandum illi ſæpiſſimè fuit. Stomachi, pericardii, inteſtinorum dolores frequentes convulſiones invehebant: febres, eaſque contumaces, aſſuetudo verterat in jocum; non item articulares manuum, pedumque fidiculas, podagram, chiragram, arthritidem, domeſticam præcipuè familiam epulonum, quæ impranſam, & incœnatam Roſam frequentiſſimè inſederunt. Illa inter extremos dolorum laniatus, bene ſibi eſſe perpetuò dicebat, & Sponſum tantummodo alloquebatur his vocibus: Domine, auge, auge dolorem, dummodo augeas & amorem. Quàm verò ſuæ Roſæ precibus obſequeretur Sponſus Divinus, oſtendit mirabili, celeberrimaque viſione, qua ſupra geminos arcus lucis immenſæ Chriſtum librantem aurea lance hominum tolerantiam, ſuaque munera illis collata in præmium, aſpexit: eumdemque ſuum regem audivit elata voce commendantem pœnas conſtanter ab hominibus devoratas: & affirmantem, non aliâ, quàm Crucis, ſcalâ ad Cælum eniti homines poſſe. Tunc validiſſimus impetus Roſam invaſit proſiliendi in forum, & ærumnarum pretium celebrandi, divinæque gratiæ, cujus mirabilem pulchritudinem, & vim, qua conſtituit animas deiformes, apertè viderat. Hoc præparavit Roſam ad ultimos paralyſis dolores, qui præmaturam ei mortem intulerunt.

CAPUT XIII.

Roſæ ardentiſſimus erga Sponſum amor, variis indiciis manifeſtus: Impetratum ab illa miraculum ſudantis imaginis, ut Chriſtum omnibus amandum perſuadeat.

QUanta in hujus Virginis corde flagraret Ætna divini amoris, palam aliquando fecerunt ſplendores, & flammæ ab orantis vultu ſcintillantes. Viſa non raró eſt evibrare per os, oculoſque lucidiſſimum ignem, præcipuè dum funderet preces. Ejuſdem ardoris indices erant ignita ſuſpiria, quibus perpetuò divinum cordis æſtum ventilabat. Ardentes perpetuò precatiunculas jaculabatur in cælum, quas operæ pretium eſſet hìc apponere; namque plurimis uſui fuere non ſine maximo divini amoris incremento. Omnia Roſæ colloquia, ſaluta-

Digitized by Google

lutationes, reſponſa amoris divini mentione condiebantur. Unicum illi ſolatium erat de amore divino aut audire, aut loqui: omne aliud argumentum comi dexteritate huc inflectere. Tunc Virgini aliàs taciturnæ præſtò erat facundia mirabilis: fulgurabant oculi, & ex cordis abundantia loqui linguam manifeſtum erat. At cum in privato Oratorio ſolvebatur in preces, gratiſſimum erat audire invitantem ſingulos ordines creatarum rerum ad amorem divini Conditoris. Duabus, ac tribus horis eidem inſiſtebat, & clam audiebatur a multis, qui viderunt arripientem non rarò pendulam e pariete citharam, tactuque chordarum temperantem impetum vocis, & excepta ſunt hæc verba ab illa numeris illigata:

En inter Flores pulchreſcis, & inter Olivas,
Jeſule, nec molli ſpernis adeſſe Roſæ.

namque matre Oliva, & patre de Floribus nata erat. Vehementiſſimi amoris comes, ac teſtis zelus Virginem adurebat; ideoque otioſos in templo fabulantes admonebat officii. Non erant domi, qui coram illa quid ineptum proferrent, veriti fulmina Virginis divinas injurias non tolerantis. A prima pueritia ſi fortè audiviſſet ſorores amatorium quid concinentes, uberrimo fletu teſtabatur dolorem cordis exulcerati. Lachrimas, quia unicè ad ærarium Dei pertinere didicerat, namque illis emitur cælum, nolebat aliò a quoquam profundi; ideoque cum fortè vidiſſet matrem plorantem: Quid, inquit, prodigis gazam Numinis theſauro inferendam? Quotieſcumque verò ſuum Deum ab aliis coli animadverteret, triumphabat immenſo gaudio: & aliquando cum rediviſſet ad cor fœmina e ſacro Cœnobio profuga, Roſa miris lætitiis inceſſit, feſtumque diem egit, perinde ac ſi totius Americæ ſceptrum ad illam devolutum fuiſſet: Deuſque, ut Roſæ gaudium intenderet, oſtendit ei ſanctitatem inſignem, quam adeptura olim erat pœnitens Sanctimonialis. Habiturus aliquando erat ſolennem concionem Confeſſarius Roſæ, quem repentè febris invaſit. Reſcivit id Virgo, & precibus contra ſe invitavit Concionatoris febrim, futurique eventus certa virum admonuit, præſtò illi fore vires, ſe verò coquendam febri non ſua: quod re ipſa contigit Roſæ, ut olim Sanctæ Catharinæ Senenſi. Propagandæ gloriæ divinæ ſtudio innumera excogitabat in dies, quæ hominum pietatem accenderent: velut inter cætera novam artem conficiendi veſtes Infanti Deo, offerens pro induſio, faſcia, ſtragulo, fimbriis, crepundiis, precationes, jejunia, verbera innumera, quod nobile inventum quamplurimi amplexi ſunt. Hanc autem ſui amoris amplificandi ſolicitudinem ingenti miraculo probavit Deus. Anno hujus ſeculi ſeptimodecimo, quintadecima Aprilis die, cadente Sole Roſa cum uxore, & filiabus Gundiſalvi Quæſtoris effuſa in preces ante pulcherrimam Servatoris imaginem vehementius amoris ſtimulis concuti cœpit, jamque nec voci temperare poſſe, ſed erecta in pedes fervidiſſimè affari ſuum Deum, eumque obteſtari, ut ignitâ pharetrâ excuſſâ mortales omnes ſui amoris telis vitalibus vulneraret: cum ecce puella Quæſtoris filia videt Servatoris vultum ſudore madidum, in argumentum amoris, quo flagrabat amantiſſimus Deus, quemque in Roſæ gratiam indiciis illis profitebatur, ut pares in hominum cordibus flammas accenderet. Mox puellæ mater, tum genitor, deinde Religioſi viri, tandem Angelinus Medorus, qui ſacram effigiem coloraverat, aliique plurimi viderunt copioſas ſudoris guttulas inſtar minutiſſimorum unionum tota ſacratiſſimæ imaginis facie conſpicuas lucere, ac prominere: ſubnaſci aliis alias, mutuoque attritu ſolvi in fluxum, ac diverſis lineis per capillos, & collum decurrere, quòque detergebantur magis, eò magis erumpere, rivoſque rivis ſuccedere: & hoc oſtentum ſupra quatuor horas produci, nullo colorum, aut venuſtatis detrimento, immo adaucta interim pulchritudine vultus divini. Chryſtallini humoris claritas, odor nullus, & alia quamplurima examina palam fecere, non ineſſe humori pinguedinem aliquam ex coloribus oleo temperatis, ſed omnes naturæ, atque artis induſtrias a tali prodigio longè abeſſe. Proſcenium illud amoris divini reciprocos hominum amores invitantis Roſæ vota implevit; namque omnes, qui ſpectaculo interfuere, novis, acutis, inſolitis divini amoris ſtimulis ſub illius intuitu vulnerati ſunt. Neque hic ſtetit miraculum, ſed alterius partu ſuam certitudinem aſſeruit; namque Roſa ipſa lapſu fortuito ad terram alliſa graviter offenderat; adeo ut chirurgi metuerent, aut mancam Virginem ea parte fore, aut curationis remedium diuturnum, incertumque. Roſa certa recuperandæ ſalutis, ſi goſſipium divino ſudore madidum brachio admoveretur, tamen cupida fruendi diutius doloribus ſuis, id non eſt auſa, niſi ex Confeſſarii præſcripto. Tunc verò impulſu prævalido ſentit redire ad ſuam ſedem diſtortos nervos, detumeſcere pulpas, diſtringi muſculos: atoni-

Digitized by Google

tonitis ad hæc chirurgis, qui de intractabili brachio, & in omnem medelam contumaci, jam prope deſperaverant. Præter illa, quæ innuimus, Roſæ prodigia, imperium in belluas, arboreſque,& in Spiritus ipſos ex corporis concretione ſejunctos, intuitum cordium, & abſentium rerum, manifeſta alloquia præſentis Dei, prodibit brevi aliorum uberrima appendix.

CAPUT XIV.

Roſæ cum imagine Deiparæ familiare conſortium: in divinæ Crucis ſignum religio: Mutui honores, quibus illa, & S. Catharina Senenſis ſe proſequuntur.

Ante centum, & amplius annos imago Deiparæ Virginis, cui a Roſario nomen eſt, Limæ cultum accepit. Ex illo Roſeto ver naſcentis fidei in eas terras ſe latè diffudit. Ad hujus aram Roſa perpetuò procumbebat in preces,mirâ letitiâ geſtiens, & ſuam Divam loquentem variis ſerenæ frontis radiis, veluti quibuſdam nutibus, tam perſpicuè percipiebat, ut nulla verborum facundia melius præſtare id poſſet. In Filioli quoque divini vultu velut animato libro reſponſa diſtinctè legebat, tanquam mutis characteribus exarata. Hunc deperibat: hujus ad intuitum novo calore perfundebatur, & gaudio; videbatur enim cæleſtis Infans brachia foras protendere, veluti in amplexum Roſæ procurſurus. Fama erat, illam omnia impetrare, quæcumque ante ſacram imaginem a Cæli Regina flagitaret: ac tanta ſecuritate rerum eventus pollicebatur, ut conceſſæ gratiæ diploma præcepiſſe videretur. Colebatur in domeſtico Oratorio altera Dei Parentis imago, in qua Roſa videbat omnia ſpirare, ac vivere, & aliquando cum pia matrona ante illam narraret prodigia, quibus Virgo in Atocha clientes ſuos a vitæ diſcriminibus eripuerat, Roſa proſpexit imaginem edentem ſigna inuſitatæ lætitiæ, torquentem oculos benigniſſimo nutu, auguſtius radiantem. Porrò ſacellum Roſarii quovis die Sabbathi floribus exornare conſueta, quos in horto educabat, nunquam hoc ſolatio deſtituta fuit,quamvis perfrigida rigeret, aut ardens eſſet anni tempeſtas. Sed pulchriùs induebat ſpirituali veſte Reginam ſuam, tunicam, ſyrma, coronam, & alia ornamenta, jejuniis, inflictis ſibi verberibus, & precibus innumeris componens. Præaltam crucem in hortenſi ſua cella extantem piis complexibus perpetuò ſtringebat: ubicumque divinum hoc ſignum incurriſſet in illius oculos pulſu validiſſimo ejus præcordia agitabat, ſive in fortuita trabium commiſſura, ſive in decuſſatis ſepium bacillis, in vectibus, in ipſis demum feſtucis, ac paleis occurriſſet, illud ſine attenta veneratione nunquam præteribat. Libanotim, vulgò rorem marinum, alebat in horto, cujus tres arbuſculæ in crucis formam coibant: unam ex his Proregina dono quæſivit, ſed apud illam ceſpes illico exaruit, idcirco Roſæ manibus iterum inſitus, poſt quatuor dies pulchrior ſolito reviruit. Circumferre Sanctæ Catharinæ Senenſis imaginem quotannis ſolebat pium Sodalitium illius cultui conſecratum: cujus Divæ ſtatuæ coronis, floribus, & multo fulgore gemmarum adornandæ Roſa quoad vixit deſtinata fuit: quo in munere temperare ſibi a lachrymis, ab oſculis, ab alloquiis præ ardore non poterat. Oh ſi præſtò mihi eſſet pecuniæ vis non exigua, dixit aliquando, ut pulchriori amictu te induerem, optima Mater! Et ecce illico adfuit, quæ ab illuſtri fœmina nummos attulit Roſæ votis deſignatos. Viſus non raro fuit ſacræ imaginis vultus inſolito ſplendore radiare. Floruerunt ad imperium Roſæ cariophylli, quorum pridie ne nodi quidem apparuerant in florem erupturi: ac tres vernarunt, quot ſibi Roſa juſſerat afferri. Franciſca de Montoya, quæ ſacrum Catharinæ ſimulachrum exornaverat, Roſæ beneficio incolumis evaſit ab igne ſulphurato, qui in oculum ipſius incurrerat, & reſiliens incendit veſtes alterius fœminæ,quam corripuit. Ipſiuſmet Roſæ dexteram aliquando horrenda arthritis invaſerat, adeo ut intumeſcente manu mirum in modum nec digiti loco moveri poſſent. Ut verò Seraphicæ Matri ſuæ feſtivum habitum ſolito cultu componeret, digitos forficum anſulis immiſit, cum id fieri præ tumore non poſſet, & alacritate mira gemmas, torques, monilia in ordinem diſtribuit, attonitis ad hæc Regio Quæſtore, illius conjuge, & medicis, qui divinitus id contigiſſe profeſſi ſunt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XV.

Roſæ fervidus amor, & cultus in Divinam Eucharistiam; pro qua ad Martyrium ſe accingit.

TEr ut minimum in hebdomada Divinâ Euchariſtiâ reficiebatur, quinquies non rarò, & aliquando in ſingulos dies. Præmittebat ſemper magno gemituum, & lachrymarum apparatu ſacramentalem confeſſionem. Pridie aſperius cruentabat corpuſculum flagellis, rigidoque jejunio, & hoſpiti divino tam pretioſis ignitarum aſpirationum odoribus cordis habitaculum adornabat, ut ſi per totum vitæ ſpatium illa tantùm vice exceptura eſſet amantem Deum. At dum procumbebat ad Angelorum menſam, tanto divini amoris igne flagrabat, ut facie præſeferret cordis incendium; hæc enim coruſcabat adeo, ut Sacerdotibus terrorem incuteret, cæleſti ſplendore ſæpiſſimè perfuſa. Angelicâ non rarò formâ, radios etiam emittens apparuit religioſis viris: & ipſa Virgo a Confeſſariis juſſa indicare mirabiles effectus, quos in animo ſuo divinum hoc Sacramentum pariebat, in ſingulis verbis hæſitabat, cauſata vocabulorum inopiam; tamen, immigrare ſe quodammodo, dicebat, in ſuum Deum, & gaudio tam immenſo recreari, ut profectò nulla jucunditas mortalis vitæ comparari poſſet illi, qua mamilla Regum, pretioſum hoc Convivium, ſuam ſecum quodammodo Divinitatem partiebatur. Accedebat robur, & ſaturitas prodigioſa, adeo ut cum ſæpe, dum templum adiret ex pridianis jejuniis, flagris, ac vigiliis feſſa, in angiportis hærere cogeretur, divino refecta pabulo domum rediret alacri paſſu: præiret matrem, veluti ſi ambulandum illi eſſet ad montem Oreb in fortitudine cibi illius. Ut verò corporis ſaturitatem a paſtu Euchariſtico acceperit, patuit demeſticis; namque reverſa domum ab epulo Divino, rectâ feſtinabat ad ſecretum cubiculi, & ibi ad ſeram uſque noctem incluſa perſtabat in Sponſi complexibus: & rogata cibum ſumere pridiano exhauſta jejunio, reſpondebat: præ ingenti ſatietate a menſa Domini alium ſe cibum admittere neutiquam poſſe: & aliquando per octo ſolidos dies Altaris Sacramento paſta ab omni prorſus corporali alimonia, veluti Sancta Catharina Senenſis, abſtinuit. Tanta verò religione venerabatur hoc Sacramentum, tam ardenter amabat, ut, quotieſcumque illo recreanda erat, Miſſæ ſacrificiis intereſſet omnibus a ſummo mane ad meridiem uſque, ne ad momentum quidem oculos ab ara deflectens, aut ſupercilia unico nictu demittens, licet noti, ignotique ante illam tranſirent, & ferè in oculos incurrerent. Cum publica quadraginta horarum ſupplicatione adorabatur Sacramentum a populo, a mane ad veſperam uſque immota prorſus hærebat innixa genibus Roſa, oblita prandii, ne unâ quidem aquæ guttâ refectâ: ſic per octo ſolennes dies SS. Chriſti Corpori conſecratos: ſic ultimis quatuor annis, ubi feriâ quintâ majoris hebdomadæ deduxerat ad monumentum Regem ſuum, donec die Paraſceves ad tabernaculum transferretur, nec noctu inde cedebat, affixa tumulo, toto viginti quatuor horarum decurſu, nec ſedere coram illo auſa, nec muro tantiſper acclinari. Sicubi audiſſet ad Divinum Corpus adorandum ſigna dari, cor, & caro illius exultabant in Deum vivum, & vividior in facie color accendebatur. Jucundiſſimum illi erat ſuis manibus aptare lintea, pallas, & quidquid textile ad ſacram Altaris ſupellectilem ſpectat: pretioſos e filis ſericis flores effingere, & in hæc opera conficienda, ne diurni laboris penſo egeſtatem matris fraudaret, noctis partem ſeponere. Denique pro SS. Euchariſtiæ myſterio vitam effundere prægeſtiit. Cum Batavorum claſſis Peruviæ littora popularetur, & ipſi jam Limenſi portui immineret, immo etiam in arenam proſiliiſſe milites dicerentur, Roſa, cæteris exanimatis, mirum in modum exultans, in templo ſocias hortari cœpit ad ſubeundum pro religione martyrium: utque majorem iis ardorem iniiceret, facie rutilante, veſtem, qua longior in terram defluebat, alacriter præcidit, cothurnos exuit, ut in brevi hac veſte magis expedita incurreret in hoſtes. Ex oculorum ſcintillis, ex impavidi vultus conſtantia, ex vivido ſono vocis heroicæ animoſa virago leænam induiſſe videbatur, laceſſens horam fatalem & morti minitans pugnaciſſimè. Fervebat Virgini ſanguis effundi avidus, cum auditum eſt, receptui Batavos ceciniſſe: & voto ſuo fraudata Roſa torqueri cæpit ardentiori ſiti martyrii, cujus amore ſaucia dolebat, ſe non illis temporibus natam, quibus gliſcebat tyrannorum furor in Chriſtianos, & ſæpe cum gemitu dicebat familiari matronæ: Utinam idonea ratio, & modus occurreret, adornandi fugam ad barbarorum provincias, & ibi ſanguinem pro Chriſto fundendi.

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Roſæ eximium pro periclitantium animarum ſalute ſtudium, & ardor conſulendi corporali ſaluti proximorum ſupra modulum facultatum.

QUoties ad interiora meridionalis Americæ montana flectebat oculos, cruciabatur medullitus, illachrymans infœlicitati tot barbarorum: & cæteræ gentes Chriſtianis legibus non excultæ perpetua illi erant materia lachrymarum. Optabat viſceratim diſcerpi, ac retis inſtar obpandi voragini, qua tot animæ infœlices ruebant ad Tartara: hortabatur Religioſos viros ardentiſſimis verbis, ut vulneribus animi omni ratione mederentur, & ad nuntiandum Barbaris Evangelium feſtinarent: non hærendum, intonabat, in ſubtilitatum apicibus, in controverſiis verborum: proiici ſcholaſticos labores, clamoſaſque diſputationes, ſi tantis parta ſudoribus eruditio proximorum ſaluti, fideique propagationi non impendatur. Aſſeverabat, ſe niſi fœminam natura finxiſſet; decurſo ſtudio literarum adituram fuiſſe ferociſſimas gentes, quas vel in viam ſalutis reduceret, vel ab illis coronam acciperet mortis obitæ pro fide ſanctiſſima. Statuerat adoptare ſibi pupillum inopem, & deſolatum, quem in ſtudio virtutis, & literarum educaret ad laborem in converſione gentilium ſubeundum. Uni ex Confeſſariis ſuis incerto, an expeditionem ad Barbaros ſuſciperet, obtulit dimidium operum ſuorum, quibus Divinitatis amorem demerebatur, ut alacrior ille ad excolendam vineam Domini feſtinaret. Quæ verò illi cura fuit, & zelus periclitantium Chriſtianorum. Pro his quotidie cruenta ſibi verbera infligebat, dicens: ſi quo modo ſibi licuiſſet fungi ſacri Oratoris officio, opertam horrido cilicio, nudipedem, ſqualidam interdiu, noctuque ſe circunlaturam Crucifixi Servatoris imaginem per fora, per trivia: & lugubri clamore revocaturam ad cor homines a recta via deerrantes. At divini verbi concionatores fervidâ modeſtiâ admonebat officii, ut facundiâ inani, & inutilibus floribus, ac theatricæ oſtentationis cothurno poſthabito, animadverterent, conſtitutos ſeſe hominum piſcatores, qui flagitioſas animas eximerent ab ima charybdi vitiorum. Et exemit ipſa Roſa nonnullas prodigioſè. Juvenem præcipuè genere, quàm moribus, nobiliorem, qui amore pulcherrimæ Roſæ ſuccenſus, ac deſperata ſpe nuptiarum, quærebat ſaltem occaſionem, qua oculos paſceret illius venuſtate; ideoque Roſæ matrem convenerat, ut juberet, a filia collaria ſibi aliqua ex pretioſo carbaſo elaborari. Advocata Roſa, ut ſtatueret, quot ulnæ melioris telæ, & undenam eſſent emendæ, divinitus edocta ſecretum, quod corde premebat Vincentius Monteſius Venegas (hoc juveni nomen erat,) illum ſanctiſſimis verbis ad virtutem incendit; adeo ut ſobriam, & gravem vivendi rationem inſtituerit, ſingulis ad minimum octiduis divino Epulo refici conſuetus. Fœminam præcipitis iracundiæ ad tractabile pacis ingenium inſtituta de tranquillitate animi ſuaviſſima concione revocavit; adeo ut fateretur, recordatione manſuetiſſimæ Roſæ ſopiri, quaſcumque flammmas naturæ ignis accenderet. Religioſum virum cum morte luctantem, & formidine ſeveri Judicis trementem confirmavit oblato illi de ſuorum exercitiorum qualicunque cenſu quidquid moribundo deeſſet ad ſupplendam inopiam meritorum: ab obitu conveniri ſe petens a defuncti anima, ſi fortè indigeret ulteriori ſuffragio. Et divinitus Roſæ innotuit, illam quamprimùm regioni lucis aſcriptam fuiſſe. Mirabitur profectò unuſquiſque, pauperrimæ Roſæ funus publicis mendicorum ejulatibus, ac lachrymis celebratum fuiſſe, vociferante turba egenorum, ſuam ſibi nutricem, ac matrem fato immaturo præreptam; adeo palmas ſuas extendit ad pauperes, cum his dividendo eleemoſynas, quas inſperatò receperat. Fuit cum octo dierum alimenta ſibi ſubtraxit, pro egentis cujuſdam ſubſidio: cum triginta ſex ulnas candidæ telæ ſibi a matre attributas ad ſudaria, vela, mantilia, omnemque candidi nitoris ſupellectilem formandam pro arbitrio ſuo, ſecretò donavit duabus Virginibus genere, & virtute nobilibus, at pauperibus: fuit, cum oblongum, & ad terram uſque demiſſum matris pallium inopi cuidam Virgini donum fecit, & matri conqueſtæ prædixit, pluribus illam a divina munificentia ditandam. Stetit promiſſis fides; nanque poſt paucos dies ignotus homo quadraginta libras argenteas pro pallio coemendo attulit matri. Maria de Sala per famulum miſit ſericum ſubtegmen alteri conficiendo ſufficiens: & ſibi oblatas ad hoc ejuſdem materiæ totidem ulnas Limanum Prædicatorum Cœnobium Roſæ matri deſtinavit. Nobilem Virginem egeſtate, ac morbo preſſam, & purulenti cancri peſte nulli ferendam, intra paternas ædes recepit, & medicas illi manus admovit ſedulitate tanta, ut brevi ad ſalutem revocaverit. Cuj-

juſ-

Digitized by Google

juſcumq; generis pauperes fœminas morbis affectas in domum patriam inferebat; neque tecti ſolùm, & ſtrati, ſed & medicinæ, ciborumque ſolatio egentes reficiebat. Iis abſtergebat purulenta ulcera, mundabat veſtes, lavabat pedes, nullo diſcrimine Hiſpanas inter, & Indas, Æthiopeſve, nigras, & candidas. Nulla ægrotatio tam putrida, nullum ulcus tam tetrum, cui virgineas adhibere manus Roſa defugeret. Hac ambitione obibat mulierum valetudinaria, & præ cæteris horridas intuita, his eluebat vaſa, parabat edulia, lectulum componebat, nil dedignata, ſi vitiata ſanies pannis ſuis adhæreret; quamvis cæteroqui munditiam amaret. Quinimmo aliquando cum extractum e vena cujuſdam famulæ ſanguinem, poſt biduum ſeroſo virore, flavis, nigriſque maculis, ac ſanie ramoſa decolorem ſtomachus horreret, non leves ab ſe neceſſarii hujus faſtidii pœnas exegit; ſeceſſit enim in angulum, & inſtar Seraphicæ ſuæ Magiſtræ, totum illum virulentum cruorem auſu heroico ſenſim epotavit. Et Roſæ charitas morte fortior non rarò fuit, namque ſalutem reſtituit ægrotis, quibus miniſtrabat. Inter alios Joannes Almanſa nobilis vir decumbens impetrato Roſæ alloquio, in illius vultu majeſtatem Angelicam notavit: & hauſta viva ſpe incolumitatis, ſolutus in ſomnum eſt, & integrè ſanus evigilavit. Plura curationum miracula in aliud tempus differimus: interim addere libet, quod vel ad bruta animantia Roſæ ſuavitas, ac tenera miſeratio protendebatur. Erat Mariæ de Oliva Roſæ genitrici miræ pulchritudinis pullus gallinaceus, cujus in tergo, & alis verſicoloribus amœna plumarum varietas ludebat, & collum quædam veluti purpura incinxerat; adeo ut domi in deliciis eſſet. Sed cum jugiter cubaret humi, nec unquam viſus eſſet in pedes attolli, nunquam auditus cucurire, pertæſa mater conſtituit illum jugulare, & menſæ comedendum apponere. Aſtans Roſa, canta, inquit, mi pulle, ne moriaris. Vix verbum protulerat, cum ſub oculis omnium repentè gallus aſſurrexit in pedes, totum conclave prætumidis paſſibus perambulavit, & hilariter cucurivit, repetita quindecies intra quadrantis horarii ſpatium cantilena.

CAPUT XVII.

Roſæ magna in Deo fiducia crebrò in ſuis, ſuorumque neceſſitatibus prodigioſum Cæli præſidium experitur.

Mirificè afficiebatur verbis illis Davidicis: Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me feſtina: hæc ſedens, ſtans, ambulans religioſiſſimè iterabat. Nihil unquam in rebus humanis opis, aut perfugii collocavit. Tria potiſſimùm erant, de quorum aſſecutione dubitare Roſam non ſinebat e cælo conceſſa fiduciæ certitudo: primum æterna ſua beatitudo: alterum perpetua, & nunquam interpolanda Dei amicitia: poſtremum, certum ex alto auxilium in quibuſvis neceſſitatibus, ac repentinis periculis. Semel concuſſa eſt pavida formidine circa prædeſtinationis arcanum omni animæ tremendum; ſed illico Dominus ſic illius cor eſt alloquutus: filia, neminem condemno, niſi volentem condemnari: igitur exhinc tranquillo animo eſto. Exinde tam invicta fiducia cordi Virginis inhæſit, ut interrogata a Doctore Caſtillo, an ſuæ ſalutis certam notitiam divinitus accepiſſet, fateri compulſa ſit, ſuperna illuſtratione tempeſtivè ſe didiciſſe, quod ab omni æternitate electa erat ad cæleſtem gloriam; quin etiam in ultimo decubitu cognovit, ab omni purgantis ignis mora immunem ſeſe futuram. Dum hortenſem cellam incolebat, in mentis exceſſu vidit circa ſe undique ſolum conſperſum roſis, & miranti, quonam pacto tam repentino vere tegeretur terra, parvulus JESUS apparuit, & Roſam blandè compellans, juſſit, ſparſas Roſas colligere. Lectas illa Divino Puero attulit, qui ex omnibus unicam in donum popoſcit, &: Hæc tu Roſa es, dixit, cujus providam curam aſſumo. Intellexit illico ſapiens Virgo, quorſum tenderent verba Sponſi, & gaviſa, teneri ſe in dextera veluti Roſam electam, ſolicita, quid agendum de reliquis eſſet, brevi conſilio ſubitaneum inde ſertum confecit, & cæleſti Infanti reverenter impoſuit, qui mox ſuaviſſimè arridens diſceſſit. Pari certitudinis ſolatio fruebatur in ſecuritate gratiæ, divinæque amicitiæ, cum e cælo comperiſſet, in Sponſi favore ſe confirmatam, ut ne ad momentum quidem dulci amicitiæ fœdere poſſet excidere. Aſſeveravit aliquando animæ ſuæ moderatori facilius imponendum ſibi, quod palea eſſet, aut ſaxum, quâm quod haberet Numen averſum. Eadem vis con-

Digitized by Google

confidentiæ Roſam adverſùs quaslibet mortalis vitæ difficultates armarat. Nil metuens obvios tauros ferociſſimos perſtitit ſæpius in veſtigio, matre fugam circumſpiciente, ſpondens, immanes belluas innoxiè tranſituras: quod re ipſa bis contigit, non ſine admiratione omnium, qui præſens Virginis exitium metuebant. Ut verò ſperabat ſubſidia ad victum neceſſaria! Certior aliquando facta domeſticæ penuriæ, quia panes nulli ſupererant, arcam aperuit, & plenam reperit panibus ultra domus illius morem candoris, ac ſaporis eximii, teſtante figura inuſitata, & peregrina, eos aliunde prodiiſſe. Alia vice mel defuit, neceſſarium illis regionibus condimentum: bis ter experti, fundo tenus exhauſtum areſcere vas, filii retulerunt matri; at illa Roſam legavit, quæ cupam invenit uſque ad ſupremum labium recenti melle plenam, quod novo prodigio integris octo menſibus toti familiæ ſatis fuit in uſum quotidianum. Gaſparem Flores patrem Virginis premebat ægrotatio corporis, animique mœror ob quinquaginta librarum debitum, cui ſolvendo non erat. Ut Virgo reſcivit, fudit in Templo preces, & domum redeunti vir planè ignotus involutam ſtrophiolo pecuniam patri neceſſariam porrexit. Ejuſmodi peregrinis ſubſidiis pluries egena domus in gratiam ſanctæ filiæ recreata fuit. Quinimmo erga locupletiſſimum Sponſum ea fuit Roſæ fiducia, ut auſu liberali Virgo pauperrima frequenter, & palam in ſe receperit, providere de toto ſumptu ad excitandum a fundamentis novum Sanctæ Catharinæ Senenſis Monaſterium, cujus erectio divinitus promiſſa, & oſtenſa illi fuerat, quodque tam ſeriâ fiduciâ ſpopondit, ut mater faſtidio impar Roſam quaſi manifeſtè delirantem objurgaverit: Et ubi ſunt, dixerit, bis centies mille libræ argenti? At illa, fidejuſſorem, inquit, habeo illum, in quo theſauri omnes. Sed hæc ſeorſum narrabimus.

CAPUT XVIII.

Roſa divinitus cognoſcit ædificandum in Urbe Limana Sanctæ Catharinæ Senenſis Cœnobium. Eidem alia complura arcana Deo revelante pateſiunt.

FLoret nunc Limæ numeroſum ducentis ſacris Virginibus Cœnobium ſub inſtituto Sancti Dominici, erectum anno ſeculi hujus vigeſimo ſecundo ab illuſtri, & opulenta vidua D. Lucia Guerra de la Daga. Iſtud integro ante jacta fundamenta decennio nunc per ſymbola, & figuras, nunc manifeſtè in propria forma, & typo fuit Roſæ divinitus præmonſtratum: de illo ſecurè, ac fidenter loquebatur, perinde ac ſi conſtructum ante oculos haberet: deſignavit fœminas, quæ illic Deo famulaturæ eſſent, ac inter has propriam matrem: numerum definivit, locum prædixit, futuræ ibidem fabricæ topographiam in tabella delineavit: primum incruenti ſacrificii Myſtam nominatim expreſſit: primam futurarum Monialium Præfectam ex vultu agnovit, ſpiritu ſuo imbuit, oſculo pacis quodammodo initiavit. Nonnullis viſa eſt inſanire, cum præcipuè illuſtris fœmina, quam Cœnobii fundatricem fore vaticinata fuerat Roſa, ſuperſtitem virum haberet, & matrem circumſtaret ſoboles numeroſa, quatuor nempe filii, & una filiola, & qui in ſe receperat curam exorandæ a Rege facultatis, Madrito Limam rediiſſet infecta re, & nulla ſpei lux in poſterum affulgeret. Sed Luciæ maritum, & paulò poſt filios omnes ab hac vita Deus evocavit: obſtacula innumera, & potentiſſima disjecit: repugnantium animos ad favorem pii operis flexit, ac brevi ſtetit nobiliſſimus Parthenon, qui etiam nunc ſæpiſſimè Roſæ Monaſterium, hoc eſt diu ante Roſæ vaticinio prænuntiatum, amat appellari. Hoc primùm fatidico animo præcepit, cum aliquando lectas in horto Roſas cœpit non ſine religioſis ſuſpiriis in altum jactare, & germano fratri ſupervenienti, & quærenti, quid rerum ageret, myſterium occultavit; ſed cæpere loqui prodigia; nam quas Roſa in ſublime ſparſerat, hærebant in aere, & in conſpicuam ſanctæ Crucis figuram aptiſſimè coibant, eidemque Cruci a ſuccedentibus roſis decorus per circuitum limbus formabatur. Agnovit Roſa, Virgines illas eſſe, quæ in cæleſtem arctioris vitæ legem coaptatæ e ſublimi perfectionis ſtatu terram deſpecturæ erant. Aliàs oranti fuit oſtenſum pulcherrimum pratum, liliis, roſiſque variegatum, quod in hortum concluſum a profani ſeculi commercio ſegregandum, certò cognovit. Teſtatus affirmavit R. P. Villalobos Soc. Jeſu vir ſanctitate nobilis, ſuo ſe experimento propheticum ſpiritum in Roſa deprehendiſſe, quæ ſui cordis arcana didicerat: velut etiam Rev. P. Philippi de Tapia Callaoenſis Rectoris, & Michaelæ de la Maſſa, Mariæ de Meſta, aliorumque: ita etiam res loco, vel tempore diſſitas intuebatur animo. Diuturnam vitam ſpopondit ægrotis quàmplurimis ferme jam in hora decre-

Digitized by Google

cretoria cum morte luctantibus : pueris, puellisque prædixit quodnam vitæ genus ingreſſuræ eſſent: ſpopondit, nonnullos religioſæ militiæ nomen daturos, licet ab eo vitæ inſtituto alieniſſimi eſſent. Proregis animum immutandum vidit, qui moleſto muneri nobilem virum deſtinaverat: Ferdinando germano fratri ſcripſit, orituram ex illo filiolam, cujus vultum purpureus conſpicuæ Roſæ character ornaturus eſſet: & illam innocentia ſingulari nobilem fore: advectam ex Aethiopia fœminam, quæ profitebatur, in Panamà ſacro ſe fonte luſtratam, cognovit, neutiquam fuiſſe aqua ſalutari reſperſam, & inſperatis indiciis convictam ad meliorem frugem revocavit. Sacro illa baptiſmo tincta eſt, ac poſtridie fœlix interiit. Qui Roſę cordium arcana, & quæ ventura trahebantur, oſtendit Deus, eandem legendi, ſcribendique artem edocuit, ut olim Sanctam Catharinam. Tandem eodem magiſtro ſuæ mortis diem, locum, horam edocta, nemini dulciùs, quàm ſibi, ſuoque funeri fortunata vates præcinuit.

CAPUT XIX.

Roſa mortis ſuæ præſcia cum ultima ægrotatione generosè luctatur, & ſanctiſſimè moritur.

FEſta Divo Bartholomæo dies, qua ſe morituram præſciebat, pretioſa, & chara illi fuit, & ſtudio ſingulari quotannis culta: hinc ſuo non contenta jejunio, aliquot innocentes pueros allexit, ut ſecum in hujus feſti pervigilio jejunarent. Mirabatur mater, quid filiæ tam peculiare cum Sancto Bartholomæo verteretur, donec audivit a Virgine, hunc ſibi nuptialem diem fore. Supererat adhuc Roſę triennium mortalitatis, cum ex gravi morbo decumbens videbatur omnibus vitæ marginem attigiſſe; at illa omnium judicio complorata, certò affirmavit, diſtare nimium optatiſſimam metam, ad quam properabat. Annum denique ſuę etatis trigeſimum primum ingreſſa, cujus ad exitum ſe non deventuram cognoverat, quatuor ante obitum menſibus optimè valens Gundiſalvi Quæſtoris uxorem admonuit de tempore, ac mortis genere, quo viam univerſę carnis ingreſſura erat; quinimmo & locum deſignavit, in quo corporis vinculis erat ſolvenda. Didicerat ex celebri viſione arcuum, de qua ſupra locuti ſumus, totam ſeriem immanium dolorum, quibus ultimò lancinanda erat, eoſque acutiſſimos, & adeo multiplices fore, ut ſingula exhauſti corpuſculi membra proprium equuleum eſſent habitura: ſiti eadem ſeſe torquendam, qua in Cruce Redemptoris fauces aruerunt: intimas oſſium medullas ardore intolerabili depaſcendas. Illa tantæ amaritudinis calicem nil expaveſcens, in ſacello Roſarii obtulit ſeſe beneplacito divino, adeoque ſtrenuò ad epotandum abſynthium ſe comparavit, ut cordis amor vultum vehementer accenderit, & ſatis conſtiterit, tunc vicini ſui obitus certam diem illi fuiſſe revelatam. Denique triduo ante fatalem ægrotationem adiit parentum ædes, valedictura ibidem hortenſi cellulę cęleſtium ſuarum deliciarum conſciæ. Hinc olorino cantu mortem invitavit, & miris blanditiis S. Patrem ſuum Dominicum eſt allocuta, eique matrem a ſe deſtituendam commendavit. Kalendis Auguſti ſub veſperam ſana, & vegeta ſuo ſe cubiculo incluſerat, cum ecce ſub noctis medium auditur miſerabiliter ejulare: occurrit Quæſtoris uxor cum filiabus, & ancillis, invenitque toto corpuſculo extenſam per ſolum, rigidis ſine motu membris. At illa interrogata, quo morbo angeretur, & vellet ne medicum advocari, mali quidem ſe nihil perpeti, dixit; ſed ipſam mortem in intimis viſcerum ſuorum penetralibus liberrimè dominari; cæleſti verò medico tantùm opus eſſe. E terra in lectulum ſublatæ frigidus ſudor ſtagnabat in pallida fronte: luctabatur velut ingenti mole preſſa reſpirandi facultas, tumorque, ac tremor exangue corpuſculum oberrabat. Subinde libero ſuſpirio JESU nomen tenerrimè pronuntiabat, quod unicum illi erat ſolatium. Adfuere medici, qui ſtatim explorata vi pugnantium morborum, ſtatuerunt, acervum tot cruciatuum humanâ patientiâ ſuperiorem videri: neque dolores illos naturales eſſe; at calicem ipſum, quem Sponſus biberat, jamque miſcebat amantiſſimæ ſponſæ. Et illa quidem a Confeſſario, verito ne ab humili modeſtia proveniret Roſæ ſilentium, pro imperio adacta manifeſtè aperire, quibus nam cruciatibus intabeſceret, licet experimento morborum omnia genera didiciſſet, hunc tamen, utpote peregrinum, non niſi per ſimilitudines potuit explicare, dixitque: videri ſibi, candentis ferri globum per tempora adigi: a ſummo vertice uſque ad infimam plantam dexteri pedis ignitum veru tranſmitti: & ſimili ardore tranſverſim a ſiniſtro latere per meditullium cordis ab ignito pugione pervadi, a quo decuſſato ardoris tormento forma Crucis exprimebatur: viſcera per fruſta candenti forcipe evelli: caput incluſum canden-

Digitized by Google

denti galeæ videri, & validis punčturis ceu malleorum ictibus contundi: oſſa reſolvi ſenſim in pulverem, medullas inſtar cinerum aruiſſe. Fluctuantibus in mutuo aſpectu confuſis medicis, Roſa clam ſuo Confeſſario aperuit, fruſtra illos in exploranda morbi ſpecie laborare, cum totus præter naturam eſſet: quocirca unicâ ſibi tolerantiâ opus fore, ut quoquo modo ſingulos Crucifixi Sponſi ſui dolores experiretur: finerent illam ſine omni humano alloquio aliquot dies jacere, cumque amore ſuo, cui ſe membratim confixam in cruce ſentiebat, colloqui perpetuò. Sexta Auguſti dies interim illuxit, quam in Calvariæ monte, non in Thabor, cum Chriſto transfigurato tranſegit; namque acceſſit ſiniſtri lateris paralyſis, perque conſequentes dies pleuritis, aſthma, iſchias, colica, arthritis, denique continuæ febris ardor acerrimus. Uſque adeo tota morborum cohors debuit incumbere, ut unica hæc Roſa fatali ægrotatione ſolveretur, & articulatim moriens glorioſum ferè martyrium ab Amore Sponſo illatum ſubiret. Placidiſſima tot inter cruciatus animæ quiete fruebatur, ſuoſque dolores intendi, & uberiores pœnas ſuis criminibus irrogari flagitabat. Subverebatur Virgo ſapiens, ne tot ſimul morborum continua, & atrox violentia ſibi rationis uſum eriperet, ideoque tremula voce, flebilique ſupplex obſecravit domeſticos, ſecum orarent Deum, ut illi ſe infortunio eriperet. Ac divina pietas reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, & integrum illi expediti judicii, ac linguæ vigorem peculiari prodigio inter aſsidua exhauſti cerebri deliquia ſervavit immunem uſque ad extremum halitum; cum tamen ſæpe inter hos angores ab uſu exteriorum ſenſuum illam abduxerit vel morbi violentia, vel contemplationum ardor. Incredibili ſiti torquebatur, cumque bibere ipſi per medicos non liceret, amarum tolerantiæ calicem ad imum uſque fundum exhauriebat cum Sponſo. Tenerrimam conſcientiam exomologeſi pluries iterata, ac ſemel de toto vitæ decurſu ſeſe accuſans, quàm diligentiſſimè expiavit; ita ut procul audirentur gemitus, & ſuſpiria. Triduo ante fœlicem tranſitum Divinum Viaticum, & Sacrum Oleum popoſcit. Ut audivit epulum Euchariſticum ſibi afferri, vivido colore ſuffuſa coruſcantis auroræ inſtar extemplo rubuit, mox gaudio ſuo impar in altiſſimam extaſim diriguit, & ſuſcepto divino Sacramento pallido & exangui ore fixa hæſit. At Extremam Unctionem tam alacri omnium ſenſuum officio moribunda excepit, ut verè oleum lætitię fuerit, quo ſe potius ad triumphum, quàm ad agonis conflictum ſenſit animari, utpote ſalutis adeo certa, ut inſuper noſſet, ſine luſtralis ignis contactu ſe recto itinere ad Sponſi nuptias profecturam. Sæpius elata, & ſonora voce ſe Orthodoxæ fidei filiam profeſſa eſt, ac Sancti Dominici ſobolem, candidum ejus Ordinis inſigne, quod ſcapulare dicimus, perpetuò, & palam ante ſe protenſum volens. Exquiſitis ac ſummè efficacibus verbis veniam a Deo exoravit pro illis omnibus, qui in toto vitæ decurſu moleſtiis, damnis, aliiſque ſe injuriis affecerant, & Crucifixi parvum ſimulacrum manu ſtringens, ſatiari non poterat his verbis: Pater, ignoſce illis. Domeſticos omnes acciri demiſsè petivit, & licet ex his neminem verbo, aut minimo unquam nutu offendiſſet, ſingulos, & omnes flebili voce oravit, ut indulgerent ſibi, ſi qua in re ulli moleſta accidiſſet: dolere, quod adhuc per biduum illis oneri eſſet futura: haud procul abeſſe horam, quæ domum Gundiſalvi a fœtidæ Roſæ longo faſtidio, inutilique pondere liberaret. Nemo fuit, cui hæc verba uberes lachrymas non excuſſerint, omnes enim eximiam illius ſanctitatem mirum in modum venerabantur. At Quæſtor metuens ne poſt obitum Roſæ de condendo tanti funeris theſauro lis inter Paræciam, & Sancti Dominici Cœnobium exurgeret, nec auſus modeſtiſſimæ Virgini honorificum illud periculum aperire, ingenioſo conſilio dixit, obtinendæ apud Fratres Prædicatores ſepulturæ deſiderium potiùs mendicando, quàm teſtando innueret: quod ipſa præſtitit, eum ſui Ordinis eſſe morem exiſtimans, & veluti indignam expelli ſe poſſe timens, niſi hoc infimis precibus impetraret. Sub vitæ finem crebriora Virgini fuere dulciſſimorum raptuum intervalla, quibus paratæ cæleſtis gloriæ ſapores jam delibabat, & iiſdem gradibus, quibus debile corpuſculum fatiſcebat in mortem, animus in vigorem, & ſecuram hilaritatem attollebatur; adeo ut auctam in ſingulas horas lætitiam nec voce, nec vultu diſſimulare jam poſſet. Paucis ante obitum horis ab humanarum rerum exilio in ſe regreſſa, P. Fr. Franciſco Nieto ingenuè, ac ſecretò dixit: Oh quàm excelſa, quàm pretioſa, jucunda, eximia tibi de ſuavitate Dei, de læta ipſius curia, de regione æternitatis narranda haberem! Pergo nunc cum tripudio ad perenniter contuendam pulcherrimam illam faciem, quam toto peregrinationis meæ exilio quæſivi. Omni deinde officio parentes, quoſque parentum loco habuerat, Gundiſal-

ſal-

Digitized by Google

ſalvum, ejuſque conjugem, eſt proſequuta: tum germanos fratres ſenſim, deinde Quæſtoris filias, tum reliquos domeſticos efficaciſſima oratione ad amorem virtutis inflammavit. Media nocte clamor factus eſt, & Sponſus venit, quem Roſa vultu ſereno, & hilari excepit: germano fratri innuit ſe migrare, & cervical ſubtrahi juſſit; ut capite ad nudum lignum acclinato delibaret Crucis incommoda: &, Jeſus, Jeſus mecum ſit, dulciſſimè ingeminans ad illum evolavit.

CAPUT XX.

Roſæ funebris pompa, ac tumulus: ejuſdem ſepulcrum Ordinarii auctoritate mutatum ſolenni Corporis translatione, & ingens fama ſanctitatis. Eadem in Sanctos a Clemente Decimo Pont. O.M. deſcribitur.

Vividus faciei color, labia rubentia, & in riſum diducta, ambiguam fecere aſtantibus Roſę mortem, donec adhibito ſpeculo patuit nullum in ea ſupereſſe halitum. Tunc omnes repentino prodigio pervaſit arcanus lætitiæ ſenſus, ac tota domus viſa eſt innatare gaudio nuptiali. Ex aſtantibus una vidit numeroſâ Angelorum coronâ Roſæ lectum circundari, eademque juratò affirmavit, ante fœlicem Roſæ tranſitum fuiſſe a Chriſto revelatum, Virginis mortem fore admirabilem, & ſepulturam glorioſam, & vetuiſſe, hilari funeri circumponi pannos lugubres, ſed imperaſſe, ut nivei, quique triumphum decerent. Ac triumphantis quidem in morem deducta ad tumulum Roſa fuit, namque vix dies illuxerat, cum ad Quæſtoris ædes innumera hominum vis accurrit, mirantibus domeſticis, unde, aut quo pacto nuntium defunctæ & calentis adhuc Roſæ tota Urbe diffundi potuerit. Circumfuſi promiſcuè nobiles, ignobiles, advenæ, cives, Indi, Hiſpani certatim Roſaria ſancto Corpori applicuerunt: Hic flores veſti impoſitos diripere, hic veſtis extrema, hic pedes raptim deoſculari. Tentaverant pluries oculos defunctæ Virginis obtegere adductis palpebris, ſed fruſtra, nam ſenſim recedentes liberum columbinis pupillis aditum dabant, ut Limenſes ſuos dulciter intuerentur. Niſi Prorex armatæ ſuæ cuſtodiæ cohortem prætoriam eò deſtinaſſet, explicare ſe domo funebris pompa non potuiſſet: adeo turba innumera compleverat atrium, ambulacra, & angulos omnes: Quin & areas, fora, vicos, quà tranſeundum erat, aliquot ante horis occupaverat. Ideo Archiepiſcopus, qui prodierat funus deducturus, ad Gundiſalvi ædes eluctari diffidens, rectà perrexit ad Templum Divi Dominici, ibique ad valvas Virgineum funus præſtolatus eſt. Interim ſacra omnia Sodalitia, Religioſæ familiæ confluxere, & ipſum Metropolitanum Collegium præter morem ultro adfuit; namque ſolùm Archiepiſcopos ſolet efferre. Acceſſit ampliſſima Curia Senatorum, qui honos defunctis Proregibus præſtari ſolet. Matronarum ambitioſa pietas, & viſendi ardor feneſtras, pergulas, arcus occupaverat: & certè nunquam aliàs ſic viſa eſt univerſa civitas commoveri. Suppoſuit humeros feretro Capitulum Metropolitanum, deinde mutatis vicibus Curia Senatorum, mox primores ex Religioſis Ordinibus. Feriebant ſydera clamores Sanctam nuncupantes Roſam: & niſi haſtatorum bipennes quaſi ſepem objeciſſent corpori, pars illius exigua templo fuiſſet illata. Ut limen attigit, nova jucunditate exhilareſcere viſa eſt Virginea facies, & in Sacello, cui a Roſario nomen eſt, prodigioſa imago Deiparæ repentè fulgore inſolito micuit, & manifeſtis lætitiæ argumentis viſa eſt excipere Roſam ſuam. Mox eò confluxit torrens ingentis populi; cumque omnes viderint ſplendores inſuetos, fuerunt etiam, qui ſuſpicarentur, imaginem portentoſo ſudore maduiſſe. Tumulum Roſæ circumſidebant Patres dignitate, & ſenio graviores, tum ne theſaurus ille diriperetur, tum ut eidem admoverent debiles, & claudos, qui ſpe obtinendæ ſalutis accedebant, neque ſpe fruſtrati ſunt, ut conſequenti capite palam fiet. Ponè conſtiterat haſtata Proregis cohors, ut confuſam molem irruentis populi diſtineret, ſi poſſet. Sepulcro tradere ſacrum corpus deſtinabant Patres, cum tanta inſonuit populi vociferatio, ut ſuperſedendùm fuerit: & niſi certa ſpe lactatus fuiſſet populus, domum nemo ſe recepiſſet. Sed turbâ, quæ templum inſederat, dilapsâ, confluxit alia, & Archiepiſcopus nutu, namque vox audiri non poterat, juſſit corpus Virginis in ſacrarium deportari; cumque nec ibi eſſet in tuto, raptim inferri adytis Novitiorum. Ibi Præſul fuſus in genua manum Virginis religioſè oſculatus, eam in ſingulis digitorum articulis, perinde ac ſi viveret, tractabilem ſenſit. Poſtridie laxatis templi foribus, & relato Virgineo corpore, undatim irruit admiſſus populus: neque incolæ tantùm, ſed & remotiores accolæ, qui a ſex, & amplius leucis accurrerant. Proregis milites impetum frænare non potuerunt, ideoque omnis ætas, & ſexus,

ſexus, ad feretrum eluctari contendit: hic calculos precarios, alius ſudaria, numiſmata, & quidquid ad manus erat, contingendo ſacro corpori prætendebat. Turba languentium penè cum jurgio feſtinabat ad acceſſum: pueri per obſtantium capita ſublimes mittebantur ad contactum ſalutis: & vix ipſum corpus ſervari potuit, cum, velis, capillis, & veſtibus direptis, ſexies mutanda Roſæ fuerint indumenta. Reſonabat undequaque templum perpetuis vocibus Sanctam proclamantium, & pulſu, ac tintinnabulis ſignum dabatur choro, cum reſpondendum erat Sacerdoti piaculare ſacrum de more ad aram facienti. Sed niſi cantores choro egreſſi ipſum altare circumſtetiſſent, conſummata non fuiſſent Divina myſteria. Antiſtes e throno progreſſus ad feretrum ultimam efferendi ad tumulum corporis pompam adornabat, cum iterum validioribus ingemuit clamoribus ſtipata turba, rurſus denſato cuneo undique irruit in ſuggeſtum, ideoque præſens periculum direptionis divertendum fuit oblata populo dilatione ſepulturæ. Confirmavit ſpem pulchritudo, & ſuaveolentia Virginei corporis, quæ, nullum fore periculum, ſpondebat; ſi vel in plurimos dies publico conſpectui ſupereſſet. Per ſex horas ſupra triginta idem perſtiterat oris decor, oculorum patentium fulgor, & candor manuum: nulla inſederat vultui fuligo ſub aere tam humido, calido, & ex concurrentium fluctibus pulverulento. At mirifica Cæleſtis odoris fragrantia ſpirans a ſacro corpuſculo poſt decem & novem menſes recreavit illos, qui exhumatam Roſam nobiliori ſepulcro crediderunt. Sub meridiem clauſis templi foribus, & eluſa ſpe populi redituri, conditum eſt Roſæ corpus in præparata e cedro arca, & in æde Capitulari ſepultum. Ut primùm fores patuere, irruit unda populi, & Sanctam inclamans, pulverem ſepulcri, terramque certatim aſportavit. Inde continuo fluxu rhedarum paterna Roſæ domus frequentari cæpit a nobilibus viris, qui hortenſem cellulam venerabantur, quam Virgo ſolitudinis ſtudiò inhabitaverat. Eximia prodigia, quæ palam creſcebant, mirum in modum commendabant populo ſepulcrum Virginis, cui nondum videbatur exhibitus debitus cultus. Idcirco ſolenniores inſtaurare exequias, quibus ipſe Prorex intereſſet, ſtatutum fuit, cumque diu inter illum, & Archiepiſcopum amica quæſtio agitata fuerit, eò quòd præſtituta dies, & ſæpe variata, ſemper alterutri incommoda accideret, tandem ambo in quartam Septembris convenerunt, omnino inſcii, eam Sanctæ Roſæ Viterbienſis honori dedicatam eſſe. Tota iterum ſedibus ſuis emota civitas templum implevit, & dum Sacerdos Numini commendabat Roſam, voce non impari ſeſe populus commendabat Roſæ, cujus fama celeberrima brevi totius regni oppida permeavit. Potosì trecentis leucis Limâ diſſitum in communem gratulationis impetum efferbuit: ſonuere in turribus æra campana, micuere lumina, & tota paſſim regio Peruana Roſam celebravit, a qua cuncti populariter ſibi ſuffragium pollicebantur: neque tractu temporis elanguit populi ardor; namque miraculorum celebritas, & multitudo in dies ad inviſendum Roſæ ſepulcrum plures accerſebat. Ideo cum tota Urbs, & vulgus pariter, & utriuſque ordinis principes affirmarent Roſam communem Limenſium theſaurum publico deberi, Archiepiſcopus omnium ardentiſſimo ſtudio libenter annuit, & initio anni 1619. prodiit e ſepulcro Virgineum corpus incorruptum, & ſuaviſſimum odorem inhalans. Celeberrimâ pompâ delatum fuit in templum, ubi egregius orator de admirabili Roſæ ſanctitate verba fecit: ac tandem illata Virgo fuit cryptæ ad dexteram ſummi Altaris, ubi cum nimium gliſceret populi turba, namque omnes ad ſepulcrum Virginis velut ad ſecundam aram ſubitò convertebantur: hìc perpetuus tumultus erat offerentium vota, ſuſpendentium anathemata, deponentium ſcipiones, conſulendum fuit reverentię ſacri Tabernaculi translatis exuviis Roſę in Sacellum Sanctę Catharinæ Senenſis. Interim Limam pervenere literæ Apoſtolicæ, quibus deſignati judices tribunal ex formula Sacrorum Rituum erexere, ut examen inſtituerent de vita, & geſtis Ancillæ Dei Sororis Roſę a Sancta Maria. Adfuere teſtes 183. cumque ſolùm ſupereſſet inſpectio reliquiarum, delegati ad hoc munus repererunt Virgineum corpus expleto poſt obitum anno ferè jam quintodecimo, oſſibus integris, & ſicca hinc inde carne obductis, ſpirans odorem, quo fragrant ſiccatæ ad ſolem Roſæ. Hinc aulam Capituli adiere luſtraturi primum Virginis ſepulcrum, e quo certatim religioſi homines hauriebant pulverem ad varia morborum genera depellenda; cumque non niſi quinque pondo terræ viſa ſint eruta, aliunde conſtitit, complures modios ex illomet foramine fuiſſe effoſſos. Sed cum exinde Procurator Generalis Ordinis Prædicatorum admonuiſſet Limenſes Patres, habendam eſſe rationem Conſtitutionis Urbani VIII. qua viris nondum

Digitized by Google

dum albo Beatorum aſcriptis Apoſtolica authoritate publicus honor interdicitur, illi intempeſtivum cultum Venerabilis Roſæ abolendum cenſuerunt. Populus ſacellum queſtibus implevit, & ſparſo in vulgus rumore, clam in Hiſpaniam delatum eſſe Roſæ corpus, non leve periculum imminuit Religioſis viris, qui non ſine labore compeſcuere turbas, oſtendentes, ita conſulendum illuſtrioribus Roſæ honoribus, qui ab Apoſtolica Sede ſperabantur. Et his quidem prælufit eximia Fama Sanctitatis, quæ omnes rapuit in admirationem Roſæ. Nimium quantum protenderetur hoc qualecumque compendium, ſi elogia præſtantium virorum hic ſubnecterentur. Non tantùm ſacra Divi Dominici Familia literis communi nomine datis Sanctam illam, admirabilem, clariſſimis illuſtrem miraculis, & prophetico ſpiritu, inque omnibus Divæ Catharinæ Senenſi ſupparem dicit, ſed & Limenſe Cœnobium Patrum Sanctæ Mariæ de Mercede, & Nicolaus Maſtrillus Duran Provincialis Societatis Jeſu communibus ſuorum votis, & Sacer Ordo Sancti Joannis Dei, & PP. Eremitarum Sancti Auguſtini, & Minorum Sancti Franciſci, & Eccleſiæ Metropolitanæ Limenſis nomine datæ literæ Summum Pontificem infimis precibus exorant, ut in Sanctos referat Roſam, & tutelarem Limæ concedat: Ejus virtutes enumerant, ac notiſſimam Sanctitatem, & admiranda prodigia. Addenda hic eſſet relatio perhonorifica, qua Eminentiſſimus Princeps Decius Cardinalis Azzolinus in Sacra Rituum Congregatione coram Alexandro VII. die 15. Septembris 1663. Roſæ virtutes enumeravit, & ſupplices literas novem diverſorum Ordinum, ac illuſtrium virorum Limenſium, tres Regis Catholici, tres itidem Eminentiſſimi Cardinalis de Aragonia, & binas Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum, & perſeverantiam, & augmentum famæ Sanctitatis, & cultum Populorum, quem amplificatum dicit Miraculis ſupra centum novendecim ex proceſſu remiſſoriali auctoritate Apoſtolica confecto. Exinde religioſiſſimo examine de admirabili Roſæ vita, & prodigiis illuſtribus cum liquidò conſtitiſſet, eadem a Clemente Nono in Beatarum Virginum faſtos relata fuit, honoribus illi conſequenter indultis, qui tribui nunquam conſueverunt nondum inter Sanctos recenſitis: præſertim verò eidem collato præcipuo Patrocinio plurium Regnorum, & univerſæ Americæ. Tandem a Clemente Decimo Pontifice Maximo non ſine incredibili utriuſque Orbis plauſu, poſt nova, & præclara ab incomparabili Virgine perpetrata Miracula, primus hic Americæ flos, jamdudum Cœli viridariis inſitus, ſupremo Sanctorum cultu donatus eſt anno reparatæ ſalutis 1671.

CAPUT XXI.

Roſa poſt mortem & ſæpiſſimè, & multis apparet glorioſa. Eadem in ſceleſtorum converſionibus, & obſtinatione cordium emollienda mirabilis.

PRæfari libet, hæc etiam, quæ conſequuntur, prodigia ex authenticis proceſſibus Signorum, Gratiarum, & Miraculorum fuiſſe delecta. Aloyſia de Serrano, ut ſæpiſſimè Roſam immortalem vidit, ita ſemel præſertim inter agmina Beatorum a Deipara Virgine deductam ad ſolium Divinum, & immenſæ gloriæ coronâ decoratam. Teſtatum reliquit coram Apoſtolicis Judicibus Quæſtor Gundiſalvus, viginti, & duabus vicibus Sancto Viro conſpicuam fuiſſe gloriam Roſæ: quæ pariter Doctori Joanni Del Caſtillo videndam ſe præbuit in fulgidiſſimo lumine, roſis undique circundatam. Deinde verò pluſquam quinquagies eidem illuxit, multa, ac ſublimia illi ediſſerens de fœlicitatis ſuæ excelſo faſtigio; quin idem poſtrema teſtificatione anni 1631. perſanctè aſſeveravit, integro ſex menſium ſpatio interdiu, noctuque ſe divinitus admiſſum ad tantæ beatitatis ſpectaculum, ac deinde Cœleſti Ephæbo a Roſa imperatum, ut ſuas vices obiret. Quamplurimis aliis notæ Sanctitatis Roſa videndam ſe obtulit, nunc Cœli viridaria cum Chriſto perambulans, nunc eidem Limanam Urbem, & Regnum Peruanum commendans, nunc vultu hilari, & jucundo nutu probans ea, quæ referebantur in tabulas a Quæſitoribus virtutum ſuarum, nunc adornans conclave, chartam dirigens, & graphiaria inſtrumenta Tabellionibus diſponens excepturis ea, quæ teſtes proferebant in commendationem ſui, & ridenti ore viſa gratiam pro obſequio ſibi exhibito ſpirare. Fuit etiam, quæ nocte concubia hæc verba audivit: Roſa verè Sancta eſt: quibus confirmata ſunt ea, quæ de Roſæ virtu-

Digitized by Google

tibus juratò protulerat. At Didaco Hyacintho Paceco, qui ex quotidiano hypographicæ artis lucro victitans juſſus fuerat in cauſa Venerabilis Roſæ bis mille folia proceſſuum, ut dicunt, ſeu actorum intra certum tempus ſcribendo abſolvere, jamque deſperabat, ſe oneri parem fore; adeo laſſabantur digiti, ſtupebat brachium, divaricabantur nervi, in ſomnis Roſa ſe ſcribæ ſuo exhibuit, & leniter accedens, dexterum jacentis brachium comiter arripuit, validè ſtrinxit, & evigilans Pacecus ſcripſit ab aurora uſque ad ſolis occaſum, nulla digitorum laſſitudine, nullo cruciatu nervorum, brachio leviſſimo, & ſupra modum expedito. Perrexit deinde reliquos dies ſcriptioni laborioſæ citra laborem impendere, attonitis quicumque Pacecum noverant, ejuſque pulcherrimum characterem tot chartis illitum viderunt. Decumbebat in Limano Cœnobio P. M. Auguſtinus de Vega Ordinis Prædicatorum tunc Peruviæ Provincialis, jamque de hominis vita conclamatum erat, cum Roſa Chriſtophoro de Ortega ſuis in ædibus dormienti imperat, primo diluculo Cœnobium adeat, & Provincialem moribundum conveniat, denuntians, nequaquam illum tunc e vivis abiturum, ſed aliquandiu ſub Epiſcopali infula in vinea Domini laboraturum, quod re ipſa contigit. Celeberrima ſcelestorum apud Deum cauſidica, ut convertantur, & vivant, Roſa fuit. Quamplurimi ad ſolum Virginei corporis in feretro contactum ita fuere doloris ſtimulo perculſi, ut ibidem cœperint coram populo elatis vocibus ſua ſcelera deteſtari: & inter eos nonnulli juvenes inquinatæ vitæ, qui eo ſolùm conſilio venerant, ut defunctam pulcherrimam Virginem intuerentur. Frequenter deinde ad Mariam de Oliva Roſæ matrem ivere complures, etiam ex Religioſis Ordinibus, ut illius egeſtatem aliquo ſubſidio recrearent, profeſſi, hoc ſe tributum pendere Roſæ, cui debebant fœlicem ſuæ vitæ permutationem. Quidam profligatæ conſcientiæ vir nunquam toto ſacrilegæ vitæ ſuæ decurſu rite confeſſus, ab alterius pietate Roſæ commendatus, ab annoſo conſcientiæ lethargo evigilavit, adeoque animum, quem callus obduxerat, timor Domini emollivit, ut deinceps umbram ſceleris horruerit. Ex concordi plurimorum, qui Confeſſiones exceperant, teſtimonio liquidò conſtitit, poſt imploratum Roſæ in Cælo auxilium innumeros tum Limæ, tum in univerſo Regno ex voragine ſcelerum emerſiſſe: quod beneficii genus inter præſtantiora ſolidæ Sanctitatis argumenta ex communi Sanctorum Doctorum ſententia meritò recenſetur. Quid, quod Limæ paucis a Virginis obitu diebus frequenter elutis animi ſordibus Divina paſſim Convivia celebrabantur: flagella, ſetarum cingula, & varii generis cilicia ob emptorum multitudinem ſubitò defecerunt. Inſignes animorum harpyæ luxuriæ cæno emerſæ in calle virtutis conſtantem fixere pedem. In univerſa Peruana regione Sacramentalis pœnitentiæ adminiſtri communicatis indiciis obſtupuere tantam morum mutationem in populo a die, qua Roſa in Sponſi ſui Regno cœpit agere cauſam civium ſuorum. Fœminæ certatim abjecere veſtium luxum: Religioſa clauſtra cruentis flagrorum ictibus perpetuò perſonuerunt: Confeſſariorum ubique ſedilia planctu, & gemitibus ſunt obſeſſa: & vir graviſſimus juratus aſſirmavit, ex quo Peruvia noſtris detecta patuit, nullum inclaruiſſe Divini verbi Concionatorem, qui tam univerſalem pœnitentiæ ſpiritum, & luculentum pietatis incendium excitaverit. Et egregiæ quoque virtutis viros ad ſtudium ſanctitatis accendit: veluti Patrem Joannem de Villalobos Rectorem Tyronum Societatis Jeſu, qui cum a moritura Roſa poſtulaſſet, ut ſe traheret in odorem virtutum ſuarum, ab ejus obitu ſenſit arcanas cordis ſui unctiones, & ſtricturas inſolitas luminum divinorum. Quid, quod & quocumque libitum illi fuit, Roſa pertraxit animos rebellantes. Mariam de Xuara fœminam prædivitem, implacabiliter averſam privignis ſuis Franciſco, & Alexandro de Coloma, & eorum octo conſobrinis pauperrimis, ita emollivit exorata a Franciſco, ut conſequenti mane illico matertera reſciderit teſtamentum, quo aliis omnia ſua legaverat, & hæredes ex aſſe ſcripſerit, quos antea oderat mirum in modum. Ludovica Barba vix non exanimis concidebat, cum audiret a Confeſſario ſuo divinitus innotuiſſe Roſæ, quod ipſa religioſum habitum eſſet aliquando indutura; ſed illico a morte Roſæ Ludovica exarſit ambitu ſacræ veſtis, quam antea veluti Meduſæ vultum horruerat. Alteram Ludovicam de Mendoza, incertam, ac de Roſæ Sanctitate animo fluctuantem, repentinus angor invaſit, adeo ut manibus, pedibuſque mutilatam ſe crederet: gravior ejuſdem ſpiritum caligo, ac tempeſtas mentem obſedit, ac tur-

Digitized by Google

turbatum cor quodam veluti terræmotu ſuccuti cœpit; quæ omnia evanuerunt ſtatim atque elatis vocibus intonuit: Roſa verè Sancta eſt. Uſque adeo pro Sponſæ ſuæ honore certabat Sponſus ille Divinus, cui venti obediunt, & mare.

CAPUT ULTIMUM.

Roſæ defunctæ attactu, aut invocatione, mors, morbi, pericula depelluntur. Ejuſdem cingulum, veſtes, ſepulcro exemptus pulvis, & pictæ imagines phreneſim, cancrum, lepram, & omne morborum genus mirabiliter curant.

QVanuis perpetuum prodigium fuerit Roſæ vita, innumeris illam ad aliorum ſalutem miraculis decoravit Deus, quæ ſi omnia recenſerentur, procul a compendii legibus iret hiſtoria noſtra. Præſtantiora quædam ſufficiat indicaſſe, inter quæ principem locum tenet revocata ad vitam Magdalena de Torres filiola ſemeſtris Gregorii agricolæ, quæ cum exanimis a veſpere uſque ad poſteræ diei lucem jacuiſſet, jamque paratus effodiendo ſepulcro ſarculus aſtaret, attactu veſtis Roſæ illico viva, & ſana in lecto conſedit. Antonius Bran tribus menſibus cum febri, & angore pectoris congreſſus, tandem jacuit ſine motu, anhelitu, & ullo vel minimo ſigno vitali: nec vellicatione, vel pulſu ullum a gelido corpore potuit extundi argumentum ſuperſtitis vitæ, quam tamen poſt aliquod tempus in corpus revocavit Roſa ab aſtantibus implorata. Dum in templo ſuperfuit virgineum corpus, quamplurimis manifeſtam ſalutem attulit, veluti Eliſabethæ Duran, cujus brachium a multo tempore ſiccum, & inutile humana ope curari non poſſe, medici ſtatuerant: Et ſervus Aethiops, qui dexteri brachii, manuſque uſum ex plica & nervorum attractione amiſerat: Et Georgius de Aranda Presbyter, qui ob excepta in ſiniſtro brachio vulnera in bello Chilenſi, ſanie, convulſione, ac tumore attractam manum, vegetam, ſanam, & flexibilem reperit: Et Alphonſus Diaz mendicus toti Limæ notiſſimus, qui humili nixus fulcro, manumque, & pedem ex attractione inutiles per ſolum trahens, illico exilivit in pedes, poſtquam ad Roſæ tumulum oravit: Adrepſerunt & pueri duo Aethiopes, quorum alter nec palmum a terra erigere ſe, alter vix grallis utcumque librare ſe poterat, & Roſæ beneficio extemplò incolumes duxere per templum choreas. Pueros quamplures variis morbis implicitos repentè Roſa incolumitate donavit; ideoque certatim de manu in manum porrigebantur, ut ad ſalutiferum contactum pervenirent. Quid porrò enumerem revocatos a faucibus mortis adhibito cingulo, velis, particulis veſtium, aut aliis, quæ pia ſedulitas Roſæ corpori admoverat? Nullum penè genus ægrotationis eſſe reor, quo aliqui pertentati ſalutem Roſæ non debuerint. Et capite laborantes, & intolerabili cruciatu dentium, & oculis aliquandiu capti, & cancro peruſti, lepra, impetigine, apoſtemate, arthritide, hydrocela, angina ad ultimum vitæ diſcrimen adducti: Et ex alto in profundas foveas prolapſi, & ab equis ſuperirruentibus oppreſſi: Et qui mortem hauſerant in poculis venenatis: Et quibus non niſi ad dolorem, & onus luxata brachia, pedeſve ſupererant. At quos urebat ardentiſſima febris, tam præſentem Roſæ opem experti ſunt, ut omnem adnotandorum nominum diligentiam ſuperaverint: & Joannes Lobo Presbyter ſacramento coram Judicibus firmaverit, ſe diverſis locis, Chuquiſaquæ, Potoſii, Oruræ, alibi, flagitantibus promiſcuè omnis ætatis, ſexus, generis Infirmis præbuiſſe in potu vivificam terram, exemptam ſepulcro Roſæ, & illico in omnium conſpectu ferè innumera curata fuiſſe languorum genera, & febres præcipuè ſtatim abactas. Pepercerat hæc terra prodigioſè corpori Roſæ; namque cum Limenſe Cœnobium trecentos numeret Religioſos viros, ut aula Capitularis excipere poſſit omnia decedentium cadavera, ex agro Panamæ advecta gleba fuit tenuis, ſoluta, arenoſa, & innato calore ſubtiliter vorax, quò extemplo reſolvat oſſium duritiem, & ingeſta funera abſumat. Mirum dictu, unico, totoque illo ſpatio, cui ſacrum Roſæ corpus immiſſum fuit, gleba mutavit indolem, ac ferè pumicea ſoliditate in ſe coacta obduruit, ut ſolum ibi digitis, levique manu teri, aut frangi nequeat; quin ferro opus ſit, ut excavetur: non ſic reliqua illius cœmeterii ſuburra tritu facillima, tractabilis, fluida. Porrò in hoc Roſæ ſepulcro ad perenne humani generis beneficium viva ſalutiferi pulveris ſcaturigo latet, quod præſertim patuit anno 1632. cum poſt exportatos inde, totoque Regno diſtributos terræ cophinos, vix tria,

vel quatuor pondo cavo ſcrobiculo eruta viſa ſunt. Et cum Pater F. Bernardus Marques paucis ante diebus totum immiſiſſet brachium foramini, paulò poſt ſuccreſcente intus pulvere, vix manum immergere totam potuit. Sexenni Virgini muſculos gutturales inflammarat ſynanche, & chirurgus ulcere inſpecto negaverat, puellam curari poſſe; namque cancer ſe plagæ inſinuaverat, & eroſę carnes fruſtillatim ulcere excidebant, atque in dies ſerpebat malum. At epoto ſalutifero pulvere convaluit. Ab annis viginti Abbatiſſa Monaſterii Sanctæ Claræ miſerrimè torquebatur ex inflatione tibiæ, in qua ſparſim pluſquam quadraginta ulcerum hiabant ora; ſed & febrim per viſcera ſævientem extinxit, & vulnera clauſit pulvis hic ſalutaris. At quid ſingula enumerem? Fœminas præcipuè puerperii doloribus tabeſcentes præſentiſſimo auxilio Roſa ſæpiſſime recreavit. Idcircò quamplurimis pueris, ac puellis additum fuit cognomen a Roſa in perpetuum beneficii monumentum. Ipſa natura voluit aliquando ſupereſſe mnemoſynon beneficii a Roſa collati, veluti in Petro de Quixano, qui cum tranſverſim actus in utero matrem exanimaret, ope Roſæ prodivit ſtatim, pictam gerens in dextera palpebra roſam. Et aliàs huic novi Orbis Thaumaturgæ obtemperarunt mutatæ naturæ vices, ut quando tauros ferociter irruentes compeſcuit, & piſcibus imperavit, ut in retia confluerent, & puellæ decenni vires addidit, ut pondus erigeret, cui quatuor robuſti bajuli impares fore credebantur. Quin etiam mentem aliquibus ab ejus ſtatu dimotis illico redonavit. Hinc univerſæ Peruviæ incolis commune ſtudium fuit, in prodigioſæ virtutis memoriam paſſim per ædes Roſæ effigiem erigere, cujus oſculo quàmplurimi cum morte luctantes, enormiter ſaucii, per humum ſolutis membris repentes, ſalutem illico receperunt. Ex his imaginibus aliquæ pallentem Roſæ vultum referentes viſæ ſunt venuſtè in genis rubere, & blando fulgore hilaritatis ſuæ omnium animos accendere ea die, qua publicè perlectæ ſunt Apoſtolicæ literæ compellentes undique illos, quibus innotuerant Roſæ prodigia, ad eadem Sacris Judicibus deferenda,

FINIS.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS LAURENTII LUCCHESINII

Lucenſis e Soc. Jesu

Sacræ Congregationis Rituum Conſultoris

ORATORIA PARADOXA.

TOMUS PRIMUS,

IN QUO

PROLUSIONES

ACADEMICÆ.

Editio Altera.

Digitized by Google

Digitized by Google

MICHAEL ANGELUS
TAMBURINUS
PRÆPOSITUS GENERALIS
SOCIETATIS JESU.

CUM Librum, cui Titulus: *Oratoria Paradoxa: in Duos Tomos diviſum, Authore P. Joanne Laurentio Lucchesinio Societatis noſtræ Sacerdote*, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut Typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur: cujus rei gratiâ has Literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 28. Martii 1713.

Michael Angelus Tamburinus.

Reimprimatur,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

N. Archiepiſcopus Capuæ Viceſgerens.

Digitized by Google

APPROBATIO

Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini

D. LUDOVICI SERGARDI

Sacræ Conſultationis Ponentis, Signaturæ Gratiæ Votantis, &c.

REVERENDISSIME PATER.

PErlectis Oratoriis Paradoxis Patris Joannis Laurentii Lucchesinii (cujus celebre Libris hactenus editis Nomen) Romani Sermonis Nitorem, Sententias, Ingenium, Eruditionem, ac Doctrinam, ſum planè admiratus. Quapropter totius Literariæ Reipublicæ bono Lucubrationes hujuſmodi publicâ lucis uſurâ digniſſimas cenſeo.

Ludovicus Sergardus.

Reimprimatur.

Fr. Gregorius Selleri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter Ordinis Prædicatorum.

CAN-

Digitized by Google

CANDIDO LECTORI.

OBTEMPERANS voluntati Maximorum Virorum, ex plurimis, quæ ſoluta ſcripſi Oratione, ſeligo Paradoxa hoc in Volumen referenda, cum jucundiora hæc ſoleant accidere Lectoribus eruditis. Hac Paradoxum Definitione complector: *Admirabilis Veritas, quæ prima fronte præſefert ſpeciem falſitatis*. Illa nimirum ſolummodo veritas, quæ apta ſit parere admirationem, Paradoxum cenſetur: quæque cum primò menti obiicitur, toto videtur cælo a veritate diſtare.

(1) In quatuor autem Claſſes Paradoxa partimur; quædam enim ex ipſis demonſtrandam ſuſcipiunt Veritatem Propoſitionis, quæ Contradictoriis contexta vocibus videatur: quædam, quæ Contrariis: aliæ, quæ Diſparatis: ultima, quæ generatim Expectationi repugnantes res oſtendendas aſſumit.

(2) Primæ Claſſis exemplum præbet Oratio de Chriſti Domini Cruciatibus, afferenda in altero Tomo, cui titulum præfiximus: *Inſaniens hominum Prudentia extincti Numinis rea*: & omnia revocavimus ad res hiſce nominibus ſeſe invicem deſtruentibus expreſſas, ad Prudentiam ſcilicet, quæ plurimis de cauſis comperta ſit imprudentiſſima, & inſaniens in iis omnibus, quæ ad necem inferendam Aſſertori noſtræ ſalutis mortalium dementia fuit aggreſſa tanquam ſuæ utilitati obtinendæ maximè conſentanea. Ex Contradictoriis quoque vocibus conſtituitur Propoſitio unius ex Orationibus de B.Aloyſio Gonzaga, qua ſtatuimus, *Amantiſſimam fuiſſe illius ab Amore Divino fugam, & cæteris ejus dotibus anteferendam.* Perinde cum laudavimus Panegyrico Joannem Wilhelmum Ignatium Neoburgi, Juliæ, Cliviæ, Montium, Principem, profeſſi ſumus *illum celebrari non poſſe*.

(1) Eorum, quæ a Contrariis proficiſcuntur, multiplex dedimus ſpecimen, v. g. duplici Proluſione aggreſſi ſumus evincere, quod *Satyra præclarè commendet, & Laudationi præſtet in genere exornativo*. Alterâ, quod *Poeticè philoſophandum ſit, ut verè, ac optimè, philoſophemur*. Aliis, quod *Ab Argumentis, quibus Morum Philoſophiam impetunt Sapientiſſimi Viri, plurimùm augeatur illius gloria*: quodque *Ars Grammatica ob eadem nomina, propter quæ deprimi ſolet, extollenda laudibus ſit*. Ex Panegyricis porrò huc pertinet ille de S. Athanaſio, quo ratiocinando confecimus, *Perhonorificas fuiſſe congeſtas in illum Criminationes, eò quòd ab iiſdem eruantur ejus Præconia*. Et, *Heroicam Magnanimitatom objurgatione dignam fuiſſe in Clemente X. Pontifice Maximo Sacrum Imperium recuſante*. Et, *Pugnantium cum ſingularum Victoria Virtutum Triumphum fulſiſſe in Cæſare Cardinali Raſpono*.

(2) Paradoxum oritur a Diſparatis, cum ſolerter rem aliquam, quæque rem circumſtant, introſpiciendo decernitur, maximum nexum intercedere inter ea, quæ cognatione nulla videntur inter ſe coaleſcere. Hujuſmodi ſunt ſex in longum productæ Nuncupatoriæ Epiſtolæ Operum, quæ licet ad magnum aliquem Principem vix ullo pacto, aut etiam nullo, pertinere videantur, plurimæ tamen inveniuntur cauſæ, ob quas illi præ cæteris ſint conſecranda: Præſertim verò ſi Cauſæ ſint ejuſmodi, quæ longiſſimè a vero diſtantes appareant eas primò intuentibus: Ut cum eximio Rhetori, ac Thelogo præcipuè dedicanda eſſe monſtravimus Volumina de Juris Prudentia pertractantia. Has porrò ſex idcirco ſelegimus in ſpecimen cæterarum, quas verè pluſquam centenas eodem qualicumque artificio pro Typographis, aut nobis ipſis exaravimus, quia

Tom. IV.

(1) *Quatuor Paradoxi Claſſes.*
(2) *Exempla Primæ Claſſis.*

(1) *Exempla Secundæ.*
(2) *Exempla Tertiæ.*

Digitized by Google

Maximi, quibus conſecrata ſunt Opera, Principes cenſuerunt amplum in ſingulis illis Epiſtolis Panegyricum fuiſſe contextum. Diſparatæ pariter ſunt Propoſitiones plurimarum Orationum, nimirum: *Ex eo, quod reliqui Apoſtoli ſuſpicati ſint S. Joannem non moriturum, liquere de mirificis ejuſdem Dotibus. D. Athanaſium Exemplar, Auſpicem, & Cauſam fuiſſe referendi de Turcis Triumphi. Ejuſdem Maximi Herois Acta fuiſſe augurata Chriſtianorum de Barbaris Victorias. D. Gregorium Nazianzenum perpetui Latinos inter, & Græcos, Fœderis Conciliatorem eſſe. Multiplici de cauſa S. Gregorium Theologum in Vaticano Templo tumulari voluiſſe. Eumdem Conſtantinopolis Præſulem recuperandæ illius Urbis Chriſtianis Principibus Authorem fore. Brevem Vitæ uſuram indultam B. Aloyſio Argumentum eſſe maximæ illius Sanctitatis. Inſigni Sanctimonia præditum fuiſſe B. Aloyſium, quia Ticinum pluviis intumeſcentem incolumis tranſivit. Bellicâ gloriâ præ cæteris omnibus Gonzagis Heroibus B. Aloyſium inclaruiſſe. Ex eo, quod omnium primus pro Chriſto Domino S. Stephanus Mortem obiverit, eumdem omnibus Fidei Teſtibus anteferendum eſſe.*

(1) Ab Inexpectato demum in genere petitur Paradoxum, cum Theſis illa, vel Hypotheſis probanda ſumitur, quæ communi expectationi repugnet, licèt Propoſitionem nequaquam præſeferat, quæ conſtet ex vocibus Contradictoriis, Contrariis, aut Diſparatis. Ut ferè omnia pulcherrima Ciceronis Paradoxa: *Solus Sapiens liber*: & alia Stoicorum ab ipſo demonſtrata. Et præclariſſimum illud eloquentiſſimi S. Joannis Chryſoſtomi: *Nemo læditur, niſi a ſe ipſo*. Inter hæc referri poſſunt multa, quæ ſubiiciemus, videlicet: *Ciceronem Scriptoribus omnibus acutè dictorum copiâ præſtitiſſe. Eumdem fuiſſe omnium breviſſimum Oratorum. Ut optimè ſtatuatur Heroici Carminis Idea, recedendum in multis eſſe ab imitatione Virgilii Poetarum Principis. Brevem hominis Ætatem non eſſe ad Sapientiam comparandam. Gloria, Jucunditate, ac Honeſtate prope Divina Sapientiam Dominationi præſtare. Ditiores, ac Potentiores Regibus eſſe Sapientes Viros. Pluribus curis urgeri vacantem ſemel quotidie Rhetorices Inſtitutorem, quàm Philoſophiæ, cui vacatio quotidiana non indulgetur. Encyclopædiam neceſſariam eſſe, neque inſignem quemquam eſſe poſſe Philoſophum, aut Theologum, qui Arte quoque dicendi non emineat: nec excellere quemquam Oratoria poſſe, vel Poetica facultate, qui fontes non exhauſerit omnes Humanæ ſimul, ac Divinæ Scientiæ. Ad Ciceronem Demoſtheni anteferendum Græcos adigi. Heroicam Fortitudinem in ipſis quoque Terræmotibus fulgere poſſe. Nullam Improbis ineſſe Prudentiam, & ne ipſam quidem Aſtutiam concedendam Nicolao Macchiavello. Suum ipſis quoque Cælitibus eſſe Sanctiorem Annum. Manifeſtas eſſe Dotes D. Athanaſii Maximi ſupra reliquos Eccleſiæ Divinæ Doctores. Inſtauratorem Mundi potuiſſe cenſeri Gregorium Tertiumdecimum Pontificem Maximum. Redivivas fuiſſe ſpectatas in Clemente Decimo Heroicorum Pontificum dotes.*

(1) Ex hiſce quatuor Paradoxi Claſſibus, quæ omnes Oratorem decent, parum congruere cenſuerim Poetæ, Philoſopho, aliarumque Profeſſori Doctrinarum primas duas, in quibus nimis extat, & eminet artificium. Eædem, licet Veritati conſonæ oſtendi queant, nihil tamen neceſſe eſt, imò etiam abſonum videtur Laudationi apertè initæ a Vatibus, & Veritati a Philoſophis, aliiſque ex inſtituto quæſitæ, hanc ſipario illo apparentis Contradictionis, aut Contrarietatis involvere. Duas autem alias a Diſparatis, & Expectationi repugnantibus, opinor, Poetæ, ac graviorum Tractatori diſciplinarum ſummopere conſentaneas, cum ad illos pertineat e tenebris eruere nexum, qui res inter ſe componit, quamvis ille ſit incognitus vulgo. Eorum præterea eſt munus ratiocinando ſtatuere, quod Veritas illis inſit, quæ a communi ſunt Expectatione plurimùm aliena, ideoque, cum proponuntur, inſcientium admirationem exuſcitant.

(2) Tertiam, quæ a Diſparatis oritur, Paradoxi ſpeciem excolentes, centum eruimus totidem Epigrammatis Virtutes Clementis X. Pontificis Maximi *ex Cæleſti Proteo*, ex Cælo videlicet primò nubibus obſito, tum pluvio, mox ſereno, mane illo, quo triplici corona fuit ornatus. Centum alias attulimus cauſas, propter quas feſto Beati Stanislai die natus fuerit Filius Joannis Baptiſtæ Principis Pamphilii. Totidem Diſtichis expendimus nexum Nivis ſupra Urbem devolutæ cum con-

(1) *Exempla Quartæ.*

(1) *Quænam Paradoxa congruant gravioribus ſcientiis.*

(2) *Paradoxa a Diſparatis apta Poeſi.*

Digitized by Google

conſecrata D. Sylveſtro luce, qua cælo delapſa fuit. Heroico quoque extemporali Carmine incluſimus Dotes omnes Clementis IX. Pontificis Maximi derivatas ex eo, quod *in ejus Inauguratione Iris ſupra Vaticanum Templum effulſerit*. Et Poetico pariter, fuſo ex tempore, Panegyrico celebravimus Exortum Delphini Ludovici XIV. Chriſtianiſſimi Regis Filii ex eo, quod *Nubes Lunam cælaverit, cum feſti ejus in honorem Ignes exhiberentur*.

Cum de Paradoxo agere inſtituerimus, cujus amorem excitari Lectorum in animis operæ pretium cenſemus, æqui bonique conſultum iri ab eorum humanitate ſperamus, ſi indicaverimus, Artem hanc Paradoxis Novitatem aliquam cæteris in Doctrinis inquirendi nobis arriſiſſe; utcumque deſtitutis præſidio ad Paradoxa ipſa pro dignitate tractanda. (1) In Morali ergo Philoſophia plurima decrevimus communi perſuaſioni repugnantia: v.g. contra Philoſophum oſtendimus, Juvenes mirificè idoneos eſſe, qui Morum diſciplinâ penitus imbuantur, adeoque ad hanc aptos, ut illis præcipuè tradenda ſit nobiliſſima ejuſdem pars agens de Virtutibus Heroicis, ad quas ipſi magis, quàm ſenes, plerumque anhelent. Tum ad demerendam amatorum Ariſtotelis gratiam, (quorum nulli primas concedimus) plena in illius commendationem expandimus vela, multò plura illi tribuentes, quàm communis potuiſſet Expectatio præſtolari. Poſtquam enim Paradoxi alterius veritatem vendicavimus, videlicet quod Virtutis Heroicæ natura non explicetur aptè a pleriſque per Comparationem cum conſueta virtute cæterorum proborum hominum, maximamque præſtantiam ſupra illam: oſtenſuri, quod ejuſdem Heroicæ Virtutis menſura quærenda ſit a ſimilitudine Divinæ *pluſquam Virtutis*, (ſic enim illam nuncupat Philoſophus, quem ferè unicum in ea Tractatione ſequimur ducem) plurima in meridiana luce conſtituimus eidem Ariſtoteli perhonorifica, & a communi Expectatione non parum abhorrentia, videlicet: Contemptos, & ludibrio habitos ab illo fuiſſe Deos Ethnicorum, a quibus profectò petere nequirent homines Heroicæ Virtutis Exemplar. Unicum ab ipſo cognitum fuiſſe Deum O. M., de cujus Exiſtentia, Diviniſque Perfectionibus, quas Theologi appellant Attributa, præclariſſimas, neque ſolùm a procreatis ab illo rebus, Demonſtrationes affert. Tum aſſurreximus ad evincendum, quod ita Philoſophus de Deo loquatur, ſive illi, ut Jobo Sanctiſſimo Viro, ut Sybillis, aliiſque inter inſanos Idolorum Cultores ævum agitantibus, Divinum aliquod lumen ſupra naturam affulſerit: ſive rerum inſcium, de quibus agebat, ita nihiloſecius illum ad nos erudiendos loqui voluerit Deus, ut plurima pronuntiaverit, quæ vi ad perſuadendum maxima Heroem erigant ad Theologicas quoque Virtutes. Deinde verò poſt allata ex Philoſopho plurima, quæ Fidem, Spem, & Charitatem excitent, aliud contra illum proponere Paradoxum coacti ſumus demonſtrantes, nihil obſtare ſtatutis rebus, quod alicubi Ariſtoteles affirmare videatur intercedere non poſſe Deum inter, & homines Amicitiam, *abſurdumque eſſe, ſi quis dicat a ſe amari Jovem*. Oſtendimus autem dormitaſſe Philoſophum, ſi de vero tunc Deo, (qui Jupiter dictus fuerit, quia ſit Juvans hominum Pater) loquutus eſt: vel niſi ſolummodo *beneficum amorem* inficiatus fuit a nobis rependi poſſe Deo nullius indigenti. Si verò qualemcumque Amicitiam dari poſſe negavit, qua Deo conjungamur, mente omnino captum fuiſſe. In ejus deinde præconia rurſus effuſi illius authoritate freti alias præſtantiſſimas Heroum Dotes enumeravimus, nimirum, ut caducæ nulli rei animo adhæreant: ut ſummo tamen amore cæteros omnes homines tanquam Dei Imagines, ideoque ad hoc Divina Charitate impulſi, proſequantur, omnemque illis fidem ſervent: ut Divinarum rerum Contemplationi frequentiſſimè operam dent: ut inter mortales, quæ vitari nequeunt, ſolicitudines illorum perpetuò mentibus Dei præſentia obverſetur: ut rectiſſimum in rebus omnibus agendis ſibi finem præfigant: & alia hujuſmodi (locis ferè Centum excerptis ab omnibus ejus Operibus) quorum complexio Heroem conſtituit numeris omnibus abſolutum.

(1) Præter hæc, & alia plurima Paradoxa ſtatuta in Tractatione Ethicæ Monaſticæ, deinde in Politica, (quoniam famoſus ille publici boni hoſtis Nicolaus Macchiavellus neſcio quo veneficio ita plurimos dementavit, ut magnus a pleriſque Vir habeatur, & improbus quidem, ſed ſolers, & ingenioſus regendarum

(1) *Quæ Paradoxa ſtatuimus in Morum Philoſophia*.

(1) *Paradoxa in Opere contra Macchiavellum*.

Digitized by Google

rum Urbium Arbiter, atque Regnorum,) ſpecimen dedimus integro Volumine illius Ineptiarum, demonſtrantes eumdem fuiſſe nebulonem bipedum inſipientiſſimum. Neque ſolùm impium (hoc enim Paradoxum haudquaquam eſt, ſed ab omnibus ultro conceſſum) verùm etiam penitus contemnendum tanquam ſtolidum hominem, ac perpetuò delirantem, cum, etiamſi a Vitæ Immortalis oblitis caducarum ſolummodo rerum habeatur ratio, nihil tamen ad has aſſequendas opportunum tradiderit, nihilque illis minimè noxium.

(1) In Sacris quoque Sermonibus admirati ſumus, & longiſſimè, nimiſque impari greſſu imitari utcumque tentavimus Paradoxa mirabilis Præconis Divinorum Eloquiorum Antonii Vieiræ, qui plerumque ſpopondit a ſe reperiendam in eo, qui fortaſſis lectus ad aras die illa fuiſſet, Evangelii loco partitionem totius Orationis, ac omnia ſuſceptæ cauſæ firmamenta. Imò & ea quoque omnia, quæ in eo temporis articulo maximè neceſſaria eſſent ad illos, quos alloquebatur, auditores emendandos; ita ut aptum animi ægritudinibus, quibus tunc laborabant, remedium ipſi quoque ſortirentur Reges, Adminiſtri Regiminis, & Aula univerſa.

(2) Quid, quod in Polemica etiam Theologia ſuus eſt Paradoxis locus, cum in ea quoque afferri plurima poſſint communi Expectationi repugnantia. Perſuaſum v. g. pleriſquè erat exhauſtam fuiſſe a Thoma Bozio eruditiſſimo Scriptore Tractationem Signorum Veræ Fidei Centum illis, quæ duobus magnis Voluminibus uberrimè tradidit. Sed totidem invenire, ac ferè omnia a recenſitis a Bozio diverſa, novamque in ſeriem digerere, minimè arduum fuit tenuitati noſtræ in Opere inſcripto: *Demonſtrata Impiorum Inſania*. Speciem aliquam veritatis plurimis obiiciebat audaciſſima Hæreticorum affirmatio de incremento Pontificiæ Authoritatis exercitæ noſtra, & Proavorum ætate ſupra illam, qua primis Eccleſiæ Seculis Petri Succeſſores uſi fuiſſent. At parcius multò Tridentinæ Synodo imperaſſe Paulum, Julium, ac Pium, quàm Magnum Chalcedonenſi Leonem, magna vi argumentorum evici alio in Volumine, cui Titulus: *Sacra Monarchia S. Leonis Magni paſſim, & ubique fulgens in Polemica Hiſtoria Concilii Chalcedonenſis*. Revocatur nunc in dubium a quibuſdam, qui ſe Catholicos jactant, an Pontifex Maximus Conciliis Generalibus antecellat, & errare nequeat in Fidei Articulis definiendis, tradendiſque Regulis Morum.. Nec deſunt, qui negant hoc ipſum ab illo per ſe præſtari poſſe, itaut ante expectatum Eccleſiæ unitæ in Conciliis, aut ſaltem ſparſæ, Conſenſum Irreformabilis, ut ajunt, omnino cenſenda non ſit ejuſdem ſententia. Sed has duas Veritates fuiſſe *Notorias in Antiqua Eccleſia* pluſquam Trecentis Argumentis confeci in allegata Hiſtoria, inque duobus Tractatibus ſeorſum editis. Paradoxum hoc, profectò inopinatum, & communi perſuaſioni repugnans, adeo conforme vero viſum fuit Heroi Maximo, non Sapientiâ minus, quàm Poteſtate, reliquos antegreſſo, ut poſt revocata ad perſpicaciſſimum Examen argumenta illa omnia, dignatus fuerit affirmare, nullum ex iis eſſe, quod pulchra ſolùm ſpecie ingenio blandiatur, ſed omnia prorſus validiſſima eſſe, ac penitus ineluctabilia. Quonam pacto non improſperè mihi ceſſerit alea hæc, mox ſubiiciam, poſtquam innuero, quod in ipſarum quoque Sacrarum Explicatione Literarum ſtatui Paradoxa poſſint..

(1) Hoc, quod ultimo loco propono, temeritati vertendum multis fortaſſe videbitur; adeo enim Novitas omnis, quæ ſemper Paradoxis ineſt, vitanda eſt a Divinorum Oraculorum Interprete, ut idem jubeatur ſequi communem Veterum Patrum ſenſum. Verùm cum illi varias in ſententias abeunt, neque ulla eſt, cui plerique adhærcant, licet hanc, aut illam amplecti, atque tunc ea proferre in medium, quæ pleriſque parum eruditis mortalibus accidant Inexpectata. In Divinæ igitur Apocalypſis Explicatione, relictis infauſtis Præſagiis infligendarum ſceleribus Pœnarum, quæ omnes metu percellunt, enucleare tentavimus paucis omnino compertas, ſed a graviſſimis Authoribus animadverſas, fauſtiſſimas Militantis Eccleſiæ diutiſſimè in univerſo Terrarum Orbe regnaturæ Promiſſiones Divinas. Hæ porrò inſigne Paradoxum viſæ ſunt plurimis. Præterea Lutheri, & Calvini dementia jactat, ſuam eſſe Literam Evangelii, cæterorumque Sacrorum Librorum. Allegorici, Anagogici, aut

(1) *Paradoxa in ſacris Sermonibus.*
(2) *In Polemica Theologia.*

(1) *In Sacrarum Interpretatione Literarum.*

Digitized by Google

aut Moralis Senſus Indagatores plerumque cæteros eſſe dicunt, at Literali ſe omnino ſenſui addictiſſimos eſſe. Evangelicos proinde nuncupant ſe per non ferendam audaciam; ſed eodem videlicet jure, quo ſe ipſos perinde appellant *Eccleſiæ Filios Reformatæ*, uſurpato nimirum hoc vocabulo per Antiphraſim, quia formam omnem Eccleſiaſticæ Diſciplinæ e medio ſuſtulerunt. Grande illis proinde Paradoxum videri poterunt Corollaria, quæ adjeci ſelectis Divinæ Hiſtoriæ locis literaliter evertentibus eorum veſanias. Neque ipſis tantùm Perduellibus, ſed Orthodoxis quoque plurimis Paradoxum protuliſſe videri poſſumus; ſi enim hæc tela nobis ſuggereret Divinum Evangelii Armamentarium, cur illa Propugnatores Veritatis aliunde petere laborarent? Cur, ut appoſito exemplo utar, ad impugnandas Quinque damnatas Janſenii Propoſitiones vix quicquam ex Evangelio Scriptores alii prompſiſſent, nonnulla expiſcati e Sacris aliis Literis, pleraque autem a Sanctis Patribus, cum quibus, cumque ſe ipſo, conciliant Auguſtinum, quem ſuum eſſe per ſummam Magiſtro Sanctiſſimo, Sapientiſſimoque inflictam injuriam Janſeniani gloriantur? Initam ab aliis viam adeo non improbamus, ut nos quoque alteri diverſæ ab illa, qua nuper tentavimus iter, ſemitæ prius inſtiterimus. Sacræ nimirum Tridentinæ Synodi Definitiones tantummodo adhibuimus in alio certamine contra Janſenianos ſuſcepto, & oſtendimus nullum eſſe ſubterfugium ex tot illis, quibus Apoſtolicæ Cathedræ fulminibus deinde ſubducere ſe conati ſunt, quod illis prius Tridentinæ Definitiones non præcluſiſſent. Sed nuper, Patribus, & Conciliis, imò & Sacris aliis Libris vix unquam attactis, petita ſolùm ex Evangelicis Oraculis argumenta in illos deprompſimus. Novum hoc, & Paradoxum pugnæ genus minimè hucuſque adorti fuimus, quia cum cæteris inquirebamus Janſenianis apertè repugnantes in Evangelio Propoſitiones, v. g. *Quod Præcepta omnia Divina ſervari poſſint*: *Quod*, *præter Efficacem Gratiam*, *Sufficiens quoque divinitus conferatur*: aliaſque hujuſmodi. Sed ſi omnes contradictoriæ Theſibus Hæreticorum Propoſitiones extarent in Eloquiis Divinis, quo pacto Veritas aſtipularetur Apoſtolo dicenti: *Oportet Hæreſes eſſe*, *ut*, *qui probati ſunt*, *manifeſti fiant in vobis?* Tertullianus cap. 39. Libri de Præſcriptionibus, quem tunc Catholicus exaravit, ſuas, in quas deinde lapſus fuit, antequam illas pareret, jugulans Hæreſes: *Non periclitabor*, inquit, *dicere*, *ipſas quoque Scripturas ſic eſſe ex Dei Voluntate diſpoſitas*, *ut Hæreticis materias ſubminiſtrarent*, *cum legam*: *Oportet & Hæreſes eſſe*, *quæ ſine Scripturis eſſe non poſſent*. Quia igitur non ſemper inveniri queunt (1) Propoſitiones oppoſitæ illis Eccleſiæ Hoſtium, explorandam animadverti vim, & emphaſim eorum, quæ a Divina Sapientia proferuntur, quæque ex illis vel antecedentia præſumuntur, vel ex iiſdem conſequentia naſcuntur. Porrò non minus Præſumptionibus, quàm apertis Propoſitionibus, pondus ineſt, quando loquitur Infinita Sapientia, quæ falſi nihil ſupponere poteſt. Ideo ſi ea, quæ Verbum Divinum Humanitate indutum, vel divinitus afflati ejus Vitæ Scriptores eloquuntur, ejuſmodi ſunt, ut ex iis aliæ Veritates præſumantur, aut neceſſariò permanent, hæ ipſæ, quæ a primis eliciuntur, omnino ſunt, tanquam certiſſimæ, in animum admittendæ. Hac introſpectione Præſumptionum arduum non fuit plurima Evangelii Loca contra ſingulas Janſenii Propoſitiones afferre. Cum de Literali, Hiſtorico, Germano, & Nativo Locorum eorumdem ſenſu apertè liqueat, nulluſque inveniri queat Antiquus Pater hoc ipſum negans, cur non liceat nova hæc tela intorquere in Eccleſiæ Adverſarios? Eamdem Suppoſitorum vim expendentes armavimus in hoſtes Vaticani verba, & geſta Sacroſancti Concilii Chalcedonenſis, & nuper aliorum Generalium Conciliorum, quæ Chalcedonenſe præceſſerunt. Hæc autem, niſi Antecellentem ſibi præſumpſiſſent, & Infallibilem in definienda Fide Apoſtolicam Sedem, inſipientiſſimè fuiſſent loquuta in ejuſdem Fidei Veritatibus decernendis. Hoc porrò abſque blaſphemia nequit affirmari de Synodis, quas in proponendis Eccleſiæ credendis rebus Sanctus Gregorius Magnus Evangelio comparavit.

Novus iſte conatus explorandi Præſumptionum robur adeo facilem anſam præbet ea in lucem proferendi, quæ Paradoxa ſint, nullam ut laudem lucratum me fuiſſe opiner ob illius uſum in eruendis argumentis illis de Pontificia Præ-

(1) *Explorando ea*, *quæ ſupponuntur*, *aut inferuntur*, *nova inveniri poſſunt Argumenta*.

Digitized by Google

Præſtantia ſupra Synodos, & Erroris Immunitate, deque labefactatis ab Evangelio Propoſitionibus aliorum Hæreſiarcharum, & Iprenſis Epiſcopi. Hoc ſolùm conſilio, nimirum ut incendantur plurimi ſtudio indagandi Præſumptionum pondus, (cum præfari me aliqua de Paradoxo oporteret,) ea ſubjeci, quæ opportuna cenſui Divinæ Gloriæ hoc artificio promovendæ: probè alioqui conſcius tenuiſſimas mihi eſſe vires ingenii, atque inſanire, qui gloriolæ auram inanis venantur literis perituris.

Digitized by Google

PROLUSIO PRIMA.

Ciceronem Scriptoribus omnibus acutè dictorum copiâ præſtitiſſe.

QUod in omnibus diſciplinis contingit, (1) ut incredibilem ipſarum alumnis perniciem afferant, qui eaſdem profeſſi audaciſſimè in priſcos earum Magiſtros inquirunt, Illuſtriſſimi, ac Sapientiſſimi Præſules, id in Rhetoricæ præcipuè facultate uſu venire videmus, ut illam peſſum agant,qui ad eripiendam hujus artis principibus partam laudem, hærentemque ipſorum capiti coronam detrahendam, omni ſtudio enituntur. Perhonorificum ſibi eſſe putant, ſi de ſummis mortalium obloquantur; fore enim, ut illis majores vulgò habeantur, quos linguæ jaculis perpetuò transfigunt, præpoſtera ſpe lactantur. Hinc Tullianam ſermonis divinitatem probris inceſſere, ſuumque judicium conſenſui omnium ſeculorum præferre non veriti, deſtitutum Argutiis, (2) verborumque, ac ſententiarum luminibus, & inani pompa luxuriantem dicunt. Idcirco prodigium non eſſe, ſi minus arrideat huic brevitatis amantiſſimæ literatorum Virorum ætati, & omnes dicendi lepores, ac veneres proſequutæ. Ciceronianam facundiam deſperantes, ne inopes fateantur ſe, (vitio humanæ ſuperbiæ, quæ primò exarſit in effrænata diſcendi ſiti,) per ſummam impudentiam affirmant ingenioſorum eſſe contemnere dotes, quibus ipſi carent: & ab illa, quam animo non aſſequuntur, mirabili arte deficiunt ad eloquentiæ corruptelas. Ita ne verò? Tullio deſunt Sirenes, & gratiæ, aculeis ille non fauciat, non blanditur jocis, neque circùm auditorum præcordia perpetuò ludit? Redundat aliquando, atque extra ripam effluit aureum illud facundiæ flumen, ut dictitant illi, qui in ejus divinis Operibus peregrinantur? Equidem cum illum ſemper in dicendo quoddam quaſi Numen putavi: tum eidem nullo nomine majorem tribuendam cenſui laudem, quàm quia ſalibus, facetiis, acutis, & ingenioſis dictis mirificè affluit. Admirationem fortaſſe quorumdam laceſſimus, dum Tullium non brevitate minus, quàm acuminibus, præſtare dicimus? Agite, ſapientiſſimi viri, (1) Tullianæ dicendi formæ, quæ, nequidquam a delirantibus impugnata, ſemper florebit, perpetuò dominabitur, triumphum decernamus. Adeo eſt unus Cicero dotes complexus omnes, adeo nullam cæteris, qua vinci poſſet, laudem reliquit, ut non modò diſertiſſimus, quod ultro datum ab Adverſariis meo jure ſumo; ſed etiam, quod argumentis in hac Proluſione facilè vincam, in dicendo argutiſſimus: quodque aliàs ratiocinando conficiam, in præſentia temporis anguſtiis excluſus, Oratorum omnium breviſſimus idem ſit. Si diſputatione in contrariam illi, quam huc attuliſtis, ſententiam feremur (quamvis enim non deſtitutum penitus argutiis Tullium egregius Author Famianus Strada oſtenderit; quod iiſdem tamen ſupra omnes Oratores abundet, perſuaſum hucuſque plurimis fortaſſe non fuit;) faventes, opinor, aures præbebitis nobis aggreſſis rem difficultatibus impeditam. (2) Nos certè operæ feremus pretium, dum, quos erudiendos ſuſcepimus, adoleſcentes ad perſequenda Tullii veſtigia incendemus. Quia verò qui de illo ſermonem inſtituit, non adeo de Tullio,quàm de ipſiuſmet Eloquentiæ facultate differit, artificium aperiemus, quo eadem cum verborum, ac ſententiarum aculeis, hujus ævi deliciis, conjungi poſſit: prius tamen præfati, verè de nobis id uſur-

(1) *Plurimùm literis incommodant,qui priſcos Authores carpunt.*

(2) *Quæ in Cicerone nonnulli deſiderant.*

(1) *Proluſionis Propoſitum.*

(2) *Oſtendemus quomodo Eloquentia cum Acuminibus conjungi poſſit.*

Digitized by Google

uſurpari, quod de ſe modeſtè Socrates apud Platonem: Obſtetrices videlicet referemus, quæ ſteriles, & infœcundæ, iis, quæ uterum ferunt, ſunt cauſa partus in lucem edendi.

Ut innumeris Ciceronianæ Orationis cælum ſyderibus illuſtrari oſtendam: atque ab ipſo Tullio ſupra cæteros omnes Authores omni venuſtate, gratia, & lepore argutiarum lectorum animos rapi, (1) quatuor primò in claſſes tribuere præſtat has delicias, & veneres orationis. Hanc ego partitionem, licet nullius, apud quem extet, authoritate Scriptoris fulcire poſſim, eadem tamen eruitur ex Ariſtotelis, Tullii, & Quintiliani doctrina. Prima, eademque præſtantiſſima argutiarum ſpecies non in uno, vel paucis verbis, ſed in ipſo ſita eſt, ſi arduum, & inexpectatum ſit, Orationis Argumento, & Rationum ſerie, ſi eædem ingenioſæ, nec obviæ auditorum admirationem pariant. Altera in brevibus, & frequentibus temperandæ prudenter vitæ, & adminiſtrandæ Reipublicæ documentis, omnique lumine gravium Sententiarum. Tertia in dictis non adeo ſeveris, ſed lepidis, aut jocoſis, aut rem augentibus, quæ improviſo quodam aculeo vellicent animos: quæ ferè tantùm Argutiarum nomine vulgò cenſentur, & *Conceptus* ab Italis antonomaſticè nuncupantur, perinde quaſi præclariſſimi ſint, quos vivida, & experrecta mens concipiat, partus ingenii. Quartam demum urbanitatis formam in ipſa ſingulorum verborum concinnitate conſtituo, in quibus delectis, translatis, collocatis, leporis plurimùm ineſſe poteſt.

(2) Et ut ad id, quod primo conſtitui loco, regrediar, nec ſolùm in verborum, & ſententiarum luminibus, ſed in ipſo etiam Orationis Argumento, & rationum acuto robore, Argutias collocem, Ariſtotelem authorem habeo, qui 3. Rhetoricorum Libro cum cap. 11. de Acuminibus agens illa ſtatuat in Dicto novo, & inexpectato, ſubdit: *Nova dicuntur, cum Paradoxum ſit*. Idcirco in univerſa etiam oratione, quæ mirabiles probet Veritates prima fronte præſeferentes ſpeciem falſitatis, acumen agnoſcit. Id ipſum magis difertè Cicero tradidit transferens nomen oratoriæ argutiæ ad philoſophicas Theſes, quæ videntur admirandæ, ac raræ, ut *Omnis peccans eſt ignorans: ſolus Sapiens liber*. Et quoniam hæc argumenta frequenter a Declamatoribus, ac Sophiſtis agitabantur, de ingenioſa ipſorum ratiocinandi ſerie loquutus Cicero: *Nihil eſt*, inquit, *quod illi non aſſequantur ſuis argutiis*. Inter cæteros Favorinus, ut Aulus Gellius narrat, commendavit Febrim, *Expergiſicando*, ſic enim inquit, *ingenio, vel exercendis argutiis*. Et Quintilianus præſcribens leges concitandi riſus omnibus acuminum ſalibus: *Hic quoque eſt*, inquit, *inventio, atque eloquutio, atque ipſius eloquutionis vis, alia in verbis, alia in figuris*. Profitetur igitur ipſi etiam Inventioni rationum, & figuris, quibus argumenta efferuntur, argutias non raro ineſſe. Et vividis quidem conformationibus, quibus veluti arcu quodam argumenta intorquentur, argutiarum nomen aptari, conſtat ex Græca nominis Interpretatione, cum plerumque ab Ariſtotele dicantur σχήματα, quod *figuras* latinè ſonat. Sed omnium apertiſſimè Quintilianus nobis aſtipulatur lib. 6. cap. 4. dum Domitii Marſi, qui de Argutiis diligentiſſimè ſcripſit, afferens verba dicentis *Urbanitatem eſſe virtutem in breve dictum coactam*: *Cur*, inquit, *brevem eam eſſe voluerit, neſcio quidem*.

(1) Cum igitur conſtet de Prima argutiarum ſpecie, quæ in toto quaſi corpore ingenioſæ ratiocinationis exiſtit, de Secunda, ac Tertia vix ambigi poteſt; quod enim etiam Sententiis, quibus acutè notantur hominum mores, hoc nomen tribuendum ſit, ex ipſo Tullio liquet, qui pingens Epidicticum Stylum Iſocratis fuiſſe dicit ipſius orationis genus *ſolutum & effluens, & ſententiis argutum*. Et de Hiperide, cui fuit inſignis facultas τῦ γνωμολογεῖν, ideſt *Sententias loquendi, argutiis*, inquit, *& acumine excelluit*. Quod autem graves Sententiæ a Tertio leporum (2) genere diſtinguantur, ab alio Tullii loco docemur, ubi de Hiſtoriis Timæi cenſuram ferens: *Genus*, inquit, *dicendi argutum, Sententiis non tam gravibus & ſeveris, quàm concinnis, & venuſtis*: non iis videlicet prudentibus, ac ſolidis inſtituendæ vitæ documentis, quæ, acuta ſi fuerint, argutiarum nomen promerentur, ſed aliis brevibus, & ingenioſis animadverſionibus, quæ ſub Acuminum nomine præcipuè continentur.

(3) Quod in ipſo demum Stylo, nec tam in ſingulis dictis, quàm *in toto*, ut Quintilianus loquitur, *colore dicendi*, quarta ſtatuenda ſit Acuminum forma, luculenta Venuſini Vatis authoritate probatur, Serm. lib. 1. Sat. 10. qui *Molle, atque facetum* carminis genus naturâ conceſſum fuiſſe Virgilio

(1) *Quatuor Acuminum ſpecies*.
(2) *Prima ſita in Orationis Argumento, præſertim Paradoxo*.

(1) *Secunda in gravibus Sententiis*.
(2) *Tertia in ingenioſis animadverſionibus*.
(3) *Quarta in ipſo Stylo*.

Digitized by Google

lio ait: quod, ut Fabius interpretatur lib. 6. cap. 3. *ineptè dictum fuiſſet, ſi facetum circa ridicula tantùm conſiſteret, & quas vulgò dicimus argutias*. Hanc ergo *Decori magis, & exculta cujuſdam Elegantiæ* appellationem putat. Neque verò dum in delectu ſingulorum verborum, in tropis, in collocatione, in numero, ultimam argutiarum formam agnoſcimus, Tullii ſuffragium deſideramus ad hæc etiam ornamenta transferentis *illam*, ut ipſe inquit, *Concinnitatem, quæ verborum collocationem illuminat*.

Hæc cum ita ſe habeant, quantopere quatuor hæ acuminum quaſi ſupremæ ſpecies (1) Tullium commendarunt! Ut, quæ ſparguntur in cæteros Oratores ab una, vel altera argutandi forma præconia, in illum miſta fluxere! Quis illo fœlicius ardua, quæque magnam ingenii vim exigerent, Argumenta tractavit? Neque de Paradoxis tantùm, deque libris de Republica, de Oratoriæ artis, ac Deorum Natura, diſſero; ſed de ipſis etiam Orationibus, quibus plerumque illa demonſtrare fuit aggreſſus, quæ cum communi hominum opinione pugnabant; profectò enim non adeo frequenter ipſi dicenti plurimi exitium gladiorum capulis e toga extantibus in Curia minitati fuiſſent: neque tota ſæpe contra ipſum Civitas inſurrexiſſet, niſi ferè omnium, vel plurimorum ſaltem, animis perſuaſum fuiſſet oppoſitum illi, quod Cicero ſuſceperat demonſtrandum. Neque ſemper erant hoſtes Reipublicæ, qui Tullio refragabantur. Ipſum ſæpe Catonem adverſarium habuit, cujus judicium univerſo Deorum Concilio Lucanus oppoſuit. Enimvero niſi Hortenſii Orationes interiiſſent, quibus infœlicem Verrem magnus ille Ciceronis æmulus egregiè defendit, fortaſſe innumeris, quibus illum, exertâ velut haſtâ, Tullius ictibus transverberavit, Erimanthius ille Aper dignus aliquando minimè videretur: Nec apud omnes conſtabat inſtructas a Clodio inſidias fuiſſe Miloni: neque laude affici nulla, ſed innumeris tantùm probris obrui debuit Antonius, ſi ulla eſt Plutarcho fides adhibenda. Quod arduum magis dicendi argumentum quàm Orationum pro Flacco, Murena, Cælio, Cluentio, in quarum una *tenebras a ſe Judicum animis offuſas fuiſſe* Cicero ipſe ultro fatetur! Quid, illa pro Ligario, ad quam accedens Dictator Cæſar: *Damnatus jam*, inquit, *Ligarius eſt; audiatur tamen Cicero*: quem quidem ea correptus ingenioſiſſimi Oratoris admiratione audivit, ut ipſius e manibus exciderint codicilli. Quid, altera pro lege Agraria, in qua, ut Plinius narrat velut inſigne prodigium, *perſuaſit Populo, ut ſibi ſubtraheret alimenta*! Sed quid ſingulas enumero? Vix ulla certè dicendi materies propoſita Ciceroni fuit, quæ probatu difficillima non eſſet, quæque ſummum in Oratore acumen minimè poſtularet, ut plurima dilueret, præteriret aliqua, temperatum lumen aliis tribueret, in cæteris, quæ Cauſæ congruerent, eximiâ facundiâ exultaret: neque vereor affirmare, nullius Oratoris acumen eluxiſſe adeo in Paradoxis probandis, ut effulſit Ciceronis ingenium in maximè arduis controverſiis, ad quas patronus, aut accuſator acceſſit: aut ſaltem ipſius præ cæteris omnibus ingenium inclaruiſſe in iis obſcurandis, quæ palmam ipſi dubiam facere potuiſſent, & in nullo penitus eorum prætermittendo, quæ notata ſolerter ad victoriam conduxiſſent.

(2) In hac principe Argutiarum ſpecie, in arduo videlicet Orationis Argumento, & ingenioſis ratiocinationibus, quibus idem probatur, quicumque ſe per Ciceronis veſtigia Rhetor exerceat, majorem multò venabitur laudem, quàm ſi pervulgatam, expoſitamque materiem brevibus acuminibus illuſtret; quamvis enim adoleſcentes, & vulgus literatorum latens in progreſſu rationum, quibus Paradoxis fides aſtruitur, acumen minimè animadvertat, cum illud ſit robuſtæ tantùm intelligentiæ pabulum, quæ ortam ex totius Orationis nexu pulchritudinem animo comprehenſam habet; eadem tamen ſapientibus auditoribus multò magis lenocinatur, quàm breviſſima acutè dictorum fulgetra, quæ oculos improviſa, ſed illico interitura, luce perſtringunt. Ad hæc Eloquentiæ, quam cæteroqui hebetant breves argutiæ, ingenioſa hæc productæ ratiocinationis tela nil obſunt. Quid, quod ſi brevitas acuminum placet, quia ſtatim animos ferit, quantò jucundiùs eoſdem vellicabit genus illud orationis, quod inexpectatis probationibus perpetuò ſauciat, earumque ingenioſa confirmatione ſemper iterat gratiſſimum vulnus? Dum tamen non ipſa tantùm Orationis Propoſitio Paradoxa ſit, ſed etiam argumenta, quibus eadem confirmatur, ſint improviſa, & admirationem exſuſcitent; nihil enim ridendum magis, quàm ſi minatus te nova, & inexpectata dicturum, millies audita deinde proferas, & exoleta, neque feriò ratiocinando progrediaris ad metam, ſed ventilans quodammodo fimbrias rei, pueriles choreas ducas.

(2) Jam verò ut Sententias, quas alteram ar-

(1) *Primæ Exempla in Tullio.*

(1) *Primæ Speciei Præſtantia.*

(2) *Quæ ſententiæ conſtituant ſecundam Argutiarum ſpeciem ex Ariſtotele.*

Digitized by Google

argutè dictorum ſpeciem diximus, in Tullio expendamus, primò ex Peripateticorum Principe, qui Rhet. lib.2. cap.22. luculenter de ipſarum ſpeciebus, uſu, atque utilitate tractavit, ſtatuimus, eas non ſortiri Acuminis nomen, ſi pervulgatæ penitus ſint, neque ingenioſi quidpiam ſpirent. Etiam communes ille non reſpuit, ſed exemplis oſtendit, ſemper aliquod ex ipſis lumen emicare. Has enim affert in ſpecimen cæterarum. *Optimum Augurium eſt, cum quis pugnat pro Patria. Stultus, qui natos, occiſo Patre, relinquit*. Et inter eas acuta Proverbia recenſet, ut *Atticus inquilinus*: quod de iis dicebatur, qui duris moribus adverſus finitimos eſſent, eò quòd Athenienſes Samum vocati antiquos incolas expuliſſent. Et utendum iis dicit, quæ vulgò receptis contraria ſint, ut: *Non ſemper expedire celeberrimum illud*: *Noſce te ipſum*; *hic enim, ſi ſe ipſum noſſet, nunquam Regnum petiviſſet, adeoque nec adeptus fuiſſet*. Nec aptè dictum fuiſſe: *Ama tanquam oſurus*; *videreris enim amico inſidiari*. Serendam his luminibus orationem docet Philoſophus ſapientiſſimus eò quòd *Rhetorica ſit affinis Politicæ, aut illius ſaltem germen*, cùm & ipſa contempletur hominum Mores, Virtutes, & Motus animi, quæ omnia ad Scientiam Morum, & Urbium regendarum præcipuè ſpectant. Idcirco Rhetores, dum Ariſtoteles ævum agebat, *Civiles* ſe *Magiſtros* appellabant, ac pollicebantur auditoribus ſuis adminiſtrandarum Urbium rationem: quod ipſum apud Platonem & Gorgias facit.

(1) Sed ut apto artificio, velut auro adamantes, orationi illigatæ ſententiæ mirificè illam exornant, ita ſi eædem nimis diffundantur, & diffluant: ſi orationis hi velut oculi toto corpore ſpargantur: ſi paſſim, & a quocumque, & ab ipſis etiam, qui loquentes inducuntur, pueris, & ſervis uſurpentur, ferendum omnino non erit. Neque Lycei tantùm Magiſter, 2. Rhet. & Quintilianus lib.8. cap.5. hanc audaciam amarè perſtringent, ſed & lepidiſſimus Vates per ſummam indignationem exclamabit: *Etiam ſententias loqueris, Carnufex?* Porrò ii, qui judicare, & præcipere ſapienter allatis ſententiis graves Oratores minimè prohibentur, eas vel *Directas* pronuntiant, cum quaſi avulſis a reliquo tractu Orationis ſalutaribus monitis auditorem inſtruunt: vel *Obliquas* inſerunt ipſius orationis corpori, non aggreſſi ex profeſſo, velut ex Apollinis tripode, proferre oracula; ſed ea tamen nihil abrupto dicendi curſu indicantes, a quibus breviter enuntientur illa, quæ ſolent, aut debent eſſe in hominum Vita.

(1) Secunda hæc forma multò jucundior accidit concioni, quæ in pretio haberi ſe ab Oratore arbitratur, dum idem nihil ſuperbè præcipiens eruendas ex iis, quæ innuit, Prudentiæ leges alieno relinquit ingenio, adeoque erga illas auditorum amorem incendit ſuæ præſertim animadverſioni, velut obſtetrici, tribuentium Doctrinæ partus, qui alios fortaſſe minus ſolertes animos effugiſſent.

(2) Ac Tullius quidem Oratorum eloquentiſſimus tot protulit Politicæ arcana Sapientiæ, ex quibus quid in vita peragenda, & præſertim quid in Republica pacis, ac belli tempore adminiſtranda, fieri, quidque cavere oporteat, in ejus Orationes intuentes ediſcimus, ut ex ipſius Sententiarum Anthologia, nec diligentiſſimè collectarum, conflatus ſit non exiguæ molis Liber, in quem *Directæ* ſolùm conjectæ ſunt; nam ſi, quas *Obliquas* inſeruit, ſeligeret quiſpiam, vegrande ex iis Volumen confici poſſet. Enimverò promptius nullum artificium eſt vera hæc, & brevia privatæ, ac publicæ rei temperandæ præcepta fingendi, quàm ſi eruantur innumera illa, quæ obliqua in ſapientiſſimis Ciceronis Operibus deliteſcunt.

(3) Rem augere cupiam videmur? Nihil majori cum moderatione dici potuit. Specimen vultis? Accipite ex Divinæ, quam evoluto proximè anno explicuimus, exordio Philippicæ; hoc enim nomine illam ſeligimus, quia complurium ex auditoribus noſtris hæret infixa memoriæ; cæteroqui enim idipſum ex quovis ferè Tullii loco oſtendi poſſe in me recipio. Dum ergo ſic Orationem orditur: *Quonam meo fato, Patres Conſcripti, fieri dicam, ut nemo bis annis viginti Reipublicæ hoſtis fuerit, qui non bellum eodem tempore mihi quoque indixerit?* an non modeſtè, & obliquè innuit: Fato quodam contingere, ut maximi viri Reipublicæ Defenſores contra ſe ipſos concitent hoſtes Patriæ. Hujus interitum a perverſis Civibus non tentari, niſi ejuſdem Patriæ Parentes communi exitio involvant. Neque Hectore ſtante ſubverti potuiſſe Ilium, nec ſuperſtite Tullio Romam. Quid illa, quæ conſequuntur? *Nec verò neceſſe eſt a me quemquam nominari. Vobiſcum ipſi recordamini*. An non hoc ipſum ſonant? Certum Criminum pretium

(1) *Vitia coacervantium Sententias*.

(1) *Indirectæ jucundiores Directis*.

(2) *Frequentiſſimæ in Tullio Sententiæ*.

(3) *Indirectæ plurimæ in Exordio ſecundæ Philippicæ*.

Digitized by Google

tium eſt perpetua infamia, qua apud poſteros laborabunt. Semel tantùm interire nequeunt, qui Reipublicæ interitum optaverunt. Immortale Nominis funus improbos Cives manet. Quid grandis illa, & Conſulari digna viro ad hoſtem Apoſtrophe? *Te miror, Antoni, quorum facta imitere, eorum exitum non perhorreſcere*. An non diſertè oſtendit? Omne penitus conſilium dilapidatum ab illo fuiſſe, qui alieno malo non ſapit. Iiſdem plerumque fatis opprimi ejuſdem criminis reos. Utcumque aliquando, *Ille crucem pretium ſceleris ferat, hic diadema*; furioſum tamen illum eſſe, qui Diadema ſperat, cum ferè omnes ob idem, quo ipſe inficitur, crimen acti fuerint in Crucem. Nec verò nihil ſub iis latet: *Atque hoc in aliis minus mirabar. Nemo illorum mihi inimicus fuit voluntarius: omnes a me Reipublicæ cauſâ laceſſiti*. Indulgendum enim iis docent, quos etiam æquiſſimo jure violavimus, ſi par pari rependant. Tum, a magnanimis viris non ſemper ignavam pacem amandam. Si publico expediat bono, cum improbis civibus decertandum. Probroſam eſſe amicitiam illorum, qui Patriam oderunt. At ea, quæ ſubdit, quàm fœcunda Politicis documentis! *Tu ne verbo quidem violatus, ut audacior, quàm Catilina, furioſior, quàm Clodius, viderere, ultro maledictis me laceſſiſti, tuamque a me alienationem ad cives impios tibi gloriæ fore putaviſti*. An non enim hujuſmodi ſunt? Inſanit, qui ultro potentiſſimum hoſtem laceſſit. Ne verbo quidem læſus diſertiſſimorum facundiam virorum contra ſe quiſquis exſuſcitat, omnino furit. Sunt, quibus illuſtre videtur audaciâ cum Catilina, furore cum Clodio decertare. Ab optimorum conſortio civium digredi glorioſum videtur illis, qui ſceleribus ad principatum graſſantur. Uſque adeo ſuperbis ingeniis arridet, quod agmen cæterorum ducant, ut malint impiis præire, quàm probos ſequi. Quid illa ſuſpenſio quam emphaſim habet? *Quid putem? contemptum ne me?* An non magnificè innuit? Ne ab hoſte quidem infenſiſſimo contemni poſſe præſtantes viros. Ipſorum inimicorum oculos alienæ Virtutis fulgore perſtringi. Ab iis, qui Aulæ, ac ſcenæ ſerviunt, ſimulari aliquando contemptum eorum, quos maximè formidant. Dum verò ſubdit obſtrictum ſe teneri Antonio, eò quòd contra ipſum debacchatus fuerit in Senatu, qui Tullium ipſum dixerat Conſervatorem ſuum: palam facit, Inſanire Oratorem, qui contra aliquem apud amantiſſimos illius viros perorat: quique auditoribus exprobrat, quod reum præjudicio exornaverint ſuo. Tum, præbita olim experimenta Virtutis optimum eſſe clypeum eorum, qui dubii criminis accuſantur. Tum, perſuaderi non poſſe civibus, quod hoſtis Patriæ ſit, qui olim ejuſdem Conſervator, & Pater communi fuerit Senatus, & Populi voce compellatus. Tum, præclarum inimici munus videri, quod ingeſta neceſſitate depellendæ calumniæ anſam præbeat commemorandi propriæ Virtutis decora, quæ cæteroqui non ſine ſuperbiæ nota potuiſſet orator in memoriam civium revocare. Et alia ſexcenta effata ſapientiæ ſub quolibet penè Ciceronis (1) verborum ambitu latentia poſſent in medium afferri, quæ ab ipſo modeſtiſſimè diſſimulata, ut eadem ab aliis ſuorum e cortice verborum enucleata, veluti proprii fructus ingenii, magis erudito auditorum palato blandirentur, recentiores aliqui Seſquicatones apertè pronuntiaſſent non ſine incredibili aſtantis coronæ faſtidio.

(2) Præterea Sententiarum, cum *Directæ* ſunt, denſitas obſtat invicem, ut in ſatis omnibus, fructibuſque arborum, nihil ad juſtam magnitudinem adoleſcere poteſt, quòd loco, in quem creſcat, caret. Eædem præterea, Quintiliani verbis utor, Libro 8. cap. 5. *conciſam faciunt orationem, & quaſi ſolutam, nec tam ex membris, quàm fruſtis conſtructam*. Eo ſeculo, quod ætatem Ciceronis excepit, inſeri cœperunt Orationi corrupti, minutique ſenſiculi, & extra rem petiti, ac mutatâ eloquentiæ formâ omnes ingenii nervos eò contenderunt Oratores, ut Sententiolis Declamationes ſuas nòn ornarent, ſed refercirent. (3) Hanc quicumq; nunc intemperantiam ſequuntur, licèt magnam judicii, prudentiæque opinionem ſpe præcipiant hinc acceſſuram ſibi: licèt ipſis tantùm, ut inquit ille, *cor Zenodoti, & jecur Cratetis* ineſſe ab auditoribus credendum putent: procul tamen abſunt, ut eam ſibi laudem vendicent, cum obſcurum nulli ſit facultatem hanc effingendi Sententias ex omnibus Inventionis Topicæ fontibus facillimo poſſe negotio comparari, ut Quint. ait lib. 6. cap. 3. Quid, quod iiſdem plurimùm eos uti videmus, quos nemo prudentiæ laude volet afficere. Quid, quod eaſdem natura ruſticos, *abnormes*, ut inquit Vates, *Sapientes* docet, iique omnium maximè Sententiis ampullantur, ut Ariſtoteles notat, cujus verba juvat afferre ad illorum audaciam compeſcendam, qui earum den-

(1) *Innumera alia detegi poſſent*.

(2) *Improbata denſitas Directarum Sententiarum*.

(3) *Eaſdem afferendi facilitas*.

denſitate, ac frequentia popularem auram aucupantur incaſſum; οἱ γὰρ ἀγροικοὶ μάλιστα γνωμότυποι εἰσὶ, καὶ ῥᾳδίως ἀποφαίνονται.

Quid, quod graviſſimas, & cenſorio ſupercilio dignas fundere ſententias aggreſſi eas nonnulli deinde obtrudunt ita communi uſu protritas, ut innumeræ ex iis occurrerent cuilibet unum, aut alterum in Muſæo ſpatium facienti. Nec deerant Quintiliani ævo, fortaſſe nec noſtro deſunt, qui, *non tam multas*, olim dicerent, & nunc *ſententias dicant*, *quàm omnia tanquam ſententias*: uſque adeo ſuperbè inflant quæcumque inania proferunt, ut pueris reſponſa Delphica videantur.

Iis rejectis Sententiolis, quæ vanæ, quæ falſæ, leves, ineptæ, frigidæ, non flammæ, videlicet, ſed ſcintillæ inter fumum emicantes, ex nullo certè Oratore ſalubriora, quàm ex Tullio, cum Vitæ agendæ, tum Reipublicæ gerendæ Præcepta poſſunt hauriri. Dicere ſolebat magno præſtans ingenio Chriſtina Svecorum Regina non hæc a Tacito, ſed a Tullio, petenda eſſe, qui adeo comprehenſam animo habuit Politicam Scientiam, ut in Literis ad Atticum ea ferè omnia prænuntiaverit, quæ deinde in mutatione Regiminis contigerunt.

(1) Poſt acutas Notas eorum, quæ in hominum Vita contingunt, tertium ſequitur Argutiarum genus, quod hoc præcipuè nomen vulgò ſortitur, ſirenulæ videlicet illæ, & gratiæ, veneres, ac venuſtates, quas recens de Stylo clariſſimus Author definivit: (2) *Ingenioſas Animadverſiones in breve dictum contractas*. Miram quandam in his Ciceronis urbanitatem fuiſſe Quintilianus affirmat, ac ſive in ſermone quotidiano, ſive in altercationibus, & interrogandis Teſtibus, ab illo plura, quàm a quoquam, dicta fuiſſe facetè, adeout Quintus (3) ejus Frater, & Libertus Tyro, tres ediderint de Ciceronis Argutiis Libros, qui niſi temporis injuriâ intercidiſſent, nullum omnino extaret Opus, quod majori voluptate animos afficeret, & acueret ingenia. Quod ſi tot a Ciceronis ore, fœcundiſſimo Charitum viridario, commoda, & vernantia dicta in colloquiis amicorum, & hoſtilibus jurgiis ex tempore floruerunt, qui poſſit ambigi plura meditatò acumina orationibus ab illo inſeri potuiſſe, niſi ea cauſarum aliquando dignitas reſpuiſſet? Elucet tamen in hoc etiam genere vis mirifica Tullii, qua illi omnium conſenſu deberi

(1) *Tertia ſpecies Argutiarum*.
(2) *Hujus ſpeciei Definitio*.
(3) *Mira in illa Ciceronis Urbanitas*.

primas oſtendam, poſtquam eos exploſero, qui novitium hujus ætatis inventum, (1) ac Tullianæ incognitum, prædulcium Sententiarum floſculos dicunt. Inducta quidem in morem ab hoc ævo ſunt

. . *Protenſa, ut fœmineæ, femoralia, pallæ:*
Auro cæſaries undanti terga flagellans,
Ludibrium pluviæ, & cunctis mutata diebus
Cæſaries, qua nunc Corvus, cras prodit
Apollo,
Progenies proprio non agnoſcenda parenti.
Pallia non humeris, ut quondam, aptata
decenter,
Sed Zonæ in morem compoſta, aut credita
ventis,
Inſtar Vexilli, laterique admota recurva
Brachia, ceu duplex ollam complectitur
anſa:
Pileolus galeam referens, aut Mercuriale
Furtorum tegmen.

Has, inquam, aliaſque Satyrâ dignas veſtium argutias, ſeu verius ineptias, (ut eo illas compellem nomine, quo ſuum de Acuminibus Librum Meliſſus inſcripſit) has certè veſtium nugas hæc ætas invenit; ſed fruſtra eadem ſuperbiam quærit ab inventione ingenioſorum Acuminum, quorum quatuordecim principes fontes bis mille ab hinc annis Ariſtoteles (2) aperuit in Rhetoricis Libris, in quibus de iis copioſè, ac diſertè præcipit: eadem partitur in claſſes, & ſingulorum ex vetuſtiſſimis Authoribus affert exempla: ut ex Pericle, qui laudans extinctos in bello Juvenes, *iis*, inquit, *viduatam Urbem exhibuiſſe Annum, a quo Ver fuiſſet ablatum*: ex Leptine, qui everſa Lacedæmone *alterum* dixit *erutum fuiſſe Græciæ oculum*: ex Priolao fortiſſimam Athenienſium Navim, cui Nomen Paralo, *Clavam populi* appellante: ex Pericle Æginam inſulam unam ex Cycladibus Pyræo propinquam, & obſcurantem illius gloriam, *Pyræi lippitudinem* videri dicente: ex Lyſia in Oratione funebri de iis, qui miſſi a Corynthiis ad commune Græciæ contra Perſas bellum Salamine ſunt interempti, jubente, ut *in eorum ſepulchro captivæ in morem Græcia ſibi comam raderet*, quoniam cum eorum virtute libertas etiam Græciæ ſepeliebatur: ex Iſocrate de quibuſdam Græciæ pacem ægrè ferentibus: *eos arbitratos fuiſſe pacem illam privatis ſuis rebus eſſe bellum*: ex Patrone, qui affirmanti *Tempus eſſe doctiſſimum, quia eo præterlabente omnia diſcimus*, repoſuit ſtatim, *omnium rerum inſcium Tempus eſſe*.

(1) *Ineptè aliqui dicunt Argutias novitium inventum*.
(2) *Quatuordecim earum fontes aperuit Ariſtoteles*.

Digitized by Google

eſſe, quia illo præterfluente omnium Doctrinarum memoria paulatim nobis ex animo excidit: aliaque plurima exempla recenſet, quæ quia præcipuè vim habent in Græcis vocibus, prætermittenda cenſeo.

Ea verò petita ſunt ex Antitheſi, Tranſlatione, Imagine, Energia, ſive repræſentatione vitæ: Enargia, vel evidentia rem qualemcumque oculis ſubiiciente: ex Deceptione, & Errore præcedenti: ex diverſa ab iis, quæ primo aſpectu videntur innuere, verborum ſignificatione: ex Novitate, qua communi Expectationi contraria dicuntur: ex Hyperbole, ſeu mirabili rerum incremento: ex multiplici joci, cavilli, & cujuſcumque ridiculè dicti origine: ex ipſa demum, quæ omnium argutiarum leviſſima eſt, immutatione levi Literarum.

(1) Juvat aliquantulum in ſingulis immorari. Antitheſis, ſive Contrapoſitionis, qua proferimus ea, quæ prima fronte pugnantia videntur, utpote apertiſſimæ, nullum exemplum affert Ariſtoteles.

Secundus fons acuminum eſt Metaphora, ſive Translatio, non tamen quælibet, ſed ingenioſa, per quam facilè, ac celeriter addiſcimus aliquid ſcitu dignum, ut cum *Senectutem* appellamus *Stipulam*; hoc enim nomen ſtatim indicat proportionem Senectutis, ac Stipulæ, quia utraque viriditatem amiſit. Hujuſmodi ſunt, quas ſupra innuimus, quibus *Sparta* dicta eſt *Oculus Græciæ*, &c.

Tertius eſt Imago, ſive ſimilitudo, ut illa, qua *Juvenes extincti* comparati ſunt *Veri, quod quis ab Anno auſerret*, &c.

Quartus eſt Energia, ſive Repræſentatio Actionis, & Vitæ, quæ rebus etiam inanimis tribuitur, ut cum Homerus de Saxo Siſyphi dixit:

Ille pudore vacans iterum lapis ima petebat:

& de ſpiculis ad bellum præparatis:

Stant terrâ defixa, optantque in corpora figi
Spicula:

de Haſta Menelai:

At cuſpis pectus pertranſit plena furoris.

Quintus eſt Enargia, ſive Evidentia rem qualemcumque oculis ſubiiciens ita, ut non tam videamur nobis audire, quid ſit faciendum, vel factum, quàm videre, quod actu fiat: ut cum Eſion dixit de Athenienſibus, qui totam penè Nobilitatem ad bellum Siculum miſerant, eos *Civitatem in Siciliam effudiſſe, adeout Græcia clamorem ediderit ſe deſertam conqueſta.*

Sextus eſt Error, & Deceptio præcedens; animus enim tranſiens ab Errore ad Veritatem lætatur, & quodammodo dicit ſibi ipſi: quàm verum eſt, quod didici; ego verò quanto in errore eram! Hujus loci Exemplum non affert Ariſtoteles. Eſt autem tale v. g. illud Senecæ, quo Lycus de ſuo ignobili genere gloriatur, cujus rubore ſuffundi ipſum putabat auditor.

Septimus eſt, cum aliud ſignificatur diverſum ab eo, quod verba primo aſpectu præſeferunt. Tunc enim delectamur, quia diſcimus aliquid, quod ſub cortice verborum latet. Hujus generis ſunt Apophtegmata quædam, ut illud Steſicratis: *Cicadæ apud vos humi canent*; ſignificat enim Regionem ita vaſtatum iri, ut nulla remaneat arbor, in quam Cicadæ aſcendant, adeoque cantaturæ ſint humi.

Octavus eſt, cum profertur aliquid, quod auditor non opinabatur dicendum, adeoque non eſt conſentaneum ejus opinioni. Ex hoc fonte oritur reſponſio Paronis de Tempore rerum omnium inſcio.

Nonus eſt Ænigma, quod pariter urbanum eſt, & jucundum, quia præter Tranſlationem, quam continet, ducit etiam auditorem in cognitionem rei prius obſcuriſſimæ. Eſt autem Ænigma oratio, per quam dicentes ea, quæ rei inſunt, videmur conjungere illa, quæ conjungi nequeunt, eò quòd utamur nominibus metaphoricis viſis inter ſe repugnare: ut cum de Chyrurgo, qui admoverat ægroto cucurbitulas, dictum eſt: *Vidi virum igne vitrum viro agglutinantem.*

Decimus eſt, cum præter expectationem verba leviter immutantur, adjectâ, vel detractâ literâ, vel ſyllabâ, vel adhibita diverſa vocis interpretatione. Quinque affert Ariſtoteles hujus loci Exempla petita ex Græcis vocibus. Ultimum etiam latinè poteſt efferri deſumptum a Veteri Poeta, qui cum videret Hoſpitem ſuum nimis eſſe verecundum, dixit: *O Hoſpes, ne ſis magis hoſpes, quàm oporteat.* Septimum eſt Anaxandridæ, qui dixit: *Pulchrum eſſe mori, cum nihil morte dignum egiſti*; idem enim eſt, ac ſi diceret: dignum eſt mori, quando quis non eſt dignus mori.

Undecimus eſt, cum Proverbia urbana afferuntur; ut cum de iis, qui aliquid domum comportant, unde commodum ſperant, ſi damnum deinde ex eodem accipiant, dicitur: *Carpathius leporem*; cum enim Carpathus Inſula leporibus deſtitueretur, duos incolæ in illam importarunt, qui, fœcundiſſimi cum ſint, ita brevi ſunt aucti, ut ferè omnes agrorum fructus corrumperent

(1) *Singulorum Exempla fontium.*

Digitized by Google

rent cum magno Carpathiorum damno.

Duodecimus eſt ingenioſa, & lepida Hyperbole, ſive ementiens ſuperjectio rerum, ut cum quis de habente faciem rubris maculis diſtinctam dixit: *Ipſius faciem eſſe mororum calathum*. Animadvertit tamen, Hyperbolem ſpirare quid juvenile, neque admodum decere viros cordatos, & graves.

(1) Tertius, & quartus decimus fontes argutiarum ſunt ingenioſa dicta ridicula, quibus interdum uti debent etiam Oratores; bene ſiquidem Gorgias dixit, expedire aliquando, ut ſerias rationes Adverſarii ridiculis diluamus, atque in ipſum vertamus; ſi verò Adverſarius adhibuerit ridicula, expedire, ut ſeriis illa rationibus reprehendamus. Porrò prima ridiculorum ſpecies, quæ conſtituit Tertiumdecimum acuminum fontem, eſt, cum propriæ voluptatis gratiâ ironicè quis jocatur. Secunda, cum quis jocatur ſcurriliter ad alios oblectandos. Neutrius exemplum affert Ariſtoteles. Primæ ſpeciei peti poteſt a Cicerone, qui *mirari ſe* oſtendit, *quod Hortenſius nodum quendam non ſolveret, cum Sphyngem domi haberet*; maximi enim pretii æneam Sphyngem dono ille a Verre acceperat. Secundæ ſpeciei exempla innumera ſuggerit idem Tullius, dum *Verris* nomen ludibrio traducit.

Et erit, qui has Orationis delicias, de quibus tam enucleatè diſſerit Ariſtoteles, nuper inventas dicat? Profectò corruptelam Rhetoricæ Facultatis illis crimini verterim, qui eam inconſultè aggrediuntur, & profitentur, cujus leges edidicere nunquam, & eas ne delibarunt quidem, quas tradidit Stagyrites, cui Magiſtro eximio Sapientum omnium oppidò pauci pro merito addicti ſunt, ac pro fonte rivulos conſectantur.

(2) Neque Græcis tantùm hos Atticos eloqui flores natura indulſit, ſed hæc cum gratia quadam, & venere dicta uſque adeo veluti propria Urbs olim Roma vindicavit ſibi, ut hinc *Urbanitates* appellatas crediderit Fabius *ſermonem hunc præſeferentem in verbis, & ſono, & uſu, quendam guſtum Urbis*. Iis quia minimè utebatur antiquiſſimorum rude artificium Oratorum, iidem a Cicerone carpuntur. *Nemo*, inquit, *ex illis erat, qui breviter, argutèque incluſo adverſario laxaret Judicum animos, atque a ſeveritate pauliſper ad bilaritatem, riſumque traduceret*. At deinde argutiarum lepores increbuerunt adeo, ut ſine iis ne dicere ſe quidem poſſe Romani putarent. Idcirco antonomaſticè nuncupabant *Dicta* hos luſus ingenii. *Noſtri*, ait Tullius, *cum eſſent breviter, & acutè jocati, ea proprio nomine appellari Dicta voluerunt*. Et ipſe quidem, qui alios perſtringit eò, quòd argutiis parcerent, iis liberaliter non inſperſerit Orationem? Inſperſit adeo, ut non eas tantùm amaverit, quæ ab ipſo vocantur *Humanitates*, eò quòd ſint ornamenta ingenii Humani, ac Civilis; ſed nec illas rejecerit, quæ *multo ſale*, ut Lucilii formulâ utar, *perfricarent hominum mores*. Hinc in Epiſtola ad Pœtum: *Effugere ſi velim*, inquit, *nonnullorum acutè, aut facetè dictorum offenſionem, fama ingenii mibi eſt abiicienda*. Tot profectò fuere Tullii ſales, commoda, & mulſa dicta, Cavillationes, Joci, vafræ, & ludicræ Concluſiones: tam ſæpe, vel in ipſo Conſulatu provocavit Senatum ad riſum, Rempublicam interea ſeriò defendens, ut rigidus aliquando exclamaverit Cato: *Dii boni, quàm ridiculum Conſulem habemus!*

(1) Quoniam verò Dictorum urbanorum alia ſeria, alia jocoſa, alia media, traduntur, & mirè in ſingulis venuſtus Cicero fuit: ſeria, & media interim prætermitto, quorum ſpecimen illuſtre Famianus Strada dedit, & ad reficiendos præſtantiſſimorum animos auditorum, & a ſatietate revocandos, (abſque eo, quod ex recepto a plurimis more ſubabſurdæ Hiſtoriolæ copioſè narrentur,) juvat innuere fontes, ex quibus ridicula duxit. Riſum ſummo artificio Cicero concitavit aliena reprehendens, aut refutans, aut elevans, aut repercutiens, aut crimen transferens, aut ſimulata aſſenſione ludens: ut cum Fabiæ Dolabellæ dicenti: *Triginta ſe annos babere*: *Verum eſt*, inquit, *nam boc viginti jam annis audio*: aut ſimilitudinibus jocatus, ut cum Junium hominem nigrum, & macrum, & pandum, *fibulam ferream* dixit lib. 6. Epiſt. ad Atticum: aut ſubabſurda ſuſpicione blanditus, ut de illo refert, qui querenti, quod Uxor ſua e ficu ſe ſuſpendiſſet: 2. de Orat. & in Acad. quæſtionibus inducit reſpondentem: *Rogo, des mibi ſurculum ex illa arbore, ut inſeram*: aut decipiens expectationem, & aliter accipiens dicta, ut cum Sextus Annalis Teſtis clientem ſuum læſiſſet, & inſtaret identidem Accuſator: *Dic*, inquiens, *Marce Tulli, num quid potes de Sexto Annali?* Verſus dicere cœpit de Libro Ennii Annali Sexto:

Quì potes ingentis cauſas evolvere belli?

aut ex Hiſtoria Urbanitatem ducens, ut factum ab illo narrat Plutarchus in ejus Vita,

(1) *Etiam ingenioſa dicta ridicula Oratorem decent.*

(2) *Acumina cur appellata Urbanitates.*

(1) *Exempla riſus concitandi ex Cicerone.*

Digitized by Google

ta, cum enim ei teſtem in judicio Verris roganti dixiſſet Hortenſius: *Non intelligo hæc ænigmata. Atqui debes*, inquit, *cum Sphingem Domi habeas*, ut ſupra notavimus: aut ingenioſè nomen interpretatus *futurum* dicens, *ut Verres idem omnia verreret*: eumdem *Herculi*, *quem expilaverat*, *moleſtiorem Apro Erymanthio fuiſſe*: cumque Sacerdoti Prætori Verres ſucceſſiſſet, *malum fuiſſe Sacerdotem* dicens, *qui verrem tam nequam reliquiſſet*.

(1) Cæterùm quàm prudenter ille frigida rejecit acumina, ut nominum fictiones adjectis, detractis, mutatis literis, in quo tantùm genere nonnulli triumphant! Ut illi quaſi incogitanti ſe Acumina ingerunt, quæ cum ex intimo artificio depromat, videtur proferre fortuitò! Quantùm illi gratiæ ſeveritas affert, cum conſilium diſſimulat captandi riſus! Ut non verbis tantùm, ſed & geſtu, aut motu quolibet corporis riſum ſæpe feſtiviſſimè laceſſivit, ut cum Fabii fugam a ſubſelliis notaſſet, eâ diſſimulatâ: *Reſpicite*, inquit, *Judices*, *hominum fortunas*, *reſpicite varios*, *dubioſque caſus*, *reſpicite Fabii Senectutem*: cum hoc *reſpicite* ornandæ orationis causâ ſæpe dixiſſet, reſpexit ipſe, ac tunc animadverſum cum riſu ab omnibus fuit, Fabium a Subſelliis demiſſo capite diſceſſiſſe.

Dies planè me deficiat, ſi ſpecies omnes perſequi velim eorum, quæ lepidè, & ſalsè Tullius dixit. Profectò hilare quid in Galba, contumelioſum quid in Junio Baſſo, aſperum quid in Caſſio Severo, lene quid in Domitio Afro, quidquid denique leporis in aliis fuit, fœliciſſimo naturæ beneficio contigit huic, ut Catullus loquitur, *Diſertiſſimo leporum*, *& facetiarum patri*. At videlicet inſigni prudentia, *veluti Salem in Menſa*, ut deinde Fabius præcepit lib. 6. cap. 3. in Oratione Sales adhibuit, qui excitant, & a tædio defendunt Orationem eamdem. Sanè tamen, ut ſal in cibis pauló liberalius aſperſus, ſi tamen non ſit immodicus, affert aliquid propriæ voluptatis, ita hi quoque in dicendo ſales habent aliquid, quod nobis faciat audiendi ſitim.

Cum ergo conſtet Ciceroni ſupra cæteros mortales lepidiſſimum ingenium a natura indultum fuiſſe, quis inficiabitur Oratorum omnium argutiſſimum ipſum cenſendum, nec ulli plures lepores ineſſe, ſi de iis quæſtio ſit, (2) qui decent, qui cauſæ proſunt, qui non imminuunt dicentis authoritatem, quique non ſuccidunt eloquentiæ nervos. Sunt, qui, ut cuilibet rei aculeum jejunè, ac exiliter adiiciant, & appingant, purum, & liquidum orationis flumen infuſcant, inſiſtunt ſemper atque in fruſtula concidunt diſſolutas, ac leves ineptias, quarum oſtentatio de induſtria compoſita ſyderatio quædam eſt argumentorum: eadem attentionem obruit auditorum, faſtidium parit, affectus enervat, & a decoro quàm alieniſſima eſt. Tum penſi nihil habent, quid loco, quid tempori congruat: ut Cajus Titius Eques Romanus, quem jure ſugillat Cicero, eò quòd redundantes argutias in Tragœdias ſatis ille quidem argutè tranſtulerit, ſed parum tragicè, quem Lucius Afranius perperam ſtuduit imitari: utque inſani Oratores, qui, ut idem Tullius notat, vel Patroni in miſerabili, vel Accuſatores in atroci cauſa jocantur. Quo in genere quis Divini Verbi Præcones ferat, qui vel in concitandis affectibus ſemper addunt, & ſubiiciunt exclamationibus acumina, pictamque ſuperbè, ac phaleratam orationem enervem, & ſpiritu deſtitutam farcire iiſdem ambiunt? Quis in cæteris Oratoribus Argutias non averſetur illas, quæ prima quidem fronte vibrantes videntur, & lepidæ, ſed in receſſu ſerium nihil exhibent, quorum crimina licet audientem tranſvolent, ab otioſo tamen Lectore facillimè intelliguntur: quæ ſaltem quaſi per vim, & ad ludicram, atque inanem ingeſtæ pompam ex ipſis quaſi cauſæ viſceribus non eruuntur? Hinc ſi contexunt aliqui Heroum laudes, (1) non ex præclaris eorum facinoribus ſumunt anſam ea lumina proferendi, quæ Virtutes eorumdem amplificent, quod præſtitere Plinius, Pacatus, aliique Panegyricæ artis Magiſtri, ſed tralaticias, & obvias inſerunt Similitudines, digrediuntur in Theſes, aut Deſcriptiones inanes, in poeticas imagines rerum, quas calamiſtris inurere, & quæſito colore pingere pronum eſt illis, qui Hetruſcos Poetas, & Mythiſtoricos perpetuò terunt: præſertim cum in iis plurimùm acquieſcant nugis, quæ minus illuſtribus e fontibus hauriuntur, nec illa ſunt Acumina, quæ docent, quæque idcirco ſapientibus etiam viris, & ſeveriores diſciplinas profeſſis Eminentiſſimus Author Sfortia Pallavicinus indulget. Inepta hæc Oratoris, & ſæpe etiam Poetæ, ambitio, quæ undique venatur argutandi materiem inſignis in illo paupertatis argumentum eſt; cum enim ea ex omnibus rerum attributionibus, ſeu Circumſtantiis, ultro ſuggeratur, ab iis tantùm aliunde quæritur,

(1) *Tullii Prudentia in ſelectione Acuminum.*

(2) *Quæ acumina reiicienda.*

(1) *Ineptiæ quorumdam Acumina quærentium.*

Digitized by Google

tur, quorum ingenii vena miſerum in modum aret. Illi tamen ſi demum ingenioſum aliquid per improbum laborem extundunt, dicendo ſuperbi, & vaſti intumeſcunt, & videntur auditoribus inſultare, *digni, quibus pro hac ſui deſpicientia*, ut inquit Fabius, *odium a cæteris reponatur*. Tum verba ſtatim eliquant, & pæné pueriliter lenocinantur hilaritate vultus diſſolutè feſtiva: nunc tinnuli ardeliones, impudentiſſimique oblectationis captatores, extemplo iterum tumidi aſſurgunt, cumque ſibi plaudere propemodum videantur, admirationem ſui excitare dicendo conantur, quam tamen a ſapientibus viris non extorquebunt, ſed ab inconſultis tantùm adoleſcentibus, aut iis certè ex honorariis auditoribus præjudicio quodam amoris addictis illi, qui cæteroqui ſibila invitat, dum ipſis digitorum præſtigiis, & explicato identidem in ſaltum corpore in mimum,& hiſtrionem degeneravit.

Ut a Cicerone in reliquis dotibus toto cælo diſtant, ita in Actione principe cæterarum, qua ille mirificè præſtitit, juſſitque, ut moderatio vocis, & geſtus prudenter, ac eleganter argumento ipſius orationis, & carminis ancilletur. *Sed enim*, ut inquit ille, *quo quiſque ingenio minus valet, hoc ſe magis extollere, & dilatare conatur: ut ſtaturâ breves in digitos eriguntur, & plura minantur infirmi*. Si eadem, quæ pronuntiationem exornare debet, ſcribentem quoque modeſtia commendet, atque prudentia, penſi plurimùm habebit Orator, quis, & in qua cauſa, & apud quem, & in quem, & quid dicat: (1) & vitioſam Acuminum redundantiam a caſtigata eorumdem moderatione ſecernet. Hæc porrò moderatio inferi, & donari ab arte vix poteſt, acui tantùm & corrigi a Judicio valet, & accendi, ac promoveri Ciceronis imitatione, cui licet *Argutiarum modum defuiſſe* plurimorum opinio fuerit, ut Quintilianus narrat; verè tamen hac ipſe laude cæteros ita Oratores prætergreſſus eſt, ut præſcriptos ab arte fines nunquam exceſſerit.

(2) Aſſerto in argutè dictis Ciceroni Oratoriæ facultatis imperio, ſupereſt, quod erat in partitione poſtremum, emicans ab ipſo Styli colore acuti lumen ingenii. Hujus etiam venuſtatis palma ipſi omnino tribuenda videbitur, poſtquam illorum labes excuſſero, qui ad eamdem anhelant, vel amputatâ, & cymmeriâ, vel exaggeratâ, & poeticâ Mythiſtoricorum formâ. (3) Non deſunt, qui Aureæ cujuſdam belluæ ſordes, & eorum, qui ejus veſtigiis inſiſtunt in fabulis hiſtoricè narrandis, Ciceronis auro præferunt, & margaritis. Cum illa rudere, quàm cum Tullio loqui, malunt. Haud ferè quidquam præter Encolpios, Trimalciones, Lucios, Meroes, crepant. Hos veluti ſegetem gloriolæ ſuæ, hos tanquam compendii ſui pararium exoſculantur: has purpuras ſuas eſſe dicunt, & duces adoleſcentibus ſunt, ut pictos in Cyprio littore, in Authoribus videlicet Mores pariter, ac Stylum inquinantibus, calculos legant, cum adamantum, Tulliani videlicet candidiſſimi Styli pretium ignorent. Secta quædam ineptiſſima Recentiorum Rhetorum inſurrexit ad veterum, qui aureo Latinæ Linguæ Seculo floruerunt, normam non exigens orationem, quę a veræ, hoc eſt Ciceronianæ, Elegantiæ principatu dejecta, palmam oblectandi faſtidioſum ævum ſibi unicè vindicat. Hanc verò plumbeo Judicii ſtupore ſe adeptam arbitratur crepantibus verbis, immenſis translationibus, quibus nunquam ſimilitudinem proſequuti verecundè utantur alienis, ſermone demum plurima inſolentiæ, & obſcuritatis fæce inquinato. Hinc audaces perſcrutata Scriptores chartis perpetuò illinit, quæ ab illis ſuffuratur, & interim famam Eruditionis affectat, eò quòd hæc, quæ prudentes contemnunt, ſola noviſſe videatur.

(1) Sed enim hujuſcemodi ſermo plurimis nunc arridet, ideoque non contemnendus eſt Rhetori, qui publicæ debet eſſe artifex voluptatis; atque hoc nomine a Platone regalium epularum artificibus comparatur? At quibuſnam arridet? Non parum multis videlicet adoleſcentibus eò in deliciis eſt, quòd amatorium venenum in Authoribus hiſce peſſimorum exemplorum fœcundiſſimis bibunt, & legendo cognoſcunt illa, ad quæ inquinatæ ductu naturæ feruntur. Ab omni virtute derelicti, *ſui*, ut inquit ille, *imaginem in fictis narrationibus cum voluptate cognoſcunt*, & *alienis exemplis ſibi animos addi prægeſtiunt*. Hoc autem ipſo nomine religioni ſibi ducant, qui adoleſcentes inſtituunt, ſi hos unquam nominaverint ignis tantùm dignos luce Scriptores. Quo ſe crimine paſtor obſtringet, ſi veneno infectos fontes indicet gregi? Sed aurum, inquis, e ſordibus Lector extrahet, vel ea ſolùm percurret oculis, quæ ſordentia minimè ſint? Quicumque hæc ita apud Juvenes diſſerit, verè inſanit. Ecquem enim latet quantùm ea metuenda ſint, quæ perni-

(1) *Habenda in omnibus decori ratio.*
(2) *Expenſio acuti Styli, in quo Quarta Species Acuminum.*
(3) *Quæ a multis in Stylo peccantur.*

(1) *Indaganda non ſunt acumina ex impudicis Scriptoribus.*

Digitized by Google

niciem afferre poſſunt? Quàm deſperandum fore, ut frænare oculos, animumque Juvenes queant, ne inquinatas etiam narrationes avidiſſimè proſequantur? Ut oppidò pauci aſperam illam, & ſeveram ineant duas inter, quæ olim Herculi indicatæ feruntur, vias; ideoque inter legendum peſſimè ſcalpi non cupiant intabeſcentem animum, dum elegantiam linguæ amari a ſe fabulantur? Enimvero cum limus, quo conſtamus, facillimo negotio inquinet *in ſe tumulatam*, ut inquit cordatus Vates, *auræ Divinæ particulam*, niſi alis perpetuò procul a terrena contagione nitamur, quod infortunium venemur, manifeſtò liquet. Hinc nullus, opinor, ſapiens tuebitur hujuſmodi Authores perditæ, quam pariunt, patrocinio voluptatis, cum potius hæc ipſorum nominis perenne venenum ſit.

Præterea utcumque has veneres eloquutionis inconſulti adoleſcentes ament, iiſdemque identidem illi blandiantur ſenes, qui eloquentiæ regnum vix unquam e limine ſalutarunt, non tamen deſiderantur plurimi, qui, præter morum corruptelam, per eas veræ elegantiæ formam everti clamant, dum a Ciceronis imitatione receditur: e Sacra præſertim omnes familia Viri, a quibus Magiſtris informamini, quibus præſcriptum a ſanctiſſimis Majorum legibus eſt, *ut Stylus (quamquam probatiſſimi etiam Hiſtorici, & Poetæ delibandi) ex uno ferè Cicerone ſumatur: & ejus Orationes perpetuò perlegantur, ut artis præcepta in iis expreſſa cernantur.*

(1) Iis profligatis, qui vehementer præ Mythiſtoricis Tullium contemnunt, eumque nobis deſtituunt minorum gentium Literatoribus, curſim perſtringamus illos, qui veteres quidem Authores aliquo ſtudio proſequuntur, ſed in iis abdita perſcrutantur verba, & vix unquam uſurpatas dicendi formas, atque omnino fixum animo habent, ne ulla ſit comprehenſio verborum, quæ inſolita quadam loquutione minimè notetur. Semper inter ſcribendum expoſitos oculis illos habent, qui exotica verba in unum congerunt. Quadam depravatione naturæ obſcuritatem amant, ingenioſos habendos ſe arbitrati, ſi percipi tantùm poſſint ab inſigni Lectorum acumine, & majorem ſibi venerationem a longinquo acceſſuram ſperantes, ſi, ut Tyranni, ſuis tenebris includantur. Sed, ut Quintilianus docet, *clariſſima ſunt, quæ a doctiſſimo quoque dicuntur*: & a Sapientum Magiſtro Ariſtotele Perſpicuitas ſummopere commendatur, utque frigidi, & inſulſi ſpernuntur illi, qui peregrinam ſine claritate eloquutionem affectant.

(1) Aſt alii aucupantur arguti laudem Styli exaggeratæ, ac poeticæ criminibus Orationis, quæ auditorum animos non ſubeat, ſed irrumpat, & audaces æmulari Dithyrambos propemodum videatur. Dementiam hanc, quæ poeticum oratorio Stylum permiſcet, acutæ mentis alacritatem putant. Ipſum idcirco prætergredi ambiunt Græcorum Poetarum Principem, cujus adeo vividum, & experrectum ingenium fuit, ut apud illum res omnes vivere perhibeantur; qui enim hanc illi laudem aſtruit Academiæ Pater, in ſpeciem vocum a ſua in alienam ſignificationem audacter translatarum ab Homero eas tantùm, ut indicavimus, affert quibus *lapidem Syſiphi pudore vacantem* dixit: *optantia figi hoſtile in corpus tela, & plenam furoris haſtam*: quæ recentibus ſeſquipoetis languida viderentur. (2) Eos certè non Ingenio præſtare, ſed Judicio penitus deſtitui, crediderim, quam Sextam Rhetoricæ Partem eſſe plurimi affirmant; alii ſapientius docent eamdem judicandi vim non ſolitariam eſſe partem, & ab aliis disjunctam, ſed veluti ſanguinem per univerſum orationis, & carminis corpus æquè diffuſam. Idcirco adoleſcentes, quos prudentia, conſilioque laborare non rarò contingit, ad ampulloſum, & poeticum in oratione Stylum quadam naturæ inductione feruntur, ut ſapientiſſimus ejuſdem naturæ interpres Ariſtoteles docet. Quod autem iidem minimùm ingenio valeant, liquet ex improbo labore, quo grex iſte ſuas nugas lentiſſimo ſtudio ſolet inflare; cum in celeribus alioqui motibus ad excogitandum acutis, & volucris intelligentiæ alacritate ſplendeat Ingenium, quod identidem declamare, & pangere carmen poſſit ex tempore, quamvis ut plurimùm commendetur ſapiens mora, & matura inter res plures electio.

(3) Quod præterea peracuto, & volucri non clareſcat ingenio poeticum hoc agmen Oratorum, conſtat, quia vix illi quicquam ex abditis humanæ, Divinæque Sapientiæ fontibus potavere, quibus in diſciplinis ediſcendis præcipuè fulget lumen ingenii. Qui tincti ſolùm ſeverioribus literis fuerint, non imbuti penitus, ac expleti, nec in ipſa Poeſi ſatis commodè verſari poterunt, cujus virtus omnibus ex artibus, ſtudiiſque redundat, ac præſertim illius procreatrix, & quaſi parens Philoſophia eſt. Quamvis autem plurimùm diſtet Oratorum eloquutio a dictio-

(1) *Labes obſcura verba ſeligentium.*

(1) *Aut exaggerata, & poetica in Oratione.*
(2) *Qui ea conſectantur, Judicio deſtituuntur.*
(3) *Et fruſtra ſperant Ingenii laudem.*

ſtione Poetarum, ab oratoria tamen eloquentia ſegregari poetica prorſus nequit; niſi enim ratiocinandi artificium egregiè didicerint Vates ab Oratoribus, ſemimortua, vel inſana erit Inventio Poeticæ Anima: & niſi Mores pingendi, & Motus animi concitandi artificium ab Oratoribus edocti ſint, utcumque liquida, vel elata carmina fingant, nunquam tamen Poetæ dicentur, quia nunquam aptè Naturam imitabuntur, in qua ejuſdem congruente Imitatione, ac præterea Decori, Morum, Affectuum, ſita Poeſis eſt: nec unquam Bellorum, & Fœderum prudentes afferent Cauſas: nunquam in Concionibus, quæ frequentiſſimè carminibus inſeruntur, different pro dignitate illorum, quos loquentes inducunt.

(1) Jam verò cum conſtet veram argutè exornandi artem ab iis, qui a Ciceronis imitatione ſe abſtrahunt, & Mythiſtoricum, aut Poeticum Oratorio Stylo permiſcent, ignorari, demonſtrandum ſupereſt in quonam præcipuè lepor, & argutia Tulliani Styli collocata ſit. In iis videlicet ſita eſt omnibus, à quibus acumen Styli conſtitui ſupra indicavimus, in verbis nimirum propriis, aut translatis, in figuris, in numero, totoque colore dicendi, qui orationem illuminat. Hæc autem ornamenta plerumque modeſta luce imitantur viæ lacteæ ſydera, ſed non rarò fulgentiora, & illa identidem primæ magnitudinis repræſentant, mirificè ſemper expendendo id, quod cauſa requirit. Argutiarum certè fontes, quos aperuit Ariſtoteles, Metaphora, Similitudo, Energia, Enargia, ingenioſa, & vivida Hyperbole, aliique ferè omnes, acutiſſimam conſtituunt Eloquutionem Tullii. Præſtat in extrema Proluſionis parte quædam ex Oratione pro Sextio, quæ fortè in oculos incidit, exempla afferre. (2) In ea quàm pulchris translatis Piſonem, & Gabinium Conſules, Marcum Antonium Tribunum Plebis, alioſque perſtringit! *Exierunt*, inquit, *malis ominibus, atque imprecationibus duo Vulturii paludati... Id etiam fatum Civitatis fuit, ut illa ex vepretulis extracta nitedula Rempublicam conaretur arrodere... Cumque inſitivum Graccum contra vim multitudinis incitatæ cenſu probibuiſſet... Tu meo periculo, gurges, ac vorago Patrimonii, helluabere? ..Cogor Reipublicæ Naufragium exponere.... Scyllæo illo æris alieni in freto ad columnam adhæreſceret.... Cum illi ſoli eſſent, præter furioſum illum Tribunum, duo Reipublicæ turbines, qui non modò præcipitanti Patriæ non ſubvenirent, ſed etiam nimium tardè concidere mærerent.*

Quid, plures illæ translationes inter ſe nexæ? *Quis enim clavum tanti Imperii tenere, & gubernacula Reipublicæ tractare in maximo curſu, ac fluctibus poſſe arbitraretur?.. Habebam inimicum, non Cajum Marium, terrorem Hoſtium, ſpem, ſubſidiumque Patriæ, ſed duo importuna prodigia, quos æris alieni magnitudo, quos improbitas Tribuno Plebis conſtrictos addixerat... Cum verò in hanc Reipublicæ navem ereptis Senatui gubernaculis fluitantem in alto tempeſtatibus ſeditionum, ac diſcordiarum armatæ tot claſſes, niſi ego unus deditus eſſem, incurſuræ viderentur.*

(1) Inter Imagines, aut Similitudines quantùm illæ fulgent! *Fuerat ille annus in Reipublicæ magno metu, & multorum timore, tanquam intentus arcus in me unum, re quidem vera in univerſam Rempublicam.... Ut ſi gladium parvo puero, aut ſi imbecillo ſeni, aut debili dederis, ipſe impetu ſuo nemini noceat; ſin ad nudum vel fortiſſimi viri corpus acceſſerit, poſſit acie ipſa, & ferri viribus vulnerare: ita cum hominibus enervatis, atque exanguibus, Conſulatus, tanquam gladius, eſſet datus, qui per ſe pungere neminem unquam potuiſſent, hi ſummi Imperii nomine armati Rempublicam contrucidaverunt.*

(2) Quæ ſplendet Energia, ſive repræſentatio actionis, & vitæ, in eo, quod Tullius ait! *Mihi advenienti tanquam totius Italiæ, atque ipſius Patriæ, dexteram porrexerint Brundiſini... Virtus in tempeſtate ſæva quieta eſt, & lucet in tenebris, & pulſa loco manet tamen, atque hæret in Patria, ſplendetque per ſe ſemper, neque alienis unquam ſordibus obſoleſcit.*

(3) Præclara in iis, quæ ſequuntur, eſt Enargia, ſive Evidentia rem oculis ſubiiciens: *Statim me perculſo ad meum ſanguinem hauriendum, & ſpirante etiam Republica ad ejus ſpolia detrahenda advolaverunt... Hanc tetram, immanemque belluam, vinctam auſpiciis, alligatam more majorum, conſtrictam Legum ſacratarum catenis, ſolvit ſubitò legum curâ Conſul... Fuit projectò quædam illa Reipublicæ fortuna fatalis, ut ille cæcus, atque amens Tribunus Plebis nanciſceretur, quid dicam, Conſules? Hoccine ut ego appellem nomine Everſores hujus Imperii, proditores veſtræ Dignitatis, hoſtes bonorum omnium, qui ad delendum Senatum, affligendum Equeſtrem ordinem, atque inſtituta majorum, ſe illis faſcibus, cæteriſque inſigni-*

(1) *In quo collocata ſit argutia, & lepor Tulliani Styli.*

(2) *Hujus Exempla in Translatis.*

(1) *In Similitudinibus.*

(2) *In Energia.*

(3) *In Enargia.*

Digitized by Google

gnibus ſummi honoris, atque Imperii ornatos eſſe arbitrabantur? ... Cum flens univerſus ordo cincinnatum Conſulem orabat; nam alter ille horridus, & ſeverus conſultò ſe domi continebat. Quæ tum ſuperbia cœnum illud, ac labes ampliſſimi Ordinis, preces, & clariſſimorum Civium lacbrymas repudiavit? Me ipſum ut contempſit belluo Patriæ, nam quid ego Patrimonii dicam, quod ille, cum quaſi quæſtum faceret, amiſit?

(1) Hyperbolem cum Enargia conſpirare vidiſtis in iis, quæ recenſuimus; nec ſpectabitis minus in illis, quæ ſubiicimus: *Capillo ita horrido, ut Capuâ, in qua ipſe tum imaginis formandæ causâ Duumviratum gerebat, Seplaſiam ſublaturus videretur. Nam quid ego de ſupercilio dicam, quod tum hominibus non ſupercilium, ſed pignus Reipublicæ videbatur? Tanta erat gravitas in oculo, tanta frontis contractio, ut illo ſupercilio Reſpublica, tanquam Atlante Cælum, niti videretur*. Vivida quoque ſuperjectio eſt in illis: *Qui ab illo peſtifero, ac perdito cive jampridem Reipublicæ ſanguine ſaginantur.... In qua furiæ concitatæ tanquam ad funus Reipublicæ convolant... Ille nefarius ex omnium ſcelerum colluvione natus... Qui propter inſitum quemdam animis furorem diſcordiis Civium, ac ſeditione paſcantur, aut qui propter implicationem rei familiaris communi incendio malint, quàm ſuo, deflagrare.* Neque minus exultat Ciceroniana Hyperbole in laudibus, quàm in objurgationibus congerendis. *Q. Catulus, quem neque periculi tempeſtas, neque honoris aura potuit unquam de ſuo curſu, aut ſpe, aut metu dimovere... Video Milonem vindicem veſtræ libertatis, cuſtodem ſalutis meæ, ſubſidium afflictæ Reipublicæ, extinctorem domeſtici latrocinii, repreſſorem cædis quotidianæ, Defenſorem Templorum, atque tectorum, præſidium Curiæ, ſordidatum, ac reum.*

(2) In infinitum abibit Proluſio, ſi cæterorum exempla referre velim Acuminum, quibus Tullius Eloquutionem exornat, & auditores exhilarat, vel ridiculis ſerias adverſarii rationes diluens, vel ejuſdem ridicula ſeriis ipſe rationibus reprehendens, decori ſemper retinentiſſimus. Præter cæteras igitur tres ſupremas Argutiarum ſpecies, nimirum Argumentum ipſum rerum tractandarum, & rationum ſeriem; gravium Sententiarum lumina, & aliarum ingenioſarum Animadverſionum: quartam quoque ſitam in ipſo Stylo, perpetuoque colore dicendi, apertè, opinor, ſtatuimus in Cicerone præ aliis omnibus Scriptoribus efflorеſcere.

(1) *In Hyperbole.*

(2) *Argutandi Principatus Tullio aſſertus.*

PROLUSIO II.

Ciceronem Oratorum omnium breviſſimum eſſe.

QUod Brevitas Orationis ab hujus, quod agitamus, ingenio Seculi ametur, vehementer admiror, Præſules Illuſtriſſimi, cæterique Auditores Sapientiâ, & Religione præclari, cum reliquis idem in rebus prolixi temporis moram ſtudioſiſſimè ſectetur: (1) vegrandibus, quæ pleraque ab aliis excerpendo in lucem eduntur, Voluminibus Lectores interimat: in conficiendis negotiis neceſſariam arbitretur eſſe cunctationem: lucroſam, & lentam Cauſarum Diſcuſſionem opportunam putet: in Conviviis, in cantu, nocturnis in confabulationibus, atque ludis, in ſomno ad meridiem ferè producto: in omnibus demum ſeu curis, ſeu nugis, artem hæc Ætas invenerit amplius contrahendi ſupervacuâ, & plerumque noxiâ, morâ breviſſimam vitam. (2) Nunc ergo, ſi unquam aliàs, indulgenda pariter Oratoribus videntur, quæ olim Cauſidici, Sophiſtæ, Rhetores, longiſſima dicendi ſpatia ſuo quaſi jure uſurpabant. Nunc ſeptem Clepſydras cum inepto illo, quem Martialis irridet, locutulejo ad colluendas arentes fauces, & ſicca labia vocis formationem intercludentia in ipſo orationis curſu depoſcant, (3) & a lepidiſſimo Vate invitentur ad ipſam ſorbendam aquam dimetientem dicendi moras. Unâ ne tantùm, aut alterâ, Junioris Plinii verbis utor, aut paucioribus certè Clepſydris præcipitetur Cauſa, quàm olim diebus explicari ſoleret? Quod ſua ætate induci in morem cœpiſſe conqueritur idem ingenioſus Author; cum ante ſibi ipſi quatuor ſupra viginti conceſſas dicat: & plurimas permiſſas Græcis Oratoribus Apulejus narret, atque Vitruvius, qui ab Alexandrino Cteſibio excogitatum primò dicit hunc morem, ut ſæpius inverſo vaſculo exiliter fiſtulato, ac per hoc guttatim defluente infuſa aqua dicendi prolixa ſpatia definirent. Hinc licet in Theæteto dixerit Plato, fuiſſe, qui ad puſillam aquam docere poſſent, quæ ſcire oporteret, qui ſcilicet intenti in cauſam, neque anſam captantes torrentis orationis impetu offundendi Judicibus caliginem, ſermonis habenas contraherent; plerique tamen, iique præſtantiſſimi Oratores, Demoſthenes, Hy-

(1) *Noſtra Ætas in plurimis rebus ſtudioſa Prolixitatis.*

(2) *Eam damnat in Oratoribus.*

(3) *Diutiſſimè Veteres perorabant.*

Digitized by Google

perides, Æſchines, expanſis copioſi velis inferebant ſe. Cratinus verò immenſo verborum flumine obruens auditores, ut Suidas meminit, Iliſſum in faucibus habere perhibebatur: & concitatam, ac ſine intermiſſione in morem labentis e cælo nivis ſupervenientem orationem verâ præſtantibus eloquentiâ viris commendatus a Seneca Homerus tribuebat. (1) Hanc in Romanis quoq; Fori, & Curiæ Regibus, Pollione, Cæſare, Cælio, Plinius laudat; neque enim Sophiſtæ tantùm copioſiſſimi erant, umbratiles illæ facundiæ larvæ, rabularum genus, Philone teſte, præſtigioſum, πολύῤῥημον, ut loquitur Maximus Tyrius, aut, βαττόλογον, ut Themiſtius, quos abyſſo loquacitatis merſos dicit Syneſius in Dione relatus a Sanctiſſimo, & eloquentiſſimo viro Hieronymo: quoſque D. Gregorius Nyſſenus in Eunomium carpit, linguâ crotalorum in morem perpetuò perſtrepentes. Ipſius Oratorum Principis Marci Tullii, ut ad Cornelium Tacitum Cæcilius ſcribit, *Oratio fertur optima eſſe, quæ maxima*. Hoc autem ipſo nomine, quòd non amputatum, & preſſum dicendi genus ſequutus fuerit Cicero, in deliciis eſſe profectò deberet huic Seculo, quod in cæteris, quas recenſuimus, rebus moram, copiamque venatur. Sed neſcio quo vel ipſius, vel noſtro verius, infortunio contigerit, ut ſtudioſè quæſitam in cæteris bonis, in divina ipſius Eloquentia longitudinem plerique nunc deſpuant. (2) Cum ergo ex propria inductione naturæ, ac ex graviſſimis domeſticæ diſciplinæ legibus, quæ Ciceronem perpetuò explicari præcipiunt, & ab ipſo Stylum hauriri, aliis Authoribus identidem ſolummodo delibatis, laceſſere jubear adoleſcentes, quos erudiendos ſuſcepi, ad flagrantiſſimum Tullii amorem: cumque interim hujuſce Seculi odium contra me concitare operæ pretium minimè putem; non ego dirigens brachia contra torrentem, ut Juvenalis ait, copioſè declamandum eſſe pronuntio. Sed pernego nimiam fuiſſe Ciceronis copiam; quin ipſum potius Oratorum omnium in dicendo breviſſimum fuiſſe affirmo. Perinde ac in Proluſione, quam humaniſſimis auribus excepiſtis evoluto proximè anno in Repetitione Studiorum, non improbavi Acumina huic Literatorum ætati gratiſſima; ſed, cum ea in Tullio deſiderari plerique autument, toto ipſos errare cælo argumentis evici, cum idem ſit omnium Argutiſſimus Oratorum. (1) Neque verò Paradoxum afferimus non profuturum, cum ſtatuendum ſit, quæ vera ſit brevitas; quæ omitti nequeant inconſultæ brevitatis ſtudio: ex quibus fontibus brevitas ipſa naſcatur: utque illam per Ciceronis veſtigia conſequi poſſimus apta Inventione, & Collocatione rerum, & Elocutione ipſa, qua ſumma poſſit Eloquentia, cujus prærogativa in Tullio extra omnem controverſiæ aleam eſt, ſumma cum Brevitate conciliari.

(2) Antequam Brevitatis laudem Ciceroni afferam, eâdemque deinde cæteris omnibus illum anteferam, decernendum cenſeo quinam brevitatis judices habendi ſint: non ii ſcilicet, quorum inſcitia jugulum cauſæ ſtatim petendum cum Regulo apud Secundum dicit, cum fieri poſſit, ut pes eſſet, aut manus, quem illi jugulum putant: neque alii, quorum delicias, deſidiamque ſi conſulas, præſtat omnino non dicere, quàm breviter dicere. Æquum, ut opinor, arbitrum ſeligam Ariſtotelem, qui hanc Artem ita excoluit, ut alterius documenta nullus unquam ſapiens fuerit auſus optare. Orationis ille longitudinem, ac brevitatem, non rerum, quæ dicuntur, copiâ, & inopiâ metitur; ſed earum, quæ ad obtinendum præſcriptum Oratori finem ſupervacua dicuntur, aut neceſſaria. (3) Hinc illos irridet, qui brevis uſum Exordii generatim præſcribunt; neque enim certa quædam Proœmiorum menſura decreta olim communi Sapientum ſuffragio fuit: quemadmodum in præſentia extat in Capitolio marmorea menſura piſcium, quorum capita Romano Senatui donanda ſunt. Illis pariter inſultat Ariſtoteles, qui productam Narrationem nullo diſcrimine damnant. Hæc ſcilicet, velut etiam cæteræ Orationis partes, Cauſæ accommodandæ ſunt; ideoque ſi uberrimum difficilis controverſia Exordium petat, quo blandè ſe Orator inſinuet in animos Auditorum, uberrimum adhibendum: quod in Oratione de Lege Agraria prudentiſſimè præſtitit Cicero: ſi moderatum cauſa requirat, non exultandum verbis: ſi verò præparatus quæſtioni ſit, & Oratori faveat animus concionis, nullo eſt Exordio diſtinendus. (4) Idemque de Narratione diſputat, quam parcam verborum ſemper optantes explodit Philoſophus ſimilitudine inepti Piſtoris, qui percontari ſolebat durum ne, an mollem panem compingi vellent emptores: quem ludibrio traducens aliquis: an non, inquit, bene

(1) *Neque ſolùm Sophiſtæ, ſed & Oratorum Principes.*

(2) *Proluſionis hujus propoſitum.*

(1) *Quàm profuturum Paradoxum noſtrum.*

(2) *Quinam eſſe debeant Judices brevitatis.*

(3) *An breve debeat eſſe Exordium.*

(4) *Et Narratio.*

Digitized by Google

bene conflari poteſt, quin mollis ſit, aut durus? Ita paucis perſtrictam Narrationem amantes carpit ex iis inquirens, fieri ne poſſit, ut apta Narratio ſit, quin eadem compendio verborum incluſa? Illa igitur brevitas Narrationis ſapientiſſimo Viro probatur, per quam res ita exponitur, ut vero ſimillima videatur, cum cæteroqui jubeat eamdem protrahi, ſi cauſæ conducat.

(1) Quamobrem iis, quæ neceſſaria, vel commoda ſunt ad finem Oratoris aſſequendum, longitudinis nota ex magni Stagyritæ doctrina nequit inuri. Si hujuſmodi ſunt illa, quæ in medium affers,

Non ſunt longa, quibus nihil eſt, quod demere poſſis:

ut acutè Martialis notat, lepidiſſimè addens,

Sed tu, Coſconi, diſthica longa facis:

eò quòd in ipſis Diſthicis, quibus nihil brevius videtur eſſe, ineptus Coſconius multa diceret ſupervacanea. Cæteroqui, *Prævaricatio eſt*, ut inquit immortalis ad Trajanum Panegyrici Author, *tranſire dicenda*: *Prævaricatio etiam, curſim, & breviter attingere, quæ ſint inculcanda, infigenda, repetenda*.

(2) Quia verò Finis ſummopere arduus Oratori præſcribitur, ut nimirum palmam referat ex animis auditorum, temperare ſępiſſimè verbis nequit, licèt prudentiſſimè orationi moderetur, & velis, remiſque auditorum ſatietatem evitet. Ut appoſito exemplo utar, cum in Judiciis Tullio accuſatori onus incumbat oſtendendi, injuſtè aliquid a reo perpetratum fuiſſe, & eidem patrono refellendi, quod clienti ſuo tribuitur, injuſtitiæ crimen, quot illi de Legibus recenſenda ſunt, tum communibus, & conſenſu quodam receptis ab omnibus gentibus, eò quòd omnium animis inſcriptæ ſint a natura: tum propriis, & civilibus, quibus ſingulæ Urbes in officio peculiari quodam jure continentur, ut ex iis læſis conſtet, an illata fuerit injuria? Quot expendendæ cauſæ, & quàm variæ, ob quas injuriâ mortales plerumque afficiuntur, ex quibus quatuor ſupra viginti Oratoribus indicat Peripateticorum Princeps? Ut exploranda eſt eorum indoles, qui proni ſunt ad injurias inferendas, quorum ſpecies traduntur omnino tredecim? Tum eorum, qui lædi, & quibus in rebus, plerumque ſolent? Ut pateat, utrum congruens vero ſit crimen, cujus reus aliquis dicitur, aut immunis: tum ad incendendos Judicum animos ſtatuendum in quo major injuria ſita ſit, cujus amplificationis fontes ſeptem aperit, & quadraginta Sapientum Magiſter eximius?

(1) *Brevitatis, & longitudinis menſura petenda ex Fine Oratori præfixo.*

(2) *Quot neceſſariò dicenda eſſent a Tullio in Accuſationibus.*

(1) Quod ſi defendit idem optimus omnium Patronus, quo nomine Catullus Ciceronem commendat, quot neceſſariò enucleanda depellendi criminis cauſa! Ut adverſarii firmamenta labefactanda! Ut vel accedendum ad ſingula, quò univerſa frangantur! Vel prætereunda, vel obſcuranda ſuſpicionum argumenta: vel tollendum, vel compenſandum factum, dum vel pernicioſum fuiſſe Reipublicæ, vel illi, cum quo eſt controverſia, vel turpe, vel injuſtum, vel magnâ injuſtitiâ inquinatum, negat Orator: vel errore, infortunio, vel neceſſitate contigiſſe demonſtrat: vel cauſas interpretatur, & meliori tribuit eventum rei: vel Accuſatorem ejuſdem, quod in alios confert, criminis inſimulat: vel eundem dicit conſueviſſe innoxios criminari: vel ad vituperandas generatim calumnias orationem flectit, conquerendo commune periculum, ſi criminoſi homines poſſint pro arbitrio vocare in diſcrimen inſontes? Ad hæc præſtanda incredibilem argumentorum theſaurum ſuggerit Magiſter ingenioſiſſimus: nec abſimiles eloquentiæ fodinas aperit iis, qui accuſare aggreſſi cum hoſte confligunt. Quoniam verò, quemadmodum affecti ſunt animi virtutibus, aut vitiis, aut quemadmodum commoti cupiditate, metu, cæteriſque perturbationibus, ita deliberare conſueverunt, quæ animorum pictura ſubiicienda eſt ab Oratore Judicum oculis, quæ morum ſimilitudo conformanda! Sive adoleſcentes ſint, ſive virili robore præditi, ſive in ſenium vergant, ſive humili, ſive illuſtri genere orti, ſive rerum potentes ii, de quibus diſceptatur, ut ex hoc vario ſtatu, & conſtitutione animorum conjecturam facti Judices ducant. Et quia ex diverſa qualitate mentis, & conditione affectionum contrariam ſæpe ſententiam ipſi Judices ferunt, quàm ſæpe interponendi ab Oratore ſunt animorum motus, & iidem ſummo ſunt artificio gignendi, concitandi, ſedandi, ſanandi! Ad quod bellum ſubeundum prodigioſa illi arma ſuggerit Ariſtoteles, expensâ mirificè in Rhetoricis libris Affectuum naturâ, ex quo fonte plurima ſuas in areolas cum D. Thoma Theologi derivarunt, profeſſi, non ſuam tantùm, ſed & Rhetorum, a quibus illam mutuantur, eſſe arcanam animorum doctrinam. Demum quia majorem adhibent Judices fidem Oratori cordato, & probo, quot neceſſariò ab illo inferenda ſunt, ut ferè diſſimulatis coloribus, & in umbram degenerantibus,

(1) *In Defenſionibus.*

Digitized by Google

tibus, ſuos mores exhibeat: ut Judicum animos ſubeat: ut tollat, imminuat, diluat, ſi qua in ſe fortaſſe fuerit ab adverſariis calumnia, offenſiove collata!

(1) Hæc omnia præſtare quì poſſit Orator, ſi pauca tantùm dicat, ac ſemper captato compendio rei faſtigia, & capita curſim attingat? Profuſum dicemus Tullium, ſi nihil in Judiciis eorum omiſit, quæ congruentia eſſent, vel neceſſaria Cauſæ, quæque ſubtrahi proinde non poterant ſine magna ipſius cauſæ pernicie? Conſtaret de eadem neceſſitate non includendi controverſiam parciori dicendi limite, ſi Exornativum, ac Deliberativum genus expenderetur: & plurima certè ſunt illa, quæ ad utrumque pro dignitate tractandum Ariſtoteles, & ipſe Tullius in Oratoriis Partitionibus amplificari jubet. Sed quoniam in Demonſtrativo nonnunquam Cicero, in Deliberativo non ſæpe, in Judiciali quàm ſæpiſſimè verſatur, ſatius fuit ex hujus natura oſtendere, quàm uberi exultare, non tamen inani, & verboſa facundia compulſus fuerit, ut toties vinceret, quoties peroravit. Ipſius quidem Oratio ex communi Eruditorum ſententia *pulcherrima* non diceretur *illa*, *quæ maxima*, ſi ejuſdem magnitudo inani verborum pompa conſtaret: neque aſſenſum illi, ſed odium auditorum conciliaſſet, cum, teſte Sophocle, *res nulla majorem moleſtiam faceſſat, quàm oratio verbis aſſluens; nervis, & robore deſtituta*:

Ἀνὴρ ὅστις ἥδεται λέγων ἀεὶ
Λέληθεν αὑτὸν τοῖς συνοῦσιν ὢν βαρύς.

(2) Porrò non modo ſupervacuâ non luxuriatum copiâ, ſed omnium Oratorum ſtudioſiſſimum brevitatis fuiſſe Tullium, ita ineluctabili ratiocinatione conficimus. Ut Philoſopho placet, omnium breviſſimus Orator ille cenſendus eſt, qui Fini obtinendo ita orationem attemperat, ut nihil penitus ex ipſa ſubtrahi ſine Cauſæ detrimento queat. Sed hujuſmodi unus Cicero fuit, cum alii plurima dixerint vel ſubabſurda, vel inania; vel ea certè, quæ non adeo conducerent ad triumphum ex victis auditorum animis reportandum. Præcipua igitur brevitatis laus adjudicanda Tullio eſt. Quod ex Artis Magiſtro primo loco proponitur, ultro dari ab adverſariis opinor; eſt enim ipſa Definitio maximæ brevitatis. Quod deinde aſſumimus, ita facilè vincere videmur poſſe. Oratoriæ facultatis imperium ex omnium confeſſione Tullio minimè tribueretur, niſi ipſe ad Finem ſuæ facultatis obtinendum orationem omnium fœliciſſimè accommodaſſet. Et nihil quidem ipſi adimi penitus poſſe, ita perſuaſum animo habeo, ut ultro in me recipiam munus oſtendendi, nullum in ipſo argumentum expers eximii roboris eſſe: quod etiam de ſingulis verbis, cum Elocutionem expendam, præ me feram. Quod autem quæ ab aliis dicuntur, ut minimùm non adeo conducant Fini, quàm quæ a Tullio, vocari in controverſiam nequit, niſi de ipſo principatu facundiæ litem Ciceroni cæteri Authores intendant.

(1) Patere luce meridiana clarius hoc ipſum poteſt, ſi Senecam intueamur, qui omnium maximè complexus brevi plurima fuiſſe vulgò cenſetur; ipſe enim, licèt preſſo, & abrupto genere ſermonis utatur, ac ſpreto verborum ambitu minimum curæ impendat juncturæ illi, quæ membrorum, inciſorum, ac periodorum varietate orationem diſtinguit, ideoque ipſum non ineptè *calcem ſine arena* dixerit Cajus Cæſar; tamen eadem plerumque, quibus primò inſtitit, urget veſtigia, & diverſis unam, eamdemque verbis ſententiam effert: ut conqueri Lector non injuriâ poſſit.

Verſamur ibidem, atque inſumus uſque,
Nec nova dicendo procuditur ulla voluptas:

levibus non rarò fidit argumentis, vel, ſi robuſtis innititur, hæc adhuc importuna repetitione frangit: & in idem incidit, quod Montano tribuit Anneus Senior, crimen, *ſententias* videlicet *ſuas repetendo corrumpit, nec ſemel bene dixiſſe contentus efficit, ut nunquam dixerit bene* hic Oratorum Ovidius; cum is etiam ingenioſiſſimus Vates *relinquere, quod ſemel bene ceſſit, ignoret*: nec acquieſcat, cum Hecuba conqueſta Polixenam ante Achillis ſepulcrum immolandam, dixit:

Cinis ipſe ſepulti
In genus hoc pugnat:

niſi etiam adiiciat:

Tumulo quoque ſenſimus hoſtem:

ac tertiò addat:

Æacidæ fœcunda fui.

(2) Sed ut vereamur egregias antiquorum Rhetorum umbras, qui labes quaſdam maximis virtutibus redemerunt, gradus fiat ad recentiores Tullii correctores, & emendatores; iiſdem enim ipſos nominibus compello, quibus olim Cicero Triumvirum Antonium honoris gratiâ ſalutavit. Quis Cælum ter-

(1) *Quàm ſtolidè Brevitatis laus Tullio negetur*.
(2) *Omnium breviſſimum fuiſſe Tullium oſtenditur ex Ariſtotelis doctrina*.

(1) *Tullii cum Seneca comparatio*.
(2) *Prolixos eſſe demonſtratur Recentiores, qui negant Tullio Brevitatem*.

Digitized by Google

terris non miſceat, & mare Cælo, ſi vera perſuadendi a forma miſere delirantes, adeoque in vanam plerumque, &, quæ Sapientiæ minimum habeat, loquentiam effuſi, Ciceronem ut verboſum in jus vocent ad authoritatis tribunal ſuæ? Coſconii videlicet illi, qui longa diſthica faciunt, uſque adeo ſupervacanea ſunt, utcumque pauca, quæ inſani effutiunt, de Oratorum Principe, ſi Superis placet, ſententiam ferant?

(1) Quot ſtrenuè a plurimis peccantur in dies, quæ profuſiſſimos eſſe arguunt illos, qui Tullianæ facundiæ oſores laconicæ profitentur ſe ſtudere plurimùm brevitati? ſive Panegyricos Heroibus cudant: ſive umbratili exercitatione perſuadeant aliquid, (quandoquidem everſo veteri Judiciorum more tradita ſunt Juriſprudentium calamo Rhetorum præmia:) ſive in Academiis proludant: ſive arido expolitos quæſitæ per improbum laborem a Poetis, & Mythiſtoricis elegantiæ pumice Libros in lucem edant. Leves quidam verborum, & inconſulti artifices in roſtra perreptant, qui perpetuò effunduntur in theſes; pueriliter luxuriantes deſcriptiones inſerunt, præter quas, & ingeſtas identidem ſimilitudines, (quæ pede ut plurimùm utroque claudicant, cum in contrariam argumento ſuo cauſam afferri perinde poſſint) vix quicquam proferunt: at præſertim nunquam ex Definitione rem auſpicantur, neque per rationum veſtigia ad ſtatutam Oratori metam cum Tullio enituntur, ignari, veram eloquentiam, quæque doceat auditores, eam eſſe, quæ Cauſam ab ipſa rerum finitione ingreſſa, perpetua ratiocinationum ſerie ab Academię ſpatiis effloruit copioſè loquens Sapientia.

Inanium aucupes ornamentorum, omiſſâ perſuadendi curâ, ac ſpreto Judicii præconio, unicè ambiunt laudem Ingenii, quod auditoribus ſervilem in modum lenocinetur. Hæc tamen etiam ipſis palma detrahenda eſt, niſi Principem Oratorum ſequuti ſuavitatem ament auſteram, ac ſolidam, quæ perſuaſioni velificet, nec robur argumentorum evertat; (2) cæteroqui enim quæ ſuavitatis aliquid, nihil certè nervorum, habet oratio, utcumque in juvenum aures blandè influat, ſtomachum ſapientibus Viris profectò movebit. Dulce plurimis deſipere eſt; adeo decorum omne prorſus eliminant, ac præſertim Ordinem, aptæ brevitatis, ut Cicero docet, principium, & fontem, negligunt adeo, ut diſſoluta, & divulſa fortuitò conglutinaſſe videantur. Enimverò cum Sybillæ folia illa non ſint, in quibus oraculum ipſi nullum exararunt, non ab Authoris conſilio, ſed a ventorum arbitrio ſedem quæſiviſſe dixeris iis, quæ infœliciter invenerunt.

(1) Diſpoſitionem a Rhetoricæ partibus re ipſa plurimi expungunt, cum tamen illa, ut Quintilianus ait, non immeritò Secunda poſita ſit, eò quòd ſine illa Prior nihil omnino valeat: ac ſciti Ordinis admirabilitas, quo ardua ex omnibus, & quaſi regalis ædificii moles Ciceroni conſurgit, maximæ voluptatis illicium ſit auditoribus, & præſtantis in Authore ingenii, qui res animo penitus comprehenſas momento quodam egregiè diſpenſat, luculentiſſimus teſtis. Hanc illi laudem contractis arrogantiæ vexillis deſperent, qui Stagna ſunt, non Fontes, qui videlicet ſuo ipſi parere ingenio nequeunt rationum margaritis, & auro ſapientiæ dives facundiæ flumen; ſed ab aliorum lucubrationibus ſuffurantur ea, quæ peſſimè collocata deſcriptum in Libro de Arte Poetica ab Horatio monſtrum effingunt. Fontes ii ſolùmmodo ſunt, qui, ut dixit Eminentiſſimus Author, plurimùm cum Tullio in humanis, ac Divinis Scientiis progreſſi eas pertractare cum poſſent, in Arte dicendi ſponte conſiſtunt, ac Muſis a Pallade commodantur. Hinc alios, qui ſeverioris doctrinæ inſtitutione juvenili minimum attigere, videas ita ſcribentes, ut monſtroſi corporis pes idem, & caput eſſe perinde poſſit, neque minus commodè pectus, quod interim dexteram fingit, & omnia demum ex æquo valeant ſus deque inverti: nunc afferre veterum Proloquium, nunc poeticam imaginem rei, nunc aſſuere, veluti panno purpuram, lepidam Hiſtoriolam, quam niſi copioſiſſima narratione amplifices, inſulſè quibuſdam videberis proluſiſſe: nunc ut res omnes, & alias præterea quaſdam, veluti præfert jocoſus Hiſpani Libelli titulus, dicere poſſint, Muſæum, aut Viridarium deſcribere ornatum pictis tabulis, & marmoreis ſimulachris eorum, qui fabulis inclaruere, quibus multiplex Epigramma, vel Lyricum carmen appingant. Hoc porrò artificio perinde in medium afferre poterunt, quæ olim de Hercule, de Hila, vel de Hyacintho cecinere: perinde enim horum, ac aliorum ſtatuas Muſæo, aut Viridario ſuo poſſunt affingere.

(2) At enim hæc, inquies, utcùmque nullo nexu conjuncta, quorumdam plauſibus excipiuntur? Eorum videlicet, quibus Tullia-

(1) *Nihil fini accommodatum plurimi dicunt*.

2) *Fruſtra ſibi vendicant laudem Ingenii*.

(1) *Diſpoſitio nulla in quorumdam Declamationibus*.

(2) *Inconſultis tantùm Adoleſcentibus placere poſſunt, qui recedunt a Ciceronis imitatione*.

Digitized by Google

lianus rationum progreſſus, & Series, & collocatio inventarum rerum moleſtiam parit: quos portentoſæ imagines, fluctuans exercitus, inverſa natura rerum oblectat; his enim prodigiis comparat Fabius Orationem, quæ carens Diſpoſitionis virtute tumultuatur, & ſine rectore fluctuat, nec cohæret ſibi: multa intempeſtivè repetit, multa tranſit: nec initio, nec fine propoſito, caſum potius ſequitur, quàm conſilium, velut nocte ignotis in locis errans. Hos ego aſſentatores vulgi, qui adoleſcentium præcipuè oblectationem tam intemperanter affectant, quos fortè in concione plauſores diſtribuunt, ut inquit Plinius: & quibus ante prælibandam Orationem legunt, ut magnam illius expectationem iidem exſuſcitent, ſummo ſtudio caventes, ne doctorum virorum auribus ſubiiciatur, qui ſuorum eos criminum poſſent commonefacere: hos, inquam, blaterones interrogo, an docere etiam ex artis ſuæ legibus jubeantur? An delectare docendo poſſint? An id præſtiterint in elegantiſſimis, & doctiſſimis Dialogis Plato, quique illum egregiè ſunt imitati, Speronus, Torquatus, aliique; quorum ingènio noſtrorum ætas avorum ſuperba inceſſit? (1) An celeberrimus Proluſionum Author jure præ ſe in fronte Voluminis tulerit conſitum herbis, ac fruticibus Horologium, cum epigraphe: *Docet, ac Delectat:* ut pingeret præclaro Inſigni, quod ipſe conabatur in Libro; cum tamen iidem perpetuò ratiocinentur, & veſtigium in ipſis nullum extet prodigioſæ hujus, & omni prudenti nexu deſtitutæ, varietatis? Demùm ſpirent ultro, ac placeant: Seplaſiam totam oleant (niſi tamen potius olent Suburram, & Memphim) quorum oratio cumulum tantùm; atque congeſtum habet, dum Brevitatis laudem ſibi non vindicent; cum enim ex iis, quæ aliena, aut perperam commiſſa, aut inania effutiunt, pleraque omitti poſſint, abſque eo, quod Cauſa, quam ratiocinando interim non conficiunt, quicquam detrimenti capiat, prolixæ loquacitatis rei, eò quòd plurima dicant non congruentia Fini, ex Ariſtotelis doctrina profectò ſunt. Iidem, niſi omnis in iis pudor, flos, & ſpes futuræ aliquando virtutis, prorſus elanguit, breviſſimum fuiſſe Tullium in iis etiam; quæ noſtris Proluſionibus reſpondent, argumentis confiteantur, in Paradoxis videlicet, in Quæſtionibus de Natura Deorum, in Dialogis de Senectute, de Amicitia, & de Rhetorica facultate, in quibus cum mirifico nexu conjungat delectationem doctrinæ, nihil tamen voluptatis gratiâ dicit, obtinendo, quem ſibi ſtatuit, Fini præclarè non conferens.

(1) Expenſis iis, quæ in Inventione, & Collocatione rerum copioſiſſimè delirant, qui ſe brevitatis amatores mentiuntur, ac ſumma in iiſdem aſſerta Tullio contractæ orationis laude, ſupereſt breviſſimè commendanda Elocutio, qua ſaltem verboſam ipſius fuiſſe facundiam plurimi criminantur; cum tamen adeo cuncta in ea ornamenta militent cauſæ, adeo in ſingulis eximia vis, ac ſpiritus lateat, ut, quam inanem pompam appellant illi, qui ab ejus artificio deficientes veram eloquentiam labefactarunt, eadem ſint orationis mœnia, & propugnacula. Sed enim repetitione ſæpe utitur, & uberi expoſitione rerum? At illâ identidem utendum præcipit Stagyrita, & ipſius Artis natura, præſertim cum concitantur animi motus, cumque inertis vulgi captui ardua quædam aptanda ſunt; huic enim ut ſerviat Orator, ſicuti quædam proferre prohibetur doctrinarum arcana, quæ auditores animo minimè aſſequerentur, ita quædam protendere latè jubetur, quæ ſolùm indicata, vel etiam non impreſſa iterum, minus attentos, aut hebetes auditores effugiſſent: perinde ac veſtium, quę ſemel tinctæ fuerint, facilè color evaneſcit; quas verò multoties, & frequenter immerſas eduxerint infectores, ex florem coloris immutabilem ferunt. Cæterùm niſi res, & cauſa, & demum Finis id exigat Oratoris, brevitatis lex, & menſura, ad oſtentandum luxum verborum nunquam omnino Cicero, frequentiſſimè per imprudentiam impediti ingenii auditoribus intempeſtivè diffidentis repetunt illi; quos brevitatis nomine Rhetorum vulgus commendat.

(2) At nimis lata comprehenſio eſt, nimis effuſus ambitus verborum Tullii? Ain verò? Coacta igitur in pugnum manu aridè cum Philoſophis loqui debuit? An a conciſa, & membris minutioribus fracta, nec ullo ambitu ſplendidè circumducta, & infœlici, aut ſaltanti exitu plerumque clauſa, oratione aures ignoras, & animos vulnerari? An te latet, intrare, ut Fabius ait, in affectiones animi non poſſe, quod in aure, quaſi quodam veſtibulo, ſtatim offendit? Rebus omnibus, quibus apta proportio ſit, adeoque etiam oratione, congruente principio, ac fine concluſa, ex Ariſtotelis doctrina mirum in modum homines affici? Nume-

(1) *Non delectare ſolùm, ſed & docere, debet Orator.*

(1) *In ipſa quoque Elocutione breviſſimus cenſendus eſt Cicero.*

(2) *Neceſſaria frequenter Repetitio, & Numerus Oratorius.*

Digitized by Google

menis, velut amentis quibuſdam, nerviſve, intendi ſententias, & concitari? Non amputatam, & abſciſſam orationem, ſed latam, magnificam, & excelſam tonare cum Pericle, fulminare, permiſcere omnia, & perturbare? Nihil demum brevitati obſtare verborum ambitum, ſi rerum incredibilis vis in unam, quæ ſolvi poſſet in plures, periodum conjiciatur? Cum contra plurimi, qui verba ſemper abrumpunt, & frequentiſſimè inſiſtunt, adeo ſint inopes rerum, ut qui omnium breviſſimi videntur eſſe, profuſiſſimi cenſendi ſint. *Solet eſſe*, *quædam* ipſa Quintiliani verba uſurpo, *partium brevitas*, *quæ tamen longam efficit ſummam. Ut ſi dicas*: *In portum veni*, *navim proſpexi*, *quanti veheret*, *interrogavi*, *de pretio conveni*, *conſcendi*, *ſublatæ ſunt anchoræ*, *ſolvimus oram*, *provecti ſumus*. *Nihil dici celerius poteſt. Sed ſufficit dicere*: *E portu navigavi*: *ita cum in verbis*, *tum in rebus inerit brevitas*. Hæc Fabius: e cujus doctrina conſtat, breviſſimum omnium fuiſſe Tullium, cum plura in unam eamdemque verborum comprehenſionem congeſſerit, quàm alii in plurimas, minutiſſimaſque diſtraxerint: in quas quidem ſæpe frigentes argutias, ineptaſque ſententias diſtrahebant illi relati a Mureto, qui Elogia frequentiſſimè ſcriptitabant, ea perpetuò exaranda tyronibus tradentes, ut orationis venam extinguerent, & ne in aliis adoleſceret Tulliana Facundia, quam ipſi ne de limine quidem ſalutaverant.

(1) Porrò quot in unum verborum ambitum cogit Cicero, Deus Immortalis! Ut in contextu, & curſu ſemper aliquid primo majus conſequitur! Ut illa etiam, quæ redundare videntur, ad rem augendam pernecesſaria ſunt! Quàm frequenter utitur Emphaſi, quæ, cum ex verbo conjecturam faciat, plura relinquit intelligenda, quàm dicat! Ut ferè ſemper Ariſtotelis præcepto adhibet Enthimema, non Syllogiſmum: & Inductionem, & Soritem ſæpe uſurpat, vel Epicherema, illa nimirum argumentationum genera, quæ verbis omnium maximè parcunt! Quid ille cumulus breviſſimus rerum? *Quæro ab inimicis*, *ſint ne hæc inveſtigata*, *comperta*, *patefacta*: *ſublata*, *deleta*, *extincta per me?* Sed a nobis loca Tullii pulcherrima ſeligenda minimè ſunt. Adverſariorum hæc optio ſit.

(2) Duo certè ſunt, ad quæ profitenda compellimur inſigni quadam optimæ cauſæ fiducia. Primum, oſtendi poſſe, nullum omnino in Cicerone verbum effluere, hoc eſt quodlibet ejuſmodi eſſe, ut maximè conſentaneum Fini, vel neceſſarium ſit; adeoque nullam ipſius copiam obſtare ſummæ, quam Ariſtoteles exigit, Brevitati. Alterum, ex quovis ſæpe Ciceronis ambitu, & comprehenſione verborum, aut ſaltem ex iis, quæ in quavis pagina dixit, integram protendi Orationem poſſe. Hominem novi, nec eum quidem ſatis eloquentiæ præſidiis munitum, qui ex quolibet Ciceronis loco habere Prælectionem juſſus per horam dilatat plurimas, graviſſimaſque ſententias, quas Tullius in oppidò pauca contulit verba. Quod ipſum licet in aliorum quoque omnium explicatione Authorum identidem præſtet ex tempore, id tamen in cæteris magis arduum experitur: aut ſaltem, quæ anguſta dicendi ſpatia uni, vel alteri tantùm Ciceronis periodo pro dignitate expendendæ, illa quinque, aut ſex aliorum penitus enucleandis paria videt. Hoc autem argumento eſt, omnium maximè fœcundum rerum, adeoque verborum avarum, Tullium eſſe.

(1) Paucis in extrema oratione cauſam accipite, ob quam ab iniquis rerum æſtimatoribus ambitioſæ copiæ Tullius accuſatur. Immortali ejuſdem famæ perverſi imitatores pennas adurunt; cum enim Ciceronianos profiteantur ſe garruli quidam ipſius verborum fures, quibus nulla ſententiarum majeſtas ſubeſt, gravitas, & ſeveritas nulla, nulla rerum magnitudo, ac ſplendor, nullum argumentorum robur, nullum denique ſolidæ amplificationis genus: quorum ex animo excidit, ſi tamen eidem unquam inhæſit, ipſum Tullium docuiſſe, nihil eſſe tam furioſum, quàm verborum, vel ornatiſſimorum, copiam, nullâ ſubjectâ ſententiâ, nec ſcientiâ: ii, qui Ciceronem ipſum vix pueri delibarunt, eundem metiti a loquaciſſimis nugatoribus, qui ad ejus ſimilitudinem peſſimè conformantur, verboſum dicunt ſapientiſſimum inſanientium Diſcipulorum Magiſtrum. Sed hi pariter inſaniunt, qui deeſſe homini putant mentem, & cæteras dotes, quas non intuentur in ſimiolo extimam quandam humani corporis, ac rudem imaginem referente. Vos verò, quos ad eloquentiam informamus, Juvenes ingenioſi, non corporis tantùm, ſeu verius veſtium, ornamenta, videlicet Tulliani Styli majeſtatem, imitemini, ſed in ejus penitus mentem immigrate (quod aliàs in ſimili argumento, dum ad conſectandas Principis Poetarum do-

(1) *Incredibilis rerum vis in una Ciceronis Periodo.*

(2) *Concluſio ſtatuens breviſſimum Oratorum omnium Tullium eſſe.*

(1) *Qui formulas tantùm a Tullio mutuantur*, *anſam dederunt criminationi de illo*, *tanquam prolixo.*

dotes hortarer, me dixiſſe memini) ejus, ut ita dicam, medullis inſerimini: perpetuæ Ratiocinationis, Ingenii, Prudentiæ, Decori, Diſpoſitionis partium; multiplicis Doctrinæ, & Artificii demum prope divini, quo palmam vel ex renuentibus auditoribus omnino extorquet, exprimendi ſtudio incenſi: quod, congruenter ad ſtatutumOratori perſuadendi Finem, quicumque præſtiterit, ſi ulla eſt Ariſtoteli fides adhibenda, nunquam apud ſapientes Judices ingratæ longitudinis infamiâ profectò flagrabit.

PROLUSIO III.

Ut optimè ſtatuatur Heroici Carminis Idea, recedendum in aliquibus rebus eſſe ab imitatione Virgilii Poetarum Principis.

QUæ Trium olim controverſia Dearum ſub Paridis arbitrio pependiſſe fertur, (1) eadem Poetas in præſentia ſuſpenſos animi habet, Illuſtriſſimi Præſules, Religioſiſſimi Patres. Pluſquam civilem illi pugnam conſerunt de præſtantia Vatum, quorum imitationi ſunt obnoxii. Junonem quidam Divitem, & Superbam admirantur, Lucani videlicet characterem uberem Acuminibus, & coacervatis Sententiis: vel Statianum faſtigium, & ampullas, in quibus turbidum quid, & minax Junonis indolem præfert, cujus faſtidio ipſe etiam, ut eſt in fabulis, aliquando Jupiter capiebatur. Gnidię alii Venuſtati cum Idæo Paſtore palmam decernunt, videlicet Carmini, quod in animum ſuavius influat, variis illum, ſed præcipuè jucundis motibus excitando: aut eximio cultu, & calamiſtrata fronte Lectoris amorem venetur. Ovidii ſcilicet leporem, & Charites exoſculantur, qui lenocinio voluptatis, & quadam lætioris ingenii amœnitate blanditur animis: vel Claudiani cura, & ſuavitate deliniti, hunc præ aliis omnibus habent. Palladis demum ſe ſtudio capi profitentur omnes, Virgilianæ ſcilicet formæ, in qua languidum nihil, & cadens, tumidum nihil & contumax, omnia venuſtiſſimè compta, & amabilem ſpirantia majeſtatem, non Trojani, ſed Amphryſii Paſtoris, Apollinis oculis digna. Nihil hoc Poeta cogitari poſſe divinius, inficiatur nemo: cumque miris illi etiam efferunt laudibus, qui carmen aggreſſi ab illius ſtylo maximè abhorrent. (2) Famianus Strada, cujus nomen ipſum inſigne præconium eſt, cum hinc de more in Repetitione literarum Honorarios Auditores alloqueretur, provinciam ſuſcepit litem hanc dirimendi; ſed promptis Recentiorum carminibus Poetarum, qui Veterum exemplo dicere inſtituerunt, concionem dimiſit. Id certè præſtitit ea fœlicitate ad omnium ſeſe morem conformantis ingenii, ut Pythagoræ arbitrio viſus fuerit excitaſſe ab umbris quoſcumque Authores revocavit in roſtra. (1) Sed cum ab ſe quodammodo rejecerit cauſam, & digladiantes de Veterum æſtimatione Poetarum ad populum allegaverit, cui pulcherrimas eorumdem repræſentavit imagines, perinde nihil certi ſtatuit de unius ſuper alios dominatu, ac certi nihil ſtatueret, qui, ſi quæſtio conſurgeret, cujus ex Purpuratis Principibus, quorum non ſemel ora ſumus intuiti, forma eſſet Imperio digniſſima, eorumdem tantùm vultus pictos coloribus exhiberet. Enimverò ſi incertus animi eram, cùm eoſdem ſpirantes oculis uſurparem, perinde anceps futurus ſum, poſtquam picturæ artificium eorundem ſimulachra oculis ſubjecerit. Haud abſimili planè de cauſa ſi, poſt volutatos diu multumque Veteres Authores, adeo ut Satyrici formulâ totus decolor mihi ſit Flaccus, & hæreat nigro fuligo Maroni, adhuc eruditæ ſuper illis factiones ardent, perinde flagrabunt, poſtquam effica ad eorum ſimilitudinem carmina in medium allata ſint. Innuit quidem Strada laudes aliquas ſingulorum; ſed vix quicquam de Virgilii charactere docet: neque eoſdem inter ſe committit, adeoque non præcipit, cujus maximè ductum ſequi debeant Poeticæ artis Candidati: an unius tantùm penitus inſtitutioni dare ſe debeant: an, cum ex innumeris dotibus perfecta Poeſis conſtet, laborandum in eo ſit, ut certam aliquam e ſingulis hauriant: (2) Hoc proinde nobis præſtandum ſupereſt in præſentia, ut obſequamur ſtudiis ingenioſorum Adoleſcentium, qui ferè quotidianis præliis Poetas variè extollunt, deprimuntque: iidemque, quam egregiam ad carmen a natura indolem nacti ſunt, prava non raro imitatione corrumpunt.

(3) Sed enim fruſtra ſerimus litem, quam ſolvere nullo negotio poſſumus? Virgilius ſcilicet exprimendus unicè eſt, qui unus inter Poetas ſcivit, quid eſſet non ineptire: Julii Cæſaris Scaligeri verbis utor, quem, ſi mihi dicenti adeſſet, invaderet vis ignea, furor-

(1) *Lis de Præſtantia Poetarum.*
(2) *Præconium Famiani Stradæ.*

(1) *Qui litem hanc attigit, ſed non diremit.*
(2) *Quid a nobis præſtandum ſit.*
(3) *Virgilii tantùm Imitatio quærenda videtur.*

furorque ſupra omnem Poetarum inſaniam, adeoque elatis humeris, oculis intentis, & hoſtem figere paratis in me inſurgentem audirem, aut abeuntem viderem: aut, ſi Eruditiſſimæ Coronæ auctoritas illi frænum iniiceret, ſtomachatus, eò quòd injuriam irrogarem Principi Vatum (Satyricè deſcribamus Principem Criticorum).

Si dicenti fors commodet aurem
Scaliger, excantat quem voce veneficus, anguem
Dixeris: obliquis oculis ſi roſtra tuetur,
Fulmineo nos obtutu, & livore venenet.
Nunc diducto animam & criſpante reciprocet ore,
Quod cinerem invitet, calidæque ſiliginis oſſam.
At nunc inceptos naſo indignante cachinnos
Strangulet objectu dextræ: Nunc vulneret aurem
Vicini, cubito quem tangit: Nunc grave ſecum
Cornicetur, ſecreto & ter murmure ineptos
Nos dicat; quamvis ſecum qui murmura miſcent,
Famoſæ invitent aſtantia tecta columnæ.

Hoc certè nos habitu oris Scaliger excandeſcens intueretur, quaſi Jupiter Minervam, ut inquit ille, parturiens. Nos verò licet Virgilio mirificè dediti, quem conſtat, Latinis omnibus Apollinari gloria præſtitiſſe, & licet Scaligerum nobis iratum nolimus, glorioſum videlicet militem, qui Homero ipſi Poetarum Coryphæo negotium faceſſere auſus fuit; nihil tamen de Virgilii laudibus detrahentes, plurima in aliis quoque ad effingendum Poetam eximia deprehendimus.

(1) Ac primò quidem Virgilius ad ſcribendum Epos omnibus ingenuis artibus, ac doctrinis inſtructus acceſſit, complexus animo Divinam omnem, quæ quidem Græcis, & Latinis eò uſque innotuerat, humanamque Phloſophiam, ac Terrarum, & Syderum dimenſiones, & ſitus. Ut multiplicem hanc Virgilii doctrinam præſeferre Poeta poſſit, omnes ſcientia, & cognitione comprehendat. Profectò licet cum Scævola inficias nonnulli eant Lucio Craſſo apud Tullium primo de Oratore aſſerenti, nullis certarum rerum cancellis artem Rhetoricam circumſcribi, ſed ex omnium ſcientia, quam Græci Encyclopædiam dicunt, Eloquentiam effloreſcere, ac redundare, quæ, niſi ſubſint res magnæ, inanis quædam erit elocutio, ac penè puerilis: licet, inquam, ſecus aliqui arbitrentur, affirmantes plurima Rhetori licere neſcire, eò quòd cum populum ex propoſito ſuæ arti fine alloquatur, vix petere quicquam debeat ex propriis, adeoque abditis fontibus doctrinarum, qui vulgo impervii ſunt; (1) hæc tamen ſi effutiant in Poetas, inepti erunt, cum illi eruditos præſertim, & omni doctrina excultos quærere Auditores poſſint, ex præſtituto ſuæ arti Fine docendi pariter, & oblectandi.

Scribendi rectè ſapere eſt & principium, & fons.

Nec deerunt aliqui Poeticæ ſtudio laudis incenſi, qui cum ipſis.

Frigidus obſtiterit circùm præcordia ſanguis,

ne naturæ fontes poſſent accedere, conferant ſe ad hanc artem, quam aſſequi loquentiâ ſe poſſe confidunt? Iis certè præcepit Maro, ut ſylvas, & flumina ament inglorii, non audeant aſpirare ad illam, quæ demum aptè loquens Sapientia eſt, & in qua, ex præclara Ingenioſiſſimi Viri ſententia, ille tantùm excellet, quem e ſuo eductum ſacrario Philoſophica Pallas commodat Muſis. Lectiſſima igitur doctrinæ ſemina, Virgilii exemplo, in carmine ſpargenda ſunt.

(2) Mirabilis præterea ejuſdem Allegoria ſub involucro fabularum Civilis, & Militaris Virtutis Exemplar proponit, & naturæ florem undique decerpens eo vitali quaſi colore fabulam pingit. Ideo vera cumſpiret hominum indoles in actionibus fictis, Scriptori Carminis, præſertim in longum producti, author ſum, ut per Virgilii veſtigia texat Allegorias, tum quæ ad Scientiam rerum, tùm quæ ad Mores hominum ſpectant. Cæteri etiam Vates hunc lapidem moverunt, ſed nullus poſt Homerum Virgilio fœlicius.

(3) Idem præterea mirabli Judicii laude caſtigat, ſi quid, exultantis impetu Ingenii extra chorum actus, peccavit Homerus. Quicumque hac judicandi ſolertia deſtituatur, non ille a me unquam ſalutabitur Vates, utcumque numero carminum vincat Authorem Amazonidos Marſum. Afflari divinitus Poeta debet; At Ratiocinationem profectò, & Sapientiam, non inſaniam hauriet ab agitante pectus Divinitate.

(1) *Virgilii univerſalis Doctrina.*

(1) *Encyclopædia in eximio Poeta requiritur.*

(2) *Præclara Virgilii Allegoria.*

(3) *Summi Judicii laus in eodem.*

Digitized by Google

(1) Judicium quidam ſextam Rhetoricæ, quà ſolutæ, quà vinctæ numeris, partem eſſe ſtatuerunt: in eo tantùm decepti, quod non ſolitaria ſit, & ab aliis disjuncta, ſed permiſta ſingulis, & veluti ſanguis per univerſum corpus æquè diffuſa. Hæc judicandi præſtantia Latinæ Poeſis imperium Virgilio aſſeruit, cujus Prudentiam ſi quis expreſſerit, præcipua utetur virtute Principis Vatum. (2) Progreſſus rationis, quo alia ponuntur, deducuntur alia, componuntur invicem plura, non modò in Heroico, ſed in omni carminum genere, & in ipſis etiam, utcumque audaciſſimis, Odarum Epiſodiis eniteſcit: ut videre eſt in Horatio, qui poſt Virgilium acerrimo judicio cæteros anteivit: & in luſibus Epigrammatum, quæ ut plurimùm Epicheremate, ex uno in aliud ducta ratiocinatione, comprehendi debent. (3) At quorumdam ſcriptiones nundinas eſſe dixeris rerum omnium, quarum multiplicem, & inter ſe perplexam congeriem alieniſſimè, & præpoſterè evolvunt, eamque inflant tumentibus buccis, in quas ſi pictor intueatur, referre coloribus poterit Ventorum imagines: quæ tamen jactantia inanibus hiſce nugatoribus non parum prodeſt, iiſdem enim Adoleſcentium plauſus extorquet, & quorundam etiam virorum, qui in hac arte omnino peregrinantur; iis enim nefas videtur non plaudere illi, qui ſuperbo eo habitu oris, & heroico ſpiritu ſibimet ipſi plaudit.

Ut ergo Judicii præſtantiâ finitimus Virgilio ſit omni ſtudio contendat Vates, eamque præſeferat apta inventarum collocatione rerum, alias ſecum atque alias, quaſi conſertis manibus, educens: cautè circumſpiciens, quid cuique argumento conveniat, quid tempori, quid loco, quid rei: non inferens fabuloſa Numina Martem, & Jovem Chriſtianorum præliis: neque Proteum inducens plurima de noſtræ Salutis Aſſertore vaticinantem. Ab iis præſertim quàm longiſſimè abjunctus, qui eoſdem Tartareos Deos Cælo redonant, referentes eorum colloquia cum Sapientia, Religione, Fide, cæteriſque hujuſmodi Virtutum Ideis, quæ Divinas animi dotes repræſentant. Aut ſi non ineptas cauſæ perſonas Poemati inſerunt, ineptiſſimas tempori eorumdem conciones afferunt: ut Optimus cæteroqui Vates, qui duobus libris exequitur ea, quæ dicit a Sanctiſſimis Viris Joſepho, & Joanne narrata fuiſſe Pilato, qui ne præſtolari quidem potuit, quò uſque interroganti ſibi Sapientia Divina explicaret, quid eſſet Veritas.

Et in Concionibus quidem præcipuè Judicii lux effulget: (1) tum in cauſis bellorum, & cæterarum rerum, quas celebrare aggredimur, afferendis: tum in ſelectione laudum, quas Heroi tribuimus, in Natalitiis, in Victoriis, in aditu Principatus: in quibus certè opportunitatibus ineptiſſimè ſuas partes obeunt illi, qui egregium nihil deſcribunt, ſed ad inania effunduntur; adeoque Satyram re ipſa cudunt in eos, quos in Cælum ferre minati cum ſint, ac deinde nullius præclaræ virtutis commemoratione illuſtrent, oſtendunt, indignos eſſe, qui a ſuis præconibus commendentur. Ut ſi Epinicium Imperatori pangas, a quo in haſtiludio tantùm, aut nocturno cum umbris prælio, non cruenta cum hominibus pugna, ſtrenuè decertatum fuiſſe dicas: aut ſi Triumphale carmen Novo Principi canas, cujus tantummodo ſpeciem, poeſim, venationes: non heroicas, quæ requiruntur in Principe, prærogativas enumeres.

(2) Sunt, qui Poetæ nomine cenſentur, & peculiare nihil ab Heroe præſtitum ſuo numeris unquam incluſerunt, ea tantùm narrantes, quæ de aliis Principibus cæteri Vates cecinerunt, quorum ſcilicet poeticos flores impreſſos animo habent. Et eodem ſtudio inconſultè adhibendi pigmenta, quę aliis ſuffurantur, videas appingentes Delphinos ſylvis, fluctibus Apros, & unam, eamdemque rem prodigialiter variantes; eò quòd curta formularum ſupellex non ſinat illos diutius eodem in argumento verſari. Procul ab his ſcopulis flectemus iter, ſi in iis omnibus Judicii laudibus, quæ unico Decori vocabulo continentur, Virgilius erit Sydus, quo duce curſum moderabimur: cujus præterea Styli fulgorem ſuſpiciemus, de quo paucis diſſeram in extrema Proluſione.

(3) Ovidius, ut aliquid interea de cæteris Poetis innuam curſim, a Virgilii Prudentia non procul abeſt ea tantùm parte, qua Mores hominum ingenioſè, ſolerter, admirabiliter imitatur. Perturbationes certè, motuſque animi pulcherrimè pingit, aucupio voluptatis Lectorem mirificè alliciens. Nullus eo præſtantius obtemperat Horatio pręcipienti:

Poemata dulcia ſunto,
Et quòcumque volent, animum Auditoris agunto.

Egre-

(1) *Vis judicandi neceſſaria in Poeta.*
(2) *Quibus hæc in rebus oſtenditur.*
(3) *Deſuiſſe aliquibus vim judicandi patet.*

(1) *Fulget præcipuè in Concionibus.*
(2) *Et in Selectione laudum Heroi tribuendarum.*
(3) *Ovidii expenſio.*

Digitized by Google

Egregiè quidem calluit Virgilius artem tractandorum affectuum, ut patet in Quarto præſertim libro, aliiſque Divini Poematis locis non ſemel; ſed quia eidem ſuum argumentum non adeo frequentem anſam præbet exhibendi motus variè, ac ſuaviter oblectantes, animoſque Commiſeratione, Iracundia, Terrore, Lætitia, Amore, in omnem partem, ſenſumque pertrahendi; idcirco præclara hæc carminis virtus ab Ovidii plerumque imitatione petenda eſt. In hujus Copiam Hypercritici quidam eloquentiſſimè debacchantur, qui ſiniſtro Apolline poeſim aggreſſi, nihil extundere ipſi cum poſſint, in aliorum ubertatem invehuntur. (1) Effuſum, exultantem, inſtantem ſibi, & in ſe recurrentem Ovidium dicunt, & ingenii rapiditate ablatum ab ea Moderatione, quæ Mens Poeſis eſt: nimium in recenſendis rebus, non ſine ingrata oſtentatione ingenii, quæ aures, animumque impleat ſatietate: Ad hæc fluentem ſine apparatu, & nunquam non probantem id, quod ſemel fuerit meditatus. Receptum vulgo Criticorum proloquium eſt: debita Rhombis carmina, a quibus detrahi aliquid poteſt: Si quicquam fruticetur, ac redundet, alia quoque, utcumque ingenii fructibus onuſta, inani foliorum pompa luxuriabunt. Hinc, cum Moderatio, & Cultus non ſemel Ovido deſint, futilis planè profluentiæ loquacitate damnandus eſt. Parcius iſta, quicumque ſitis, non Humaniſſimi Viri. Vix unquam præfervidum Ingenium ſine feraci aliqua Exuberantia reperitur: neque magni criminis rea eſt tenuitas quædam, & ſimplicitas plena ſecuritatis; aut ſaltem, ſi extenuatur alicubi ſtylus, laudem ne cæteræ detrahat elegantiæ? Aquam contempſerim ſemper, dicere conſuevit Diſertiſſimus, & Sapientiſſimus Vir; at plurimi fecerim Creticum vinum, quamvis fervore immodico exæſtuans extra dolii os effluat aliquando.

(2) De Ovidii ergo imitatione ſoliciti debemus eſſe: præſertim in exhibendo coloribus Animi Regno, & in ſingularium notatione rerum, quæ nativæ cujuſdam voluptatis ſapore mentem irritant: veluti cum infœlix Io ſuum dicitur metuiſſe mugitum, eademque repræſentatam a chriſtallino flumine ſuam, quam nuper Junonis metu induerat, formam exhorruiſſe. Diligens præterea locorum deſcriptio ab Ovidio quærenda eſt. Addenda tamen cæteris ejuſdem laudibus moderatio, & circumcidenda ubertas verborum otioſè circumducta. Ingenio moderandum potius, quàm indulgendum: Increpandum ſæpe, ac retractandum opus, plurima reiicienda, attondendæ comæ, & ſylva fluens minutatim depaſcenda. Servanda præſertim Horatii lex, ut ſemper ad eventum urgeamus, & in medias res, non ſecus ac notas, rapiamus auditorem: quam ille laudem Græco attribuit, Latino potius Homero tribuendam; cum alter effuſus non raro ſit, & immodicus, adeoque non feſtinet ad eventum, ut bellum anhelantes Heroes non ſemel detorqueat ad narrationes eloquentiſſimas, quibus longam Proavorum ſeriem hoſti obganniunt.

(1) Ad hæc Ovidius frequentibus animum Acuminibus laceſſit, blandè vellicantibus, argutè blandientibus, quibus pariter affluit Lucanus. Illæ porrò ex ingenioſis ſententiis maximè probandæ ſunt, quæ aut inexpectatæ ſunt, aut etiam expectationi contrariæ, aut arcana Politicæ Sapientiæ. Hoc veluti ſale, Ciceronis verbo utor, reſpergendum eſt carmen: & eo quidem ſi liberalius uſus fuiſſet Maro, blandius in animos omnium influeret. Quid illis ingenioſius?

Poſſunt, quia poſſe videntur!
Una ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.
Attollens humero famamque, & fata ſuorum.

(2) At uniones illi ſunt, quibus non candor tantùm, & pondus, ſed & raritas pretium facit. Si neque Moderata Frequentia Sententiarum Venerem, neque Acumen auferat Candorem, Virgilianis frequentiores exoptem: in Brevibus præſertim Poematibus, quæ pluribus ornamentis ſtudioſius locupletanda ſunt. (3) Multum tamen amputandum eſt ex ubertate Lucani: velut etiam Seſquipoetæ cujuſdam Lucano coævi, qui de Bellis Civilibus Carmen ſcripſit. Inventionem quidem commendo, qua per ambages, Deorumque miniſteria refert id, quod hiſtoricè Lucanus exequitur. Sed Argutiarum Denſitatem, quodque ipſe fortaſſe non ineptè vocat, Sententiarum Tormentum, ac præterea characterem incultum, & a priſco Latio degenerantem non probaverim. Ne Stylo Acumina officiant; nam ille ſi ſerpat, aut etiam jaceat, utcumque ſublimis, & electa Sententia ſit, vix unquam ſibi Lectoris animum conciliabit. Si coagmentatio verborum aſpera, & lacunoſa,

(1) *Defenditur ab Impugnatoribus.*
(2) *Expedit illum conſectari in exprimendis Affectibus, & in aliis rebus.*

(1) *Ingenioſæ Ovidii, & Lucani Animadverſiones.*
(2) *Hæ frequentius afferendæ, quàm præſtiterit Virgilius.*
(3) *Non tamen coacervandæ cum Lucano, & Petronio.*

Digitized by Google

noſtra, ſi numeri diſſilientes latrare potius, quàm canere videantur, inamabile carminis genus faſtidio erit: utcumque illud ſententiis confarcias non contemnendis. (1) Sibilis quidem explodendi, qui profitentur, abhorrere ſe ab ea laude, quæ acutè dictorum ſplendore comparatur; ſi tamen utramque, Styli videlicet, & Sententiæ venuſtatem, aſſequi te poſſe deſperas, Styli candor tibi potior ſit; Diſertus enim Pictor Poeta eſt. Atqui in pictura ſolers quædam expreſſio rerum, quæ pulchrè illarum naturam imitetur, pluris haberi ſolet, quàm prominentium quorumdam colorum pretium, & fulgor. Acceſſus verò ad idem nomen Commutatione Vocum, vel Additione Literarum, Contentio Verborum, aliique hujuſmodi tenues Aculei omnino reiiciendi, qui ludicra potius Epigrammata, quàm Heroicum Carmen decent.

(2) Statius magnificus oſtentator ingenii floret illis argutè dictis, quæ a Mirabili rerum incremento conſurgunt: præſertim in Sylvis, quas Thebaidi, & Achilleidi nonnulli præhabent, rati, detractum fuiſſe robur, numeros, & venuſtatem carminibus a cura, & cultu Authoris. (3) Horum quidem in ſententiam ibo nunquam; ſed neque iis adhærebo, qui damnant in Sylvis conſilium Statii, prægeſtientis in Extemporale Carmen effundi: præſertim verò illius prudentiam deſiderant in iis, quæ profitetur, poſtero die, quàm Domitianus dedicaverat Maximum Equum, oblata a ſe illi fuiſſe; Morâ enim, inquiunt, & Cultu diligentiſſimo præſeferendum erat Obſequium Cæſari debitum. At exultantis impetum Amoris moroſus cunctator minimè exhibuiſſet. Suboffenſum certè Vati Superbiſſimum Principem nulla tradunt Hiſtoriarum monumenta; quin potius ab illo & laureâ capitis, & torque pectoris aureo donatum accepimus. Extemporalem Poeſim ii tantùm exagitant, quos Enthea vis nunquam egit ad carmen; at illa certè mentem exhibet acrem, ac vigentem, celerrimèque multa ſimul agitantem: ejuſque ſpecimen aliquod opportunè dandum eſt; quamvis plerumque revocandum ſit opus ad Limam: perinde ac Egregii Pictores plerumque inhærent diuturno labore animandis tabulis, quas pingunt Æternitati; ſed iidem in experimentum artis eximiæ, cui quærendum non ſit a cunctatione præſidium, carbone aliquid extempore deliniant in pariete.

(1) Grandiloquus Statii character aliquando exprimendus, dummodo eumdem liberalius etiam, confidentiuſque non attollamus, & Statium ſpiremus in ſaltibus, nedum in Sylvis. Adhibendæ Figuræ vividæ, & experrectæ: non omnino reſpuendus uſus Mirabilis incrementi: probandum Diſertæ Picturæ artificium, quo, cum acerrima illi eſſet Facultas, qua multiplices rerum formas imaginamur, ita illas carmine repræſentavit, ut ſi eædem coloribus exhiberentur, jucundiſſima oculos admiratione ſuſpenderent. Ad hæc Sonus ipſe, & Plenitudo verborum Statii amanda in tempore, ſed eadem Prudentiſſima (2) Virgilii Moderatione temperanda eſt; ut tuta ſit carminis Majeſtas ſine Tumoris periculo, atque Grandes, & Pleni, ſimus etiam caſta frugalitate Suaves. Quæ mirificè blanditur animis Numerorum Varietas, Virgilii tantùm eſt: in illo rotunditas plerumque, & volubilitas grata: identidem floridum quid, & molle, incitatum non rarò, tum grave quid, & vehemens, reſiſtens aliquando & trepidum: placet æquabile, & nulla plerumque aſperitate fractum carminis genus, placet nonnunquam, ad exprimendam rem ipſam, ſponte ſalebroſum: decet concluſa ſæpe cum carmine ipſo ſententia, non rarò ad ejuſdem carminis initium, aut medium dilatus ſententiæ finis: decet aliquando in unicâ ſyllabâ conſtantem vocem conſultò cadens; in quibus Virgilium laudibus æquavit nemo, vix ullus Veterum imitatus eſt, Recentiorum aliqui fœliciter ſequuti ſunt.

(3) Quemadmodum Varietatis induſtria, atque ſolertia in Virgilio ſummopere congruit, ita in Claudiano ingratiſſimè aures impellit coloris ejuſdem tractus ubique idem, unuſque dumtaxat, ac ſimplex. Eò quòd nunquam obſcuraverit ſonum, aſperaverit nunquam, ferè ſemper ſententiæ finem in Carminis finem rejecerit, Aureos frequentiſſimè verſus operosè limaverit, ferreus ipſe alicubi videtur auribus eruditis. Huic uni tantùm Poetarum non profuit religioſus cultus; profuiſſet autem, ſi quam curam adhibuit in quærenda æquabili integritate numerorum, impendiſſet in ſeligenda complexione verborum, quæ nihil peregrinum Latio redoleret. Cæterùm eſt amœnitas quæpiam in Claudiano, eſt lepor, & eruditio libero digna, eſt exemplar laudum, & objurgationum, quæ poetica argumenta-

(1) *Ne Stylo Acumina officiant.*
(2) *Statii laus.*
(3) *Immeritò carpuntur Extemporalia ejus Poemata.*

(1) *Quænam dotes a Statio petendæ ſint.*
(2) *Adhibenda moderatio imitatione Virgilii.*
(3) *Commendatio Claudiani in rebus aliquibus repræſentandis.*

Digitized by Google

-tatione diſertiſſimè amplificantur. Si Artem denique occultaſſet, rejecta affectata ſuavitate, & anxia, ac meticuloſa ſuperſtitione, ſeſe ad Virgilii laudes fœlicius effinxiſſet, cujus divinitas ab ipſa artifici negligentia, & a ſponte quæſitis nævis cæleſtis ejuſdem pulchritudo commendatur.

(1) Illius quidem character ubique regius, & ipſius Apollinis ore dignus; ſed longè elegantiſſimus in libris Georgicon. Quæ in Æneade picta invenimus, ſpirant in alio ejuſdem opere incomparabili. Quod quidem minimè mirum videri debet, ut pleriſque videtur, (2) qui Poeſim opinione vulgi, non ipſius naturâ metiuntur; minus enim arduum eſt, cum in abjecto argumento verſamur, obſcura illuſtrare verbis, quàm cæteroqui illuſtribus majorem verborum lucem affundere; tunc enim petuntur metaphoræ, & ſimilitudines a rebus præclaris, ex quo fonte omnis in Georgicis Virgilii elegantia proficiſcitur, qui ferè ſemper vitam, & ſenſus, nec raro mentem attribuit rebus inanimis. At cum humana & Heroica pertractamus, vix ullum a ſublimioribus rebus per immutationes, quas appellant Tropos, aſciſcere poſſumus majus verborum lumen.

(3) Ad Virgiliani ergo Stylì virtutes aſſequendas omni ſtudio enitamur, præſertim quatuor illas ejuſdem Charites, Nervum, Numeros, Candorem, Venuſtatem. Per illius veſtigia verborum & propriorum, & translatorum unionibus carmen diſtinguamus: in propriis eligamus aptiſſima: in translatis, ſimilitudinem proſequuti, verecundè utamur alienis: raro afferentes primæ magnitudinis ſydera, plerumque illa, quæ lacteam viam exornant. Et metaphoræ quidem beneficio nos etiam, qui tempeſtatum injuriâ, ut inquit ille, in lingua patria peregrini ſumus, eamdem locupletabimus.

(4) Neque enim Virgilii tantùm verba exprimenda ſunt, ſed ejus forma, & quaſi indoles quædam animadvertenda ſemper, verborum complexio noſtro non ſemel Marte formanda. Identidem tantùm Virgilianæ dicendi formulæ, velut exemptilia ornamenta, ſive aurea emblemata; in noſtro carmine, veluti toreumate, ſeu cælatura, illigandæ, atque includendæ ſunt; ſed illud eſſe debet toreumatis pretium, ut vix quicquam inter ipſum, & emblema interſit.

Sunt, qui opus teſſellatum, ſeu centonem ex Virgilio conflant, & ſuperbi incedunt, perinde ac ſi omnium illis ingeniorum faſces ſubmittendi eſſent; cum tamen iidem a Proba Falconia Hortina fœmina, & Capilupis fratribus ſuperentur: qui certè Poetarum Principes eſſent, ſi, ut horum ſententia eſt, primæ illis deferendæ eſſent, qui Virgilii flores liberalius depopulantur.

(1) Ad hæc iidem, veluti Stylo partes explerentur ejus artis, quam profitentur, omnes, nullam Inventionis laudem quærunt, Sententiarum, & Acuminum nullam, nihil demum afferunt, quod cuilibet non occurreret unum, aut alterum in Muſæo ſpatium facienti. Educantur in lucem exangues hi carminum farctores, qui, ſi Superis placet, Virgilianè ſe dicere profitentur: quod fieri facili negotio poteſt, ſi videlicet eorum carmina vernaculo ſermone donentur: profectò ſucci nihil invenietur, & vitæ, adeoque exuviæ tantùm non ſuæ illis ſupererunt, & phaleræ alienorum verborum. Fortaſſe ſicci & ſani, ut de quibuſdam Oratoribus elegantiſſimè dixit Cicero, haberi poterunt; ſed ita ut paleſtricè ſpatiari in Poetico Xyſto iis liceat, non tamen ab Apollinaribus Olympiis coronam petere.

(2) Vos verò, Adoleſcentes egregii, quamvis a Virgilio excuſſæ omnes ſint Veneres orationis, date operam, ut aptè translatis verbis alias ad ejuſdem ſimilitudinem conformetis: neque veſtes tantummodo Principis Poetarum, videlicet Styli majeſtatem, imitamini, ſed in ejus penitus mentem immigrate, ejus, ut ita dicam, medullis inſerimini, Inventionis, Judicii, Allegoriæ, Decori, ac Doctrinæ illius exprimendæ ſtudio incenſi: ad quas laudes ſi cæterarum acceſſio fiat, quas in aliis comperimus, effloreſcet Poeſis illa, multiplicibus aliorum Poetarum virtutibus conſtans, quam hauſta ab innumeris Urbibus Prudentia Homerici Ulyſſis, a multiplicis metalli conjugio Corynthii pretium æris, Glyceræ pictura ab omni florum genere aptè conſurgens, Horatianæ apis Dædaleum opus a delibato Tiburtini viridarii rore, Zeuſidis Alcmena ab Agrigentinarum Virginum lectiſſima venuſtate, a pluribus Hermogenis Formis exortus elegantiæ decor adumbravit.

PRO-

(1) *Virgiliani Styli mira elegantia.*
(2) *Cur major in Georgica.*
(3) *Quæ præcipuæ illius virtutes exoptandæ.*
(4) *Novæ per illius veſtigia Formulæ inveniendæ.*

(1) *Quæ complexio laudum inſignem Poetam conſtituit.*
(2) *Sunt, qui Veſtes tantummodo inquirunt ſimiles Virgilianis.*

Digitized by Google

Panegyrici laudatoribus darem, non minora ab illo, quàm a Satyra, in hominum genus commoda derivari; hæc certè indolem exhibet illuſtriorem, liberalius ingenium, ac prope divinum; tributæ enim cæteris laudes prœmii ſpe infici ſolent, conferendi ab illis, qui plerumque non niſi opibus, & potentia florentes commendantur; ſed a congeſtis in crimen maledictis commodum ſperare nullum Satyricus poſſet, niſi Pretium ipſa ſibi Virtus pulcherrimum eſſet, ac pediſſequa virtutis gloria.

(1) Enimverò turpiſſima hæc Satyrici proles, quæ, horribilior exhibita Gigantibus Meduſæ facie, intabeſcentes relicta virtute, ac vitio ſtupentes ſuo potentiſſimos Reges mutat in lapides, hæc, inquam, ipſa deformitate formoſiſſima Satyrici proles, pulcherrimum eſſe arguit animum genitoris ſui. Evecti ſupra regale faſtigium cordis argumentum eſt contemptus aureæ pluviæ, quam commendati ſpargere ſolent mortales Joves: utque iiſdem proſis, laceſſita fulmina, quæ increpiti torquere non rarò ſolent.

(2) At præter liberalem Beneficentiam, Conſtantiam, ac ſtudium Veritatis, quas Satyrico laudes vindicavimus, probabili argumento efficitur, oppoſitas iis, in quæ obſtrepit, vitiis in eodem regnare virtutes; profectò enim ſupra proferentes in lucem Eleuſina ſecreta inſaniat, qui litem aliis moveat ob eam cauſam, ob quam ipſe ſit appellandus in jus. Et utcumque aliquis audacter in ſcenam prodiret, ſibilis exploderetur a populo ſucclamante: ita ne verò in aliorum faciem intentus,

Non intueris, manticæ quod in tergo eſt?

Memineris delapſum e Cælo γνῶθι σεαυτόν.

Tange miſer venas, & pone in pectore dextram,

ut aliorum deinde ſalutem explores. Enimvero de alienis moribus audere nil poteſt, qui ejuſdem criminis compertus eſt. Porrò vix ulli ſceleſto latere licet, præſertim ſi aliorum ipſe crimina aggrediatur; ſolet enim in Cynicorum vitam diligentiſſimè inquiri.

(3) Concionem populi, ac Procerum non coegiſſent veteres Satyrographi, & vel Auguſto menſe carmina recitaſſent, cum denſo ſeſſore roſtra, & columnarum periſtilia frangerentur, niſi intacti vitiis ipſi fuiſſent, in quæ atrociſſimè invehebantur; inferbuiſſet enim in illos populi motus: probra, niſi etiam ſaxa, volaſſent; nam,

Quis Cælum terris non miſceat, & mare Cælo,
Si fur diſpliceat Verri, homicida Miloni,
Clodius accuſet mœchos, Catilina Cethegum,
In tabulam Sullæ ſi dicant diſcipuli tres?

Dum ridenti amico circum præcordia ludens Horatius illius vitia exprobrat: neque melle tantùm labia contingit calicis, quo medica potio hauritur, ſed ipſo ambroſiæ potu ſalutem affert animo laboranti: Dum turbidus auro Lucilius fluctuat, & cui naufragium minatur, ingerit opes ſaluberrimæ diſciplinæ: Dum tetricæ Perſii noctes lucem elaborant animis, quos intempeſtæ criminum tenebræ involvunt; illi namque ex profundo quidem, non tamen obſcuro, docentis Auli puteo, fœlicius quàm e puteo Democriti, veritatem educunt: Dum cultus dives, & eloquens ſapientia Juvenalis Lectores invitat, adeoque blanditur iiſdem, quos vexat, ut adorent dexteram ferientis: ac dum a ſingulis Scriptoribus Satyrarum imago animi ſui verbis cordatiſſimis exhibetur: expertes illos fuiſſe crediderim ſcelerum, contra quæ tantos turbines in luce urbis Romæ concitabant.

(1) Utque Sacram etiam Satyram delibem, dum erumpentibus ex ore fulgetris, voce tonantes in ſcelera, quæ nutu dexteræ, ac ſententiarum pondere fulminat, Sacrum Oratorem audimus, ſtatuimus apud animum noſtrum, divino amore vehementer æſtuare hujuſmodi virum, qui non præſeferat theatricæ facundiæ pompam ſubhaſtans vocem, ſed adeo lateribus, & vitæ non parcat ſuæ, ut fervidæ immoriturus pugnæ, qua vitia inſequitur, videri poſſit. Quod ſi Orator ipſe alicujus ſit criminis manifeſtus, vel ejus dubia fama gliſcat in vulgus, non ille cum hominibus pugnam conferet, aggreſſus avellere ab ipſorum fibris, quæ ſingularia vitia iiſdem altius inhæſerunt, veritus, ne ſua in ſe arma retorqueantur; ſed vix in hominis ſimulachrum, velut in Haſtiludio fieri conſuevit, audebit incurrere. Satyra ergo, quæ ſingularia flagrat in crimina, in Authore ſuo florere arguit oppoſitas iiſdem criminibus laudes, adeoque Satyrographum ipſum præclarè hoc artificio commendat.

(1) *Laudat Scriptorem ſuum.*
(2) *Oſtendit illum alienum eſſe a vitiis, quæ vexat.*
(3) *Laus Veterum Satyræ Auctorum.*

(1) *Et Sacrorum Oratorum, qui contra crimina invehuntur.*

(1) Quid, quod non honeſta tantùm, & conſentanea virtuti, ſed & inepta, imò etiam aliquando a livore parta Satyra majorem, quàm Panegyricus, præſertim apud Vulgum, videlicet apud pleroſq; mortalium, ſapientiæ, aut virtutum famam conciliat Authori ſuo. Si applodentem pedes, intendentem oculos, corrugantem frontem, jactantem manus, verba tonantem aliquem audias, non in omnes modò Recentiores Philoſophos, ac Poetas deſpuere, ſed & pleroſque Veterum carpere, ac vix Ariſtoteli, atque Homero parcere, idque præſtare ea vocis, ac animi contentione, ut conſpuat eos, cum quibus certat, & conſputus abſcedat, (Sanctiſſimi Viri Hieronymi verbis utor,) an tu incertus animi ſis, hunc ob livorem, aut amentiam debacchari? Et tamen ejus dicta Cirratorum ſunt dictata, & vulgus ignavum, ac præſertim turba diſcipulorum, unò minorem Apolline hunc arbitratur, qui niſi eximiæ in Philoſophia, ac Poetica facultatis ſibi conſcius eſſet, Populo judice, non auderet in Peripati, ac Parnaſi Proceres impetum facere. Quapropter ob Satyræ audaciam in eam venit opinionem doctrinæ, ut dignus, qui forfice aggrediatur Muſas, videatur ille, a quo tonſore nollet Apollo minui oves Admeti.

(2) Qui verò non conantur hæc grandia, ſed potius liberales in alios congerunt laudes: neque unicum Stagyritam venerati, aliquo etiam in loco eſſe putant ceteros aſſeclas ſapientiæ, nullo ipſi ſunt in numero apud Vulgum, quod ſuę ſibi conſcium tenuitatis illum credit, qui plurimos admiretur. Atque adeo patet ſecuriori apud Vulgus, quamvis iniquo tramite, ad ingenii famam illos graſſari, qui Satyras, vel improbas, quàm qui Panegyricos, licet honeſtiſſimos, adornant. Hac ſpe fretos audias quoſdam, quorum ſapientiæ qui non diſpliceat nullus ætatem agit, qui licet, ut de omnibus judicent, nullius judicio meruerint, perverſè tamen, ac malignè Authores omnes criminantur.

(3) At Politicæ Prudentiæ, & acris exiſtimationem Judicii extundit aliis Satyra iniquior. Genus eſt hominum, quos naſci Reges oportuit, cum immanis illos exagitet libido librandi fata regnorum. Hi cum Hiſtoriam primoribus labiis attigerint, præſtantiora Heroum facinora perperam interpretantur, ac ſemper Hominibus imputant Fortunæ crimina. Hinc illi non degeneranti ſæpius mortalium indoli tribuunt dedecora Tiberii Cæſaris; ſed livori Cæſaris Auguſti, qui eidem Imperium Orbis terræ tradiderit evertendum, & comparatione deterrima ſibi quæſiverit gloriam. Hinc, ſi eos audias, non Immortalis Regni amor Carolum impulit ad abdicandum diadema Cæſareum, ac Regium, ſed metus improbæ Sortis, quæ fæminæ in morem faviſſet florenti juventute æmulo Regi, ex quo veterem ipſe gloriam corrupiſſet. Qui verò nunc temperant Europam Reges, ſive illam armis tutentur, ſive ornent moribus, emendent legibus, in publica ſemper commoda peccant, ſi ſtandum eſt horum ſententiæ. Hinc illi vulgò Politices magiſtri audiunt, qui Reipublicæ adminiſtrandæ articulos noverint omnes, & arcana prudentiæ lynceis oculis introſpiciant. (1) Cum ex his Seſquicatonibus aliquis luculenter audax, in verba projectus, cui frons contemptrix, oculi torvi, bene palliatus, & gravedinoſus ſenex, faſtidiente manu identidem erigens barbam, ſuis animis indignum ratus in conſcerpendo vulgo conſiſtere, vires, ac virus ſuum diffundit ad Reges, eorum placitis obſtrepit omnibus, victoriis ipſis ſuccenſet, ut acutos, ut bibulos præſtò habet Auditores! Ut quibuſcumque ille virulentis verbis impetat Principes, Vulgus omnia credit

A fonte relata
Hammonis, quoniam Delphis oracula ceſſant;

quamvis perinde ſint oracula, quæ docta horum e tuſſi crepant ineptiæ, quàm quæ Hammonis e fonte referebantur. Ut poſtquam horrida tandem illius tempeſtas detonuit, populariter inclamatur:

En animum, ac mentem, cum qua Dii nocte loquuntur!

Et tamen illi plerumque ſunt mortalium ineptiſſimi, quibuslibet Antyciris inſanabiles, triremium non rarò ob linguæ petulantiam candidati, ſilicernia delirantia, quorum omnis ſapientia eſt, peſſimè de genere humano, nec optimè de Divinitate ſentire; niſi tamen pejus de ipſo ſentiunt Deo, quem nullum eſſe, ac Manes eſſe fabulam non rarò arbitrantur, qui politicæ calliditatis magiſtri perhibentur. Quamobrem vel inepta, & iniqua, ne dum ſapiens, & ſaluberrima Satyra magnam, ſaltem apud Vulgus, hoc eſt pleroſque mortalium, famam ſapientiæ molitur Authori ſuo, adeoque illum egregiè com-

(1) *Ipſa quoque livida Satyra Scriptorem ſuum evehit, ſaltem apud Vulgum.*

(2) *Apud eumdem Vulgum jacent liberales Laudatores.*

(3) *Cenſentur a multis egregii Politici, qui omnia ſugillant.*

(1) *Præſertim, qui Acta Principum perperam interpretantur.*

Digitized by Google

commendat; cum ſecus tributæ liberaliter omnibus laudes ipſos aliquando laudatores ludibrio traducant, preſertim ſi ad celebranda omnia Principum decreta propemodum compelli ab optima indole videantur.

(1) Atque eo præcipuè nomine Satyricis Vulgus favet, quòd hæ non humaniſſimæ belluæ, Satyricus videlicet, atque Vulgus, mutuò ſe ſcabunt, ut eſt vetus adagium: neque qualemcumque ſe populo præconem, ſed adulatorem Satyricus exhibet, ex ingenioſa ſententia Præſtantiſſimi Viri. Vulgo aſſentari Satyram abnuis? At enim dum ſummos illa viros inſectatur, & vulgo exæquat, ipſimet Vulgo lenocinatur, quod inſperatò excuſſos a ſua cervice intuetur, & infra ſe abjectos a Satyrico Reges, ac Cæſares. Cum hęc mortalia Numina probris onerantur, virtute ſe populus involvit ſua, ac ſibi plaudit in ſinu, ut Regalium criminum inſonti; quamvis ſi ſemet exeutiat, neceſſitati potius, quàm voluntati, ſuam innocentiam referre non rarò debet acceptam.

Si ab illis, qui ex Pythagoræ diſciplina non uno tantùm quinquennio, ſed pluribus luſtris, nullum omnino ſapientiæ monumentum ſuæ proferre dignantur in medium, quæcumque aliena prodeunt, atro dente appetita dilaniantur, tunc alii, qui metuentes dicendum ſibi a Judice diem, ſi literas didiciſſent, pepercerunt libris, geſtiunt, eò quòd Amuſi conſenuerint, & contempſerint diſciplinas non profuturas, imò concitaturas contra ſe obtrectatorum invidiam.

(2) Si curvos Regum in mores Satyrici ſtyli mucro contorquetur, Fortunam in jus vocant vulgares homines, quæ non ſuæ virtuti recreandam Rempublicam, ſed vexandam tradiderit inſaniæ Tyrannorum. Supra Regum ergo capita Vulgus incedit a Satyricis Poetis elatum: de Cęſaribus, atque adeo de Mundo ſententiam fert: voluptati ſervientes ſuæ, ac veluti ludentes in ſcena moriones habet maximos Principes, in quorum triumphales umbras ſuæ colubros ferulæ Satyra intorquet. An non ergo genus hoc carminum blanditur Vulgo? An præſtantiores in illum non congerit laudes, quàm Panegyricus, a quo dum Principes exornantur, ſua populo dedecora exprobrari videntur? Quod ſi Vulgus omne a Satyra, aliqui tantùm Heroes a Panegyrico illuſtrantur, conſtat, multò plures eſſe illos, quos Divinum hoc, non Furiale, Satyrici carminis genus exornat.

Tom. IV.

(1) *Satyrici Vulgo adulantur.*

(2) *Ideoque laudant plures, quàm qui Panegyricos texunt.*

(1) Quid, quod non modò vincimus numero eorum, in quos præconia dividit Satyra, ſed & pondere, ac præſtantia laudum, quas iiſdem attribuit, ipſos adulatores Regum antevertens. Utcumque enim Aulici ſe fingant ad domini ingenium, nunquam tamen ad illum oblectandum inducere in ſcenam perſonas poterunt, quæ fortunam ſui Regis tanto ſuperent intervallo, quanto pręſtant Vulgo mortalium Auguſti, & Alexandri, quos ad exhilarandum populum in Orcheſtram Satyricus Vates inducit. Sed indecorum eſt, inquies, blandiri populo, & plerumque ob ſua vitia promerito probra, plauſus ingerere. Ain verò? At quis, o bone, urget in præſens, jure omnes, ac meritò a Satyra celebrari? Authores tantùm ſumus, plures omnino, quoſdam quidem ex merito, alios animi gratiâ, & officioſiſſimi, quo Satyra eſt, ingenii, ab illius jocis, ac ſibilis, quàm a Panegyrici obſequiis, ac blanditiis, in cœlum evehi.

Jam verò, ut nutui morem geram tuo, palam faciam, (quod erat in partitione alterum) (2) provocantes videlicet omnem laudem Præſtantes Viros magis, quàm a Panegyrica oratione, a Satyrico carmine commendari. Cæleſtis ac Divina eſt origo Virtuti, & ejus pulchritudo mortales oculos latet; ideoque raros adeo ſectatores habet, quæ ſi noſtro intuitu poſſet uſurpari, mirabiles, ut inquit Plato, in omnibus pareret amores ſui. At deformis, & horrida vitiorum facies non adeo eſt incomperta. (3) Ex his efficitur, ab illo, qui ſceleſtorum crimen objurgans, per celeberrimum argumentorum fontem, quem dicimus a Contrario, Virtutes exornet, has umbras criminum deliniando, pulchriori ſtatui in lumine ſolem alienæ virtutis, quàm ſi cæleſtes ejuſdem Virtutis radios, ac Divinitatem ſpirantes mortalibus referre coloribus aggrederetur.

Hinc quemadmodum ex magni Dionyſii ſententia Divinitatis notitiam aliquam aſſequimur potius ex iis, quę illi non inſunt, noſtrę deficientis naturę incommodis, quàm ex eamdem exornantibus prærogativis, cognitionem omnem, & admirationem abjecti infra Lunam hominis ſupergreſſis: ita præſtantium quoque virorum virtutes illis inditas a Deo, ac virtutis Divinæ particulas, in oppoſita magis turpitudine criminum,

I 2 quàm

(1) *Et vehementius hoc præſtant.*

(2) *Etiam qui laudes merentur, iis magis, quàm a Panegyrico, illuſtrantur a Satyra.*

(3) *Per locum a contrario.*

Digitized by Google

quàm in ipſarum Cęleſti forma conſpicimus. Rhetorum placitum eſt, fœlicius ab Oratore ſuaderi, quod demonſtrandum propoſuit, ſi a notioribus, ac pervulgatis rebus, quàm ſi ab obſcuris, & remotis argumenta deducat. (1) Hinc veteres Panegyrici plurimi ſunt in augendo decore virtutum comparatione diſſimili criminum. Hinc Plinius Junior, Laudatorum Idea, ex perpetuo diſcrimine, quod Trajanum inter, ac Domitianum, cæteroſque peſſimos Cæſares animadvertit, mirabili artificio ſui Principis laudes amplificat. Cumque hujuſce ſeculi, inconſulta fortaſſe, moderatio deſueverit penitus noſtrorum Heroum dotes a contrario cæterorum dedecore exaggerare, memini me audire querelas Ingenioſiſſimi, ac Diſertiſſimi Viri, idcirco uberrimum a nobis ſponte præcluſum eloquentiæ fontem expoſtulantis.

Sed quid in expoſita, & manifeſta re diutius immoramur? Non illos modò, in quibus florent Virtutes oppoſitæ criminibus, quæ Satyra vexat, ſed illos etiam, in quos efferatur, ipſamet Satyra extollit. (2) Ac primò quidem commendamus profectò illos, quibus exhibemus ea, quæ ipſi proferre poſſint ſuarum laudum argumenta. Porrò arguitur, eſſe præſtantes viros illos, in quos Satyrici ſerpentes flagrant; hi enim non niſi Reges aggredi ſolent, aut qui in Sapientia, aut aliis dotibus animi dominantur.

(3) Celeberrimus ille Gladiator, qui auribus viduatus, audit quæcumque Reginæ in aures Rex inſuſurrat: viduatus oculis Argum vincit in conclavibus Principum explorandis: neque auriculis tantùm carentem Galbam, ac dimidios Curios, ſed & naſo carentem Corvinum repræſentans, Magnates tamen omnes Rhinocerotis naſo ſuſpendit: & manibus deſtitutus in album nigerrimum perpetuò collineat: Paſquillus, inquam, Cynicorum Princeps, dedignatus faceſſere negotium Vulgo, inſurgit in Reges. Hos præterea Mimus fingit, hos ludit ſcurra, hos nutibus Atellanus conatur effari. In te ergo Satyra cuditur? Paulus, vel Coſſus, vel Druſus moribus, niſi genere, ſalutaberis? Laudi datum accepi a præſtantiſſimis viris Religioſæ cuidam Familiæ, quod quæ in illam quotidie ab hoſtibus Fidei Satyræ prodeunt, Bibliothecam Didymi exæquant.

(1) *Illo uſi veteres Panegyrici.*
(2) *Liquet de præſtantia illorum, in quos cuditur Satyra.*
(3) *Paſquillus Magnos tantùm Viros aggreditur.*

(1) Quid, quod Satyrici Vates ſtellis non raró inſerunt & concilio Jovis, quos ad humum allidere, ac proterere penitus ſatagunt. Ut enim appoſitis exemplis utar, ſi æſtuant in Catilinam, eumdem compellant Patriæ Parentem, ita ut invidiâ diſrumpi, ac livore peruri Cicero poſſit: ſi convitia crepant in Craſſum, negant, illum auro incubaſſe: ſi Apicium rodunt, aut celebratum a Juvenale Montanum, qui

Cyrcæis nata forent, an
Lucrinum ad ſaxum, Rutupinove edita fundo
Oſtrea, callebat primo deprendere morſu,
Et ſemel aſpecti littus dicebat Echini,

pejerant,ab illis palati delicias omnes ignoratas. Si demum, luxus inſimulatum ab omnibus, Lucullum deglabrant, eumdem frugi hominem dicunt, ac intonſo Catoni, præhabent, atque horrido Cincinnato.

(2) Sed enim fucum, inquies, nunc facimus Auditori, quaſque hucuſque vitavimus captioſas argumentationes Veterum Sophiſtarum, contra datam in exordio fidem, in extrema oratione proferimus. Ironicè dicuntur iſta, neque reſpondet animus verbis. At ego, quæ reponam, habeo pauca. Hæccine moveant cordatos viros? Verba certè, & quidem effusè, commendant: animum laternâ Diogenes nullus explorat. Quod ſi religioni ſibi Rhetores ducant diſcrepantiam oris, & cordis, non modò pulcherrimum hoc Satyræ ornamentum,ſed ipſa etiam ars Panegyrica interibit; quotus enim quiſque laudat ex animo? Sed leviora ſint hæc, jamque in gratiam Satyræ, quæ fœnum dicitur habere in cornu, quæque etiam cornu petere conſuevit, uſi dilemmate, paucis plurima complectamur. (3) Non laudet ironicè, ſed canino dente rodat, laceret, conſcerpat, ut libet, ac depoſitâ etiam perſonâ, in faciem exprobret crimina, & æſtuans livore, cava, & tumentia verba, ut inquit ille, buccis trutinetur inflatis; eximiis tamen laudibus onerat illos, in quos tanti turbinis impetus devolvitur.

(4) Aut enim falſum Satyricus, aut verum crimen exagitat. Si falſa ſcelera immeritis

(1) *Satyra celebrat identidem illos, in quos inſurgit.*
(2) *Nihil obeſt, quod hoc præſtet ironicè.*
(3) *Etiam cum atrociter ſævit in aliquos, eoſdem laudat.*
(4) *Sive falſa, ſive etiam vera, crimina adoriatur.*

Digitized by Google

ritis viris affingit; licet confutis dolis tot proferat merces, quot non fuerunt in foro mendaciorum apud Athenienſes, teſte Pauſania; nullis tamen centonibus virtutem obruet, ſed paludamento regali honeſtabit; cum enim quo atrocius Satyrici motus efferbueruut, eò magis excitari ſoleant Auditores ad cauſam tantæ concitationis explorandam: cumque nulla nubila extinguere, imò ne noſtris quidem oculis diu ſubducere poſſint veritatis ſolem: deprehenditur innocentia eorum, quos immeritò Satyra criminatur: laceratur ab omnibus ſcabioſus obtrectatorum genius, corruptæ, ac liventis, aliquando etiam ſuperbiſſimæ, fœtus mentis, qua cæteros evertere ſatagunt, ut Regnum immeritò arrogent ſibi; eſt enim genus hominum, ut ait Terentius, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt, nec tamen ſunt. (1) Ad amoliendas demum Cynicorum injurias fœdus ineunt omnes in eo exornando, in quem immeritò Satyricorum atrocitas deſæviebat. Quamobrem cum cæteroqui raró conſpirent omnes ad conferendas uni, & eidem laudes, & Phœnix Heroum habendus ille ſit, qui, Authore Saluſtio, cum omnes gloriâ anteiret, omnibus tamen charus erat; unius, aut alterius Satyræ maledicta, in quibus convellendis laborant omnes, eam aliquibus famam comparant, quam plurimi Panegyrici non contuliſſent. Innumeri certè jacerent inglorii, qui, disjectæ ab omnibus hoſtilis Satyræ beneficio, geſtum aliquem faciunt in gloriæ theatro.

(2) Ad hæc honeſtiſſima exhibetur cauſa iis, in quos fervent Eumenides Cynicorum, proferendi aliqua in commendationem ſui, quæ cæteroqui non ſine omnium ſtomacho celebraſſent. Nullus autem uberius commendat, quàm ſi laudator ille ſit, cui ſui regnum animi penitus innoteſcit. Quorumdam certè cineres coronat poſthuma gloria ob ea decora, quæ de ſe ipſi profeſſi ſunt ad depellendas aliorum calumnias, quæque cæteroqui nunquam ab iiſdem producta in medium perpetuæ noctis tenebris urgerentur. Profectò ergo ſi falſum in crimen ringitur Satyra, præſtat Panegyrico in genere exornativo.

(3) Quod ſi verum crimen diſcerpit, ipſum tamen crimen illuſtrat, & eam attexit ſceleſto famam, quæ multò illi jucundior accidit, quàm egregiis viris parta virtutibus gloria. Nullus autem inficiabitur, præſtantiorem illum eſſe præconem, qui ea cæteris laudi tribuat, quæ ipſi commendari in ſe maximè velint; quàm qui commendatione augeat illa, quæ minus grata ſint iis, quos exornare contendit. Atqui ab improbis potiorem haberi magnorum ſcelerum famam, quàm ab inſontibus claritatem nominis magnis virtutibus comparatam, manifeſtò liquet; eò quòd cariori illam pretio ſceleſti emunt, abjecta ſpe Regni immortalis, & hujuſce non raró perituræ vitæ uſurâ, cujus contemptum profiteri ſolent, qui perditis voluptatibus adhinniunt, aut ultioni Divinis legibus vetitæ, aut alienis opibus, ac præſertim immani latrocinio Regnorum, aliiſque Satyram provocantibus culpis illuſtribus.

Quid, quod ad palmarem aliquando inſaniam adegit maximæ incenſa ſitis infamię: (1) nec unus Eroſtratus Epheſio Dianæ Templo flammas admovit, quibus nomen inclareſceret ſuum; ſed innumeri certò perituri, ſi Regi manus inferre, ſi perturbare Rempublicam, ſi ſacra proterere, ſi convellere communem Religionem aggrederentur; hoc ipſo conſilio projecti ſunt in vecordem audaciam, ut peſſimis artibus mortem nominis evitarent, quod, utcunque tandem, magno ſaltem odio laborans, latè ad poſteros pertineret.

Neque tantùm ad inurendam ſibi ab aliis notam magnorum dedecorum, (2) velut ad optatiſſimum portum, per obſeſſa ſcopulis, & ſyrtibus maria, perque ipſa naufragia velificantur, ſed hoc ipſimet rapiunt aureum, ut ita dicam, vellus infamiæ: Sua ipſi probra denudant, ſua jactant ſcelera: cumque occupatos æſtro tartareo pudeat non eſſe impudentes, vel falſo aliquando de crimine famam quærunt. At præditi virtute viri contemnere ſolent, quam ſperare poſſent nominis vitam ab hominibus, & literis perituris: aut illam profectò tanti non emunt, parcentes Sempiternæ Fœlicitati, & huic etiam, quam agimus, vitæ; quin potius nullo prorſus pretio dignantur humanæ gloriæ auram inanem, pretium laboris ſui omne ſolventes prò immenſo pondere gloriæ immortalis. An ergo immeritam aucupentur gloriam, & non ſuas ſibi ipſis laudes affingant; cum potius omni ſtudio deterant ea, quæ in ſe ab aliis commendantur? Quamobrem cum is, quem Satyricus diſcerpit, perditiſſimè depereat ignominioſam gloriam a Satyræ celebri-

(1) *Si falſa, omnes inſurgunt contra Satyricum.*

(2) *Exhibetur neceſſitas calumniæ propulſandæ ſuas dotes detegendo.*

(3) *Si declamat contra vera crimina, jucunda ſceleſtis accidit Satyra.*

(1) *Sunt, qui flagrant deſiderio infamiæ.*

(2) *Jactant ſua dedecora.*

Digitized by Google

arduum ars opificium extundit, majorem ipſi artifici laudem conciliat. (1) Sed magis arduum eſſe Satyram ſcribere, quàm Panegyricum, accepimus ex inſtitutionibus Rhetoricæ artis; ideoque cum in hoc elaborent etiam Tyrones, illam tentare vix audent Magiſtri: aut ſi quis illam nobiſcum ſiniſtro Apolline aggrediatur, Saturam laceſſit, qua vir ingenioſus ipſam olim Saturam ſaturavit. Materies Panegyrici ultro ſe ingerit: ex illo plurimùm narrationes exhauriunt: conſueto plerumque utitur ſtylo, figuris pervulgatis. At quę vis judicandi commendare illum debet, qui ſibi ſtatuit materiam Satyræ! Quot ille premere conſultò debet, ne infortunium venetur, in quæ cæteroqui, Satyrorum ferula, colubri diſtringi amant! Quot ille tantùm curſim innuere poteſt, in alia liberius invehi! traducere ludibrio quædam, atrocius cætera exagitare! At quod illi affulgeat lumen ingenii, cui frequentibus ſententiis illuſtrandum eſt carmen, doctè reſpiciendum ad placita Sapientium, eruditè ad fabulas Poetarum: noſcenda Hiſtoria omnis, tamquam ungues, digitique ſui: cui ſtylus adhibendus atrox, acutus, dilucidè obſcurus, quique plerumque dedeceat quodcumque aliud ſcriptionum genus? Hoc enimverò carmen eniti, non niſi literarum fluminibus inundata, &, ut inquit ille, divinitus emota mens poteſt: quod ego carmen Saturam dictum crediderim, propterea quod omni delibato doctrinarum flore, & quinta quaſi natura, & ſucco ſapientiæ ſaturandum ſit.

(2) At præter Ingenii ac Judicii dotes, quas in Satyrico ſupra Panegyricum Scriptorem deprehendimus, quis urgere novit vitia vehementius, quis eorum ſemina vipereum eruptura in partum fœlicius extinguere, quis lacte ſalubriori nutrire virtutem? Jacent Leges, ſi cum Satyræ viribus conferantur. Quot illæ criminibus pænam non irrogant, quæ Satyrici Scriptoris tela confodiunt? Hinc verò patet, non ſuum tantummodò Authorem, ſed illos etiam, in quos ipſa efferatur, a Satyra commendari, namque efficacius nullum laudationis genus eſt, quàm objurgatio, ſi metu ſui perculſos animos excitat ad præconia in poſterum promerenda.

(3) An non in ipſos Tyrannos Satyræ tempeſtas atrocius tonat, qui ſe nullis innocentiam debere legibus arbitrantur? Cumque non ineptè Soloni dixerit Zoroaſtres, conditas ab illo Leges retia demum eſſe, quę araneas quidem, ideſt vulgus ignobile, at non aves, ideſt, qui Cælum ſuperbiâ, & potentiâ invadunt, Principes viros, illaqueare poſſent; ipſos tamen humani generis arbitros Reges libentius cæteris mortalibus nobiliſſimum Satyræ ingenium adoritur. Ut ipſis idcirco Regibus major ſuum illos ad tribunal cogit, ſupremum videlicet omnium, quæ in terris hominum licentiæ frænum iniiciant! Per hanc patent latebræ Tyrannorum, ac tenebricoſa caligo dieſcit: Hæc pharmacum propinat imbutis aſſentationum veneno ab Aulicis ad Domini mores factis: hæc nimia fœlicitate laborantes revocat ad ſalutem: hujus terrore ſe non rarò temperant, ac ſibi ponunt imperii modum. Ex quo ita mecum liceat ratiocinari. Si laudes inſtitutæ ſunt ad ſtudium virtutis provocandum, commendari non dicam Principes viros a projectis in omnem licentiam Satyræ authoribus, qui eoſdem propemodum cogunt ad ſtadium virtutis urgendum?

(1) Hinc nobiliſſimam Poematum Reginam Satyram, cui Reges ipſi, & Cæſares faſces ſubmittunt, amplexæ ſunt omnes egregiæ nationes: Romana Reſpublica in Orcheſtram primùm, tum etiam in laureatos victorum currus induxit: omnium parens Natura, ac ipſa elati ſupra naturam ordinis molitrix Divinitas ſummopere commendavit. An non enim, ut cæteras gentes ſilentio involvam, priſca Romanorum Comœdia Satyra fuit, qua ſingulorum vitia jocis palam, ac ſibilis deſigebantur? An non, præter licentiam Saturnaliorum, quibus poteſtas exſoluta planè mancipiis fuit ſuis vitia Dominis exprobrandi, dum ipſis propemodum immiſti Numinibus videbantur, qui aureo Capitolium curru ſubibant, jucundiſſimum militibus erat in Triumphatores convitia jacere, quibus excitati, poſt devictas gentes, ſua etiam aliquando crimina debellarent. Quod ſi triumphale carmen eſt Satyra, quis ibit inficias, eamdem eſſe pariter exornativum carminis genus?

(2) Quæ verò fuerint de Satyra judicia Sapientum, teſtis Philoſophus ille non ignobilis, qui omnes de ſuo ludo Auditores coegit non devorare ſolùm maledicta, ſed præmio ingenti mercari; ex quo prodiiſſe ferunt illum, qui laureâ tandem donatus, cavillo prætereuntis appetitus, effuſus in riſum eſt, & effrontiſſimo blateroni devinctum ſe

(1) *Quàm arduum ſit Satyram ſcribere*.

(2) *Laudat Satyra, quia excitat ad laudes promerendas*.

(3) *Præſertim Reges, quos Adulatores in præceps agunt*.

(1) *Ideo illam amplexæ nobiles omnes Nationes*.

(2) *Sapientum de illa præconium*.

Digitized by Google

ſe omnibus benevolentiſſimi animi argumentis profeſſus eſt, a quo gratuitas haberet injurias, quas magiſter tanti vendidiſſet. Hinc ego ita non diſſeram, Auditores? Qui conſueta Panegyrici præconia palam emerit Sapientum nullus perhibetur; Atqui profitebantur palam Sapientiſſimi Viri, caro a ſe pretio quæri ſitas in Satyra laudes. Illuſtrius ergo ex illa proficiſcitur commendationis genus. Æmulus naturæ Apelles ſannas improbantium tabulas, quas coloraverat, clam avidiſſimè excipiebat, ut ad eorum arbitrium refingeret ea, quæ pinxerat immortalitati; dummodo ſententiam non tuliſſet Sutor aliquis ultra crepidam ineptè progreſſus. At cæcus ille Vates, qui naturæ oculus fuit, Ideam ſtatuens optimè conſtitutæ Reipublicæ, humanæ pariter, ac Divinæ, inducit Therſitem plectentem jurgiis, quicquid delirabant Reges, ac Rex ipſe Regum Agamemnon, quæque Jupiter deliquiſſet, audaciſſimè carpentem Momum. Quod ſi Satyrâ exornantur Dii, quibus profectò perpetuum laudum vectigal perſolvendum eſſe arbitrabatur Homerus, divinum quoddam commendationis genus Satyra eſt.

(1) Quæ demum ipſius Naturæ de hoc carmine ſententia ſit, liquet ex eo, quo illam jucunditatis melle reſperſit. Omnino impatiens otii ad crimina diſcerpenda proclivitas inſita eſt linguæ, & incredibilis quodammodo nativus pruritus auribus excipiendi Timonem aliquem, aut Diogenem, horrendas in aliorum crimina procellas excitantem. Ut faciliores Cynico præbemus aures, cujus ardeat mucro, qui

In clypeum aſſurgat, qui turbine torqueat haſtam;

quàm laudatori, qui, ut egregiis, Heroibus conferat vitam nominis immortalem?

(2) At verò elati ſupra omnem naturam ordinis conditor Deus, dum præcipuum genus exagitandi crimina, quo illa reus ipſe denudat, ac deteſtatur Sacerdotis ad pedes, artem voluit eſſe, qua Immortale Regnum, ac Naturæ Divinę conſortium homines adipiſcantur, profectò nobis exhibuit, quid ſtatuere de cæterarum Satyræ ſpecierum præſtantia debeamus. Si enim Satyra, qua ſe quiſque damnat, Cæleſtis Curiæ, & ipſius Divinitatis plauſus conciliat illi, in quem Satyra eadem inſurgit; ecquod præclarius artificium exornandi alios excogitari poteſt, quàm ſi eorumdem publica crimina feralibus conviciis objurgemus?

(1) Lactat Panegyricus plerumque ſegnitiem immeritis laudibus, Satyra verò ſcelera elidit: hebetat ille non rarò, aut ſoporat ſtimulos virtutis, & gloriæ, hæc eoſdem exacuit, atque incendit: vel ſi tenues ille aliquando laudis igniculos excitat, hæc luculentum incendium exuſcitat; nam ſi præconii ſpe ille provocat ad ſtudium gloriæ, hæc metu diræ probrorum grandinis in ſe a Satyra exonerandæ, compeſcit a ſcelere. At quis ignorat, majorem ſitam eſſe vim in metu, quàm in ſpe ad animos permovendos? Hanc qui non cudit in ſcelera, reus eſt virtutis extinctæ, quam cum revocare verbis ad vitam poſſet, crudeliſſimè renuit.

(2) Præclarum hoc artificium paucis oppidò verbis excitandi animos, quos admonemus officii, præcipuum deberet eſſe munus amicorum: eſt munus hoſtium. Ex improba verecundia diſſimulare illi ſolent ea, quæ in amicis improbanda eſſent; at cum in colloquiis vehementius incenduntur alienæ laudis obtrectatores, atque æmuli, hoſtibus exprobrare ſolent eorum dedecora, & dum injuriam adornant, ingens beneficium ingerere; metus enim, ne illa eadem rurſus hoſtis amarus improperet, cogit a cœno conſurgere, ac præteritum dedecus redimere in poſterum recenti merito laudum. Profectò ipſo Moly Homerico efficacius ad animi ſanitatem pharmacum eſt, quod venenatæ vitiorum ſordes emoveantur ab æmulo. Et mirabimur quovis amore ſalubrius odium, a quo adactus aliquando gladius in pectus adverſum immedicabile ulcus aperuit: cum hoc quotidie prodigium pariant jurgia, quæ jaculatur livor hoſtilis?

(3) Jam verò ſi nec hoſtes inſurgere in nos Satyricè poſſunt, quin impellant ad præconia promerenda; cum ſecus amiciſſimi viri, dum laude blandiuntur, noſtram inertiam foveant, adeoque meritum veræ commendationis extinguant: conſtat, Satyricum Scriptorem fœlicius evadere ad finem, quem duce natura ſibi ſtatuerunt, qui omnium primi aggreſſi ſunt commendare virtutem: videlicet, ut ejuſdem amorem vehementius inflammarent. Porrò compertum eſt, omnium optimè homines exornari ab illo, qui omnium fœliciſſimè aſſequitur finem, ad quem comparandum commendationes a natura ſunt inſtitutæ. Igitur omnium optimè Satyricus laudat.

Nar-

(1) *Ipſius Naturæ de illa Judicium.*
(2) *Et Dei O. M. jubentis, ut contra ſe unuſquiſque Satyram formet.*

(1) *Noxia plerumque laus, utilis objurgatio.*
(2) *Magis proſunt Hoſtes, quàm Amici.*
(3) *Satyra fœlicius aſſequitur Finem, ob quem Virtus commendanda eſt.*

Digitized by Google

(1) Narrationem demum accipite confabulationis habitæ nuper in Algido, quæ diſputationi huic noſtræ aditum præbuit. Hæc porrò hiſtorica narratio potius ipſius quæſtionis pars, quàm parergon, aut epiſodion nuncupari poteſt, ex recepto jam more inſerendi Proluſionibus hiſtoriolas, quæ proximè accedant ad fabulas: quæque ferè Mythiſtoricorum, qui Heliodorum ſequuti ſunt, ſtylo narrentur. Crebrioribus ergo metaphoris indulgeamus: afferamus frequentiſſima Poetarum loca, quæ tamen non emineant extra corpus narrationis expreſſa, ſed eidem inſerantur: eamque frequentibus ſalibus, & leporibus exacuamus, utinam non inſulſis, & infacetis. Hæ certè, niſi nos quidem fallimur, præcipuæ deberent eſſe notæ Mythiſtorici ſtyli.

Evoluto proximè Octobri cum feriatus ab Academia agerem Tuſculi, a liquidiſſimi, (2) quod purpurea luce riſit, diei præludio invitatus, cum quibuſdam Mercurialibus viris in Algidum eniti decrevi. Facto viæ compendio ſuavibus colloquiis, in Oppidum evaſimus, tenue illud quidem, horridum, aſcenſu aſperum, perque cujus arduas ſemitas capreæ vix hærere in veſtigio poſſint; in cujus tamen ſemiruto templo neſcio quis ſacer Orator in exuberantem quadrigarum luxum debacchatus eſt. Egreſſi oppidulo, quod oculos lachrymoſo fumo perſtringebat,

Udos cum foliis ramos urente camino,

per Annibalis campos, ex quibus videlicet Capuæ meraco ebrius ſuis Romam militibus vendidit Dux ille, ſi noſtrę perniciòſus Italiæ, parentibus etiam ſuis abominatus: per Annibalis, inquam, campos ſylvam ingredimur, ubi excitato frondibus igne, collatâ in commune operâ, prandium adornavimus ferme Pythagoræum, niſi epularum gratiâ, noſtro certè labore condiendum. Tum,

Ut priſca gens mortalium,

ſuper inſtratam foliis herbam epulati, modico ſpatio quieti dato, remetimur campos Annibalis, in quem jocatus aliquis, ut recens a prandio: Tu quidem, inquit, cum ante prælium epulare ſine caupone rationem ſubduxeris, Annibal, de Urbe Roma, veluti cæna, pactus cum militibus tuis, incænatus dormies; Afrorum enim dentibus comminui nequit Capitolii ſaxum immortale. Ut melius Seplaſiam, & inertia Campaniæ convivia ignoraſſes! An non hoc ipſo e nemore ſumis Romanæ documenta conſtantiæ, quæ

Duris ut ilex tonſa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes ab ipſo
Ducit opes, animumque ferro?

Dum hic Scipio, ſcipionem certè veluti fulmen intorquens togatæ Palladis miles, inſultat triumphali umbræ Ducis illius, qui primas duobus tantùm Imperatoribus, ſe judice, concedebat, in Appiæ viæ reliquias incurrimus, per quas grandire gradus Plautinâ formulâ prohibemur a comitum altero, afferente illud Horatii,

Minus eſt gravis Appia tardis.

At ego, næ tu, inquam, mones in tempore; niſi enim edoctus a Venuſino fuiſſem, ignoraſſem hoc arcanum ſapientiæ, videlicet illum, qui pedibus iter ingreditur, defatigari minus, ſi lento, quàm ſi concitato, gradu incedat: perinde atque compertum nulli fuiſſet, a pulchritudine amorem conciliari; niſi hoc fuiſſet Sapphus Poetriæ pronuntiatum. Enimverò cælum ſapientiâ petere videntur ſibi, qui, Catonis ſupercilium induti, per ſingula verba ſententias proferunt nulli puero incompertas.

(1) Sublimem interea montis ſpeculam aſſequuti, oculis primùm liberis uſurpavimus non fictas nemorum, ac montium ſcenas, ad inſignem ſpeciem, ac propemodum ad luxum, ludumque, colore, ut cum Apulejo loquar, multiplici variegatas, & quaſi de induſtria, & arte naturæ, juſta per intervalla dimenſas, quæ vel editis aſſurgunt montibus, vel depreſſis vallibus hiant, opacantur frondibus alia, quædam rupibus aſperantur: uno aſpectu libata nemora, lacus, urbes, quæ ferè numquam intuitum, numquam certè compeſcunt vota mortalium. Mox illa etiam, quæ longius recedunt, oculis admovere aggredimur, adhibitis tubis optico vitro perſpicuis: & aderat admonitor non ignarus regionum, qui Pontinos campos indigitaret,

Quà Saturæ jacet atra palus, gelidúſque per imas.
Quærit iter valles, atque in mare conditur Ufens,
Circæumque jugum:

Et mare Pontiâ, & Palmariâ inſulâ bacchatum: & ſuâ Camillâ ſuperbum Privernum: & ſuo, quod olim

Lato ardebat in auro,

ſuperbam nectare Setiam: &

Impoſitum ſaxis latè candentibus Anxur,

ex quo Apennini conſurgunt perpetuo dor-

(1) *Anſa nobis oblata ſcribendæ geminæ hujus Proluſionis.*

(2) *Iter ad Algidum.*

(1) *Deſcriptio locorum, quæ ſpectavimus.*

Digitized by Google

dorſo Italiam ſcindenteſne dixerim, an coronantes?

(1) Dum hæc omnia cupidiſſimè circumſpectamus, cerebroſus aliquis multo omnia ſale perfricabat. Et erat, inquit, operæ pretium aereum in montem prorepere,ut hęc deſpicerem? En Pontinas paludes Romanæ potentiæ inſultantes. Siccine

Contracta piſces æquora ſentiunt
Jactis in altum molibus,

Quirites, domini terræ faſtidioſi? Contracta vos æquora camporum intuemini, per quæ graſſatusNeptunus compeſci numquam potuit a Romanis, rerum videlicet dominis, ac naturæ. Hunc certè debellare ſuperbum, Virgili, Roma non meminit. At illamne Palmariam dicimus per Antiphraſim, inſulam Divorum olim exiliis, Afrorum nunc latrociniis infamem? Excurrens verò in mare promontorium illud, cui ferreum imminere Cælum perhibetur, quodque plumbeis importuni Syrii venti ſagittis perpetuò appetitur, & in quo deſerta omnia hinc etiam videre licet, & ſabuli acervis compluribus horrida, quos ventorum turbo congeſſit, Circæum illud eſt,

Dives inacceſſos ubi Solis filia lucos

aſſiduo, etiam nunc, reſonat cantu, (quandoquidem Deabus, ac Veneficis perpetuam eſſe juventutem ſanctiſſimè pejerant Vates)

Tectiſque ſuperbis
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum?

Ex odorata profectò cedro non oritur fumus ille ater, & craſſus Circæum involvens. An ut ſuarum virium ſpecimen exhiberet, Tartari Coloniam elegit Saga illa, in qua Elyſios ſtatueret? Velut inſana olim Regum ſuperbia educabat in ſcopulis flores,non ſine indignatione naturæ fruſtra repugnantis toto elemento lactatos, & recreatos furiis Boreæ ferocientis: eo nomine gratiores Catulliano illo pueris omnibus, ac puellis ſuſpirato, qui

In ſeptis ſecretus naſcitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contuſus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat ſol, educat imber.

Ut verò egregio monumento illuſtratur Circæo proximum Anxur,

Queis Jupiter Anxurus arvis

olim præſedit: Anxurus videlicet, quaſi ἄνευ ξυρῦ, quia numquam ibi adhibuiſſet novaculam Deorum Rex, imberbis ad invidiam Vulcani filii ſui, cui, veluti Charonti,

Plurima mento
Canities inculta jacet:

Et in vicinia

Viridi gaudens Feronia luco,

Uxor Anxuris Jovis, fruſtra ringente Junone, colebatur. Exortos ex Anxure Apenninos Italiæ coronam dicis,

Quam ſecat Apenninus, quam Mare cingit, & Alpes?

Sub hoc diademate fatiſcet infœlix Regina magis, quàm ſub corona turrium Berecynthia. Quod maris foſsâ, & propugnaculo Alpium Italiam vallaverit, naturæ gratiam dico; at eamdem novercam accuſo, quòd hoſce ſuos hortos horrido Apenninorum ſepimento diſtraxerit.

Interpellandi locus hìc erat. Ita ne verò, inquam, ne amuſi erremus, licet a literis otium agamus, Aquini, & Auruncæ furor tuis fibris inhæſit,quo Satyram armas in populos, regiones, Deos? Quin tu ſaltem commendas ſubjectos lacus: ſive hunc Albanum, cui debitos Mundo aliquando commodant oculos Divinitatis Proreges, ut fœlicius deinde oculos, curas, manus per Terras,Cælumque cum Sole diſpergant? ſive alterum, quo Diana ſpeculo utebatur, quorum non ambitioſum argentum leni zephyro criſpatum delicium eſt colludentium Gratiarum? Gemini profectò ſtagnantium aquarum oculi dici amant: veluti ocellum Inſularum Sirmionem dixit Catullus,

Quaſcumque in liquentibus ſtagnis,
Marique vaſto fert uterque Neptunus.

Ne oculos dicerem, feſtivè reponit eruditus hoſtis, authorem habeo exceptione omni majorem, quem adoravimus Supremum Arbitrum ſacrarum rerum, qui huc Ciſio invectus (quem volantem currum nuncupamus, Triptolemum, ac Salmoneum æmulati) Ciſio, inquam, huc elatus, dixit: non Oculos, ſed Conſpicilia hos ſibi lacus videri. At enim, inquam, Albanus hic lacus altero Dianæ ſpeculo major eſt, & Conſpicilia impares orbes habere non ſolent.

(1) Nodum Gordium ſolvit Mythologus non ignobilis, cui totus decolor erat Natalis Comes, & hærebat nigro fuligo Varroni.Hic a gemino ovo bellum Trojanum exorſus: Plures, ait, Gigantum ſpecies fuere, Cyclopum altera, quibus unus tantùm ingens oculus

Torva ſub fronte latebat,

magnitudine quidem

Argo-

(1) *Satyrica eorumdem expenſio.*

(1) *Fabula de Pamphago Gigante in Algidum Montem immutato.*

Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis inſtar;

ſed truculentæ lucis horrore Arcturum referens, aut auro turbido armatum pluvium Oriona. Strabonum altera Gigantum ſpecies, non diſtortis tantùm, ſed & imparibus oculis cuncta defigebat. Ex hac gente Pamphagus fuit, quem, cum injecta monſtris terra doluit ſuis, mœruitque

Partus fulmine luridum
Miſſos ad orcum,

audaciſſimi ſceleris reum amentia abſolvit; ideoque non ut cæteri fratres obrutus montibus, ſed in hunc, quem inſcendimus, Concavum Montem converſus fuit. Amentiâ porrò laborabat Pamphagus Antyciris omnibus inſanabili; cum enim, ut author eſt veris in Hiſtoriis Lucianus, Jupiter (ne ſibi tantùm ſecuri verticem Vulcanus diduxerit) omnibus ſoleat recludere caput infantibus, & eductum ex aureo lebete cerebrum eidem ingerere, ſtomachatus immanem Pamphagi ollam, quæ lebetem totum exhauſiſſet, perexiguam cerebri ſpumam, cæterà vacuo, illius vertici incluſit; ideoque Cavus hic dicitur Mons ex vacuo capite Gigantis, qui hunc ipſum in montem obduruit. Pamphagus ergo cum

Fidens juventus horrida brachiis
Parentis regna per arduum

ſcanderet, ne ſuperimponendi montibus montes intuitum fallerent (ad cæteras enim dotes, non impares tantùm orbes, ſed & acies hebetiſſima oculorum illi erat) conſpicilia naſo ſuperinduxit, quæ auribus vegrandes triremium rudentes commendaverant. At cum fraterno illum exitio ſubducere decrevit Jupiter, & avulſum turbine a campis Phlægræis hic immutavit in montem; ne indecorè promineret naſus, quem ſcilicet Prudentia, & Magnanimitas Gigantis nimium produxerant, montem inutili hac appendice viduavit. Tunc in terram conſpicilia defluxere, quæ ad montis radicem converſa vitreos in lacus intuemini, eoſque impares magnitudine, prout impares oculi Gigantis erant. Idcirco non illepidè dixit eruditiſſimus Princeps, non Oculorum, ſed Conſpiciliorum ſpeciem ab hiſce lacubus exhiberi...

(1) Fabulam riſus excepit, & alius jocus riſum; nihil enim ille cunctatus, poſt Jovem, & Pamphagum, derididiculò Dianam habere cæpit: Eccui, inquit, præſtò eſt laterna Diogenis, qua, niſi Dianam ipſam, quæ, Horatio teſte,

Aventinum tenet, Algidumque;

celeberrimi ſaltem illius Templi reliquias indagemus? Ex hoc certè monte ſuam illa ſpeculari formam ſubjecto in lacu quinque omnino ſolidas quotidie horas conſuevit: velut etiam Poliphemus ſe videbat in littore Siculo,

Cum placidum ventis ſtaret mare;

nec ſibi diſplicuit, ut narrat ipſe, antè appulſum Ulyſſis ad illas horas oculatiſſimus teſtis. Quin etiam Homeri Myſtagogus Euſtratius in Commentario narrat, fuiſſe inter ſocios Ulyſſis Pictorem, qui pulcherrimam Polyphæmi faciem carbone delineatam (neque enim aliis, præter nigrum, coloribus poterat) ſecum amoris ergo Ithacam tulerit. Velut ergo marino e ſpeculo Polyphæmus pendebat hianti

Ore, ſuamque oculo faciem metitus amaro:

ita ſuam diutiſſimè Diana imaginem ſubjecto in lacu contemplabatur. Sed enim Dianæ tantùm ſpeculum ſuperſtes eſt, ſupellex videlicet pretioſiſſima fœminarum? At quæ in nemora, aut quos in ſpecus ipſa Diana proripuit ſeſe? Num venatrix jugis Cynthi graditur, &

Comitantur euntem
Oreades:
Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus?

An etiam nunc adeſt obſtetrix Alexandro, ut quando Epheſio illius Templo Eroſtratus flammas admovit? Nunc certè non minori excidio aliud ejuſdem in Algido religioſiſſimè cultum a Quiritibus Templum diruit edacitas temporis. Niſi fortè, velut

Armentarius Afer agit tectumque, laremque;

ita non arma tantùm, & Amiclæos canes, & Creſſam pharetram, ſed ipſum aliò impulit Templum venatrix Diana? Fortè cum ipſa Syriis canibus Cælum exagitet, & aurea jacula torqueat in Hyperboreas Urſas, ac toto Cælo depulſas cogat in mare delabi

Arctos Oceani metuentes æquore tingi:

ſuum quoque Templum ex Algido in Montes Lunæ juſſit attolli, per immenſam coclidem ſcalam, quam commendatus nuper Lucianus e terris conſurgere narrat ad Regnum Lunæ, in quo domos, viros, ac prope illud, medio inter Plejadas, & Hyadas aere, diſertarum Lucernarum Urbem, & alia ſexcenta prodigia ſuis oculis ipſemet vidit. Ubi certè niſi cervorum cornibus ara Dianæ frequens erit; at ſaltem cocleis, ex Hiſtorici noſtri ſententia, onerabitur, quæ per viginti jugera in Regno Lunæ protenduntur, & ex earumdem aſſarum odore ſua-

(1) *Inſultamus Dianæ olim in Algido cultæ.*

viſſimè victitant homines, qui apertum, ac piloſum intrinſecus ſtomachum vittis innectunt? An cum eadem Diana triformis Hecate Tartareis in triviis ululetur, in Erebum decidit illius Templum Proſerpinæ invidendum? At cur mendacii notam Diana inurat cultoribus ſuis, perinde quaſi, contra reſerata ab illis arcana, nequeat ſimul incolere cælum, terras, ac tartara? Toto profectò Cælo exulaſſe Dianam oportet, cum adeo violentus huic aureo illius Templo furor incubuit, ut ne illius quidem reliquiæ ceciderint ex ore temporis devorantis.

(1) Hic excitatus vir ſuaviſſimæ indolis, idemque

Lepòrum
Diſertus pater, & facetiarum:

Quin tu pergis, inquit, argutari, & Satyram proſequeris, qua poſt homines, & regna, ipſa etiam Numina exornas? Ultimum fortaſſe verbum incogitanti excidit; niſi per Antiphraſim dixit, exornari a Satyra Deos, quo pacto a laudibus objurgantur: velut etiam per ludum Epos impari carmine, Heroico Elegiam ſcribi dicimus: & fuit, qui juſſit a coquo adornari ſibi, veluti opiparum ferculum, Epigramma. At ego, ſeria, inquam, tandem aliquando aggrediamur, neque inſulſis omnia ſalibus reſpergamus, quos condire quibimus numquam, licet ſalinas ex ore Tiberis, in quo Hoſtia urbs condita, hunc in montem transferamus. Sapientiſſimè dictum, a Satyra commendari homines, regna, Deos: neque alio conſilio, quàm texendi Panegyrici gratià huc uſque Satyram in ſylvis luſimus. Exceptus effuſiſſimo riſu (ut eſt moris humani, aliqua per ludum dicere, quæ deinde ſeriò tueri amamus) plurima effudi tumultuaria, ac prompta oratione, quibus efficerem, non modò a Satyra res exornari, ſed etiam magis, quàm ab ullis Præconiis, ab eadem congeri laudes in illos, in quos invehitur. Quæ verò tunc dixi, veſtra fretus humanitate duplici Proluſione retuli in hanc coronam Sapientiſſimorum Virorum.

(1) *Decretum ſcribendi Satyram Exornativam.*

PROLUSIO VI.

Brevem, ſi prudenter impendatur, hominum ætatem non eſſe ad Sapientiam comparandam.

VEtus eſt literatorum querela, Eminentiſſimi Principes, quod hominum generi, malignitate naturæ in exiguum ævi compulſo, ad longas artes ediſcendas uſura temporis deſit. Præclarè cum illis ageretur, ſi quam egregiam indolem, & opportunitatem, nacti ſunt ad ſtudium Sapientiæ, non corrumperet animi torpor ignavi. Sed enim plerique ſua bona non norunt, nec rarò, ut ſuam inertiam tueantur, naturam accuſant. Qui diuturnam eſſe Sapientum vitam ratiocinando conficiat, quadam velut aura ſpei curſum intendet volantium animorum, eoſdemque in ſolertis induſtriæ curriculum inducet. Adeſte mihi nunc animis, Juvenes, quos veræ thyrſus contigit laudis, dum per hæc annui laboris initia natam extinguendis ingeniis convello ſententiam Hippocratis affirmantis, (1) *Artem longam eſſe, brevem Vitam*, qua fortaſſe majorem animis perniciem attulit maximus vir, quàm profuerint affectis ægritudine corporibus ejuſdem numquam falſæ medendi leges, ac prope divinæ. In eam quippe dum incidunt Sapientiæ candidati, offendunt in ipſo limine, ac de Natura conqueſti, quæ in tam multa ac ſublimia genitis anguſta ſpatia ætatis indulſerit, neceſſariò abduci ſe dicunt a ſtudio Sapientiæ, quam aſſequi ſe poſſe deſperant. Geſtit mihi animus in præſentia, optimæ parentis Naturæ cauſam tueri: (2) utque alam Juventutis ingenia, & ad nobilem excitem laudem, oſtendere, Brevem, ſi prudenter impendatur, hominum ætatem non eſſe ad Sapientiam comparandam. Hoc ſi evicero, videbor mihi, Juvenum animos ad concertationem gloriæ aureis pulcherrimæ ſpei calcaribus provocaſſe.

In orationis veſtibulo non aggredior altius controverſiam explicare, ut provocem ad eventus rerum, & Hippocratis ipſius exemplum, illis occurrens, quibus ratum, ac ſanctum videtur quicquid veterum ſapientum aliquis affirmavit. (3) Prætermitto igitur plurima cauſarum momenta, nec oſtendo eam eſſe præſtantiam humanæ mentis, ut qui Sanctiſſimam Effigiem Dei illam dixit

(1) *Hippocrates nocuit affirmando Artem longam eſſe, brevem Vitam.*

(2) *Impugnandam ſuſcipiemus ejus ſententiam.*

(3) *Conglobatæ contra illam rationes.*

Digitized by Google

dixit, hic veram animo complexus ſit ejuſdem formam: Incredibilem veritatis ſenſum, & auram e Cælo duci: Scientiæ dulcedine omnes mirum in modum teneri, adeoque ab ejus intelligentia a Natura minimè prohiberi, ne irritam, & numquam explendam ſitim odio novercali eadem natura in nobis accenderit: Innumeras in animo informatas primùm, & quaſi conſignatas eſſe notiones communium rerum, inſitas, non acquiſitas, divinitus impreſſas, non arte conſcriptas; ideoque ſi homines exerant ſe, ac tamquam exacuant, atque ab ipſis penè incunabulis conſecrent ætatis integerrimum florem aſſiduæ liberalium artium exercitationi, facili negotio ad Sapientiam emergere, ad quam a Sapientiſſimo Numine conditi ſunt: Neque ſolùm Principia doctrinarum in altiſſimis animi fibris a Deo ingenerata fuiſſe, eademque protendi brevi poſſe ad omnium cognitionem arcanorum, ſi ad inſitas animo laudes aliquis cultus accedat; ſed etiam ex plurimorum ſententia penè innata eſſe ea, quæ ab ipſis Principiis colliguntur: Scientiam unam alterius cognitioni viam inſtruere, & ſingulas ſingulis amicè conciliatas congruere ſecreto quodam fœdere diſciplinarum; adeoque ſine improbo labore poſt unam noſtri effici juris univerſas: In argumentum, quod diuturna ſit vita Sapientum, Mercurium, Minervam, Muſas, Apollinem, Sapientiæ Numina, floruiſſe perpetua juventute perhiberi: iis, qui Sapientię animum adiiciunt, ævum plerumque ab Auctore Naturæ, dum ſuæ gloriæ conſulit, amplificari; cum illi tantùm ex omnibus mortalibus hoc Deo præſtent, ne præclara ipſius opera ſine teſte ſint.

(1) Hæc, inquam, atque alia plurima involvens cauſarum pondera, quidni brevem eſſe pernegem hominum Vitam ad Sapientiam comparandam, quam diuturnam ipſe oſtendit Hippocrates, complexus animo intra hujus, quod breviſſimum dixit, temporis anguſtias, ampliſſimam, & maximè arduam facultatem? Diuturnam exhibuit Ariſtoteles, atque Plato, quædam quaſi numina Philoſophiæ? Brevem non eſſe oſtendit Auguſtinus, mortalium omnium apex ingeniorum? Alii quamplurimi penè immortalem præſetulerunt, a quibus, veluti fontibus præclaræ doctrinæ, animi poſterorum irrigantur.

At enim, inquies, his diſciplinarum parentibus beatior, cæteriſque mortalibus inconceſſa ingenii vena fluxit; ideoque, utcumque illi brevi Sapientiam hauſerint, ad

(1) *Exempla evertunt Hippocratis Pronunciatum.*

illam tamen ceteri velificari non poſſunt votis audacibus, qui non eamdem indolem nacti ſunt. Quis hæc inficietur, nec ſuſpiciat lumina illa Sapientię, generis humani magiſtros? Ego verò ex hoc, quod vel ultro datum, vel extortum ex te eſt, ex eo videlicet, quod iiſdem ſuperfuerit tempus ad Sapientiam acquirendam, non temerè colligo, non uni tantùm, vel alteri, ſed pleriſque Sapientiæ ſtudioſis ad illius cognitionem vitam abunde ſuppetere. (1) Si enim quędam ingeniorum portenta intra paucos oppidò annos inveniſſe dicendi ſunt præclariſſimas facultates; adeo rudem illarum notitiam a Patribus acceperunt: ac ſi, quas invenerunt primò, eaſdem perfecerunt adeo, ut quam pulcherrima luce accenſam Sapientiæ lampadem poſteris tradiderunt, eodem fulgore rutilantem conſervare nullus potuerit, nedum illius claritatem intenderit, cur ſaltem cæteris non ſuperſit vita ad ea percipienda, quæ illi primò excogitare potuerunt?

(2) An adeo humanæ naturæ deferbuit calor, & præcoci feſtinatione conſenuit, ut ſi ducentis annis poſt obrutos alluvione mortales de rerum Natura viginti carminum millia condidit Zoroaſtres; a nullo ante ipſum recluſis Muſarum fontibus: ſi ſcribendis pluribus librorum millibus, ac pleriſque de rebus ab hominum ſenſu maximè abhorrentibus, vita non defuit Triſmegiſto, & Origeni: cur ejuſdem aliis abunde non ſit ad maximos proceſſus habendos in cognitione eorum, quę publicæ Sapientiæ Patres poſteris pepererunt? Quantum conducit veterum induſtria ad laborem poſteris minuendum! (3) Noſtræ illi fœlicitati conſuluerunt illorum beneficio egredimur humanæ tenuitatis anguſtias, & omne ævum noſtro adiicimus. Quaſi accepto ab illis veritatis hæreditario jure; in qua confirmanda ſecula omnia collaborarunt, in aliorum Sapientiam adoleſcimus inductione tacita naturæ. Pulcherrimam innumerabilium rerum ſcenam nobis primum ſapientiæ limen ingreſſis alienus exhibet labor; dum enim Repertores artium naturæ regnum omne peragrarunt, & animum in Cælum inſeruerunt, maximam copiam, & opportunitatem ſciendi poſteris contulerunt. Veluti cæteræ nauticæ artis, ita transfretandi oceani Doctrinarum facilior in præſentia facultas eſt. Exemplo ſit Ars deſcribendi tellurem, qua chartis omnino quatuor univerſus Terrarum ambitus,

Ma-

(1) *Multò facilius nunc aſſequi poſſumus id, quod Veteres adepti ſunt.*

(2) *Immenſa Librorum vis a quibuſdam ſcripta.*

(3) *Quæ commoda nobis ab Antiquis allata.*

Maria, Portus, Inſulæ indicantur; cùm olim ut eorumdem nominibus divinam Homerus Poeſim illuſtraret, incredibili labore, ac temporis, niſi etiam oculorum, jacturâ compulſus fuerit Regiones innumeras pervagari. Cum prona nobis ſint, quæ priſcis fuerunt maximè ardua, profectò ſi nullam in nobis diligentię partem requirat Sapientia, in ejus poſſeſſionem per hujus, quam ducimus, utcumque anguſta, ætatis curricula, ingredi poſſumus: cum coarctata jam eſſent ſpatia mortalitatis, quando Sapientiam adepti ſunt illi, ex quibus nos ipſam accipimus: cumque perinde fluat in præſentia allapſu perenni vena ingeniorum, quæ perpetuo naturæ flumine continetur, quæque numquam areſcet, cum ab immortali Divinæ fonte Sapientiæ derivetur.

(1) Dummodo Minervæ, quod ajunt, ſponſalia ſibi non vindicent omnes, ac meminerint, quemadmodum non ex omni ligno Mercurius fit, ita non e quovis hominum trunco exprimi Sapientiam poſſe: adeoque maneat, non omnes omnibus diſciplinis excolendis natos eſſe, & quoſdam ne ſingulis quidem, quibus ſi brevem aliquis dixerit vitam non modò ad Sapientiæ regnum peragrandum, ſed etiam ad illud e primo limine ſalutandum, ſumat id, licet, minimè repugnante me; dum viciſſim non neget, aliis, qui nobilis ingenii dotibus commendantur, (hi porrò innumeri ſunt) annos ſupereſſe ad nuptias propediem cum Sapientia contrahendas. Plurimis non ſuperſunt dies, quia ex minima parte ipſorum juris eſt vita: ac diſtrictus inanibus curis animus veram non agitat vitam, cùm ſponte occludat aditum Sapientiæ. Non exiguum temporis nacti ſumus, ſed plurimum fruſtra conterimus. *Profuſiſſimi*, ut inquit Stoicorum ingenioſiſſimus, *in eo, cujus unius honeſta avaritia eſt*; auro enim, & margaritis paucorum furor pretium facit, tempus verò pretioſiſſimum eſt omnium ſententiâ Sapientum.

(2) Quod autem riſum maximè concitat, de Vitæ brevitate controverſiam naturæ audacter intendunt, eamque ferocius ut novercam accuſant inſani Juvenes, qui tempore ſtrenuiſſimè abutuntur, & omni ſtudio ſatagunt, ut breviſſimo curſu incogitantibus ipſis vita prætorfluat: pugnantia loquuti, & ex ipſa, ad quæ perditè adhinniunt, execrantur. Hoc certè, quòd agglutinant, qua

(1) Non tamen ab omnibus eximia Sapientia ſperanda eſt.

(2) De vitæ brevitate præcipuè conqueruntur, qui magnam ejus partem otioſè tranſigunt.

rerum conſequentium copula cohæret? Velociſſima, inquiunt, labitur vita. Interim igitur effundamur in ludos, & omne voluptatum genus. Ut ſcilicet brevior evadat, dum inconſultè prætervolat, quam brevem eſſe conquereris? Iſthæc utrum progreſſio rationis, an prolapſio videtur amentiæ? (1) Quid ni brevis ſit vita ad Sapientiam acquirendam, quam omnem conſecrant inſipientiæ? Dum ipſi ſe fugiunt, & memoriam ſuorum criminum perhorreſcunt, diuturno ſomno indulgent, & vitæ ſtudio vivendi cauſas oderunt: tum altiſſimo terris imminente Sole, dum cęſariem muliebri cultu componunt, Rempublicam, ut inquit ille, quàm capillos, turbari præoptantes, externâ crapulâ ſemiſopiti, domeſticos audiunt, & incredibili ſtatim capti curarum faſtidio oſcitatione ſuperbiſſima eoſdem abigunt: deſidem exinde diem otioſiſſimè tranſigunt: plurimum temporis in convictu ſcurrarum, plurimum in conviviis, ac ludis exhaurientes, omnium appetentes, inſtabiles, inquieti, turbulenta ſeditione animi miſerè exagitati, enervati ad labores numquam in longinquum animum vibrant. Fruſtra in illis ſpes ad literas præclara ſe effert, ſi numquam ab infœlici tyrannide reſpirare illis licet, & in ſe deſcendere, & animo a corporis obſequio vindicato eminere: ſi flagitiis imminutæ vires ingenii magis ac magis attenuantur in dies, & jactationibus animi colliduntur. Hos Exules ſui primis literis leviſſimè aſperſos audias litem inferentes naturæ de brevitate vitæ, quam, ut ipſi criminantur, ejuſdem avaritia nobis conceſſit, cum eamdem potius ipſorum prodigentia labefactaverit.

(2) Præter hos vitæ dilapidatores genus eſt hominum, quod ſpecioſius inſanit. Illos quidem ſuaviſſimo ſuo illicio rapit Sapientia; ſed brevem ad illius cognitionem Vitam eſſe conqueruntur, quam brevem ipſi faciunt inepta ſtudia conſectati. Plurimos invaſit cupiditas ſupervacanea diſcendi pariter, & edocendi. Dies me deficiat, ſi enumerare ſingula velim, quæ a pleriſque in literarum ſtudio peccantur, qui verbis interim, ut ajunt, Herculis naturam in jus vocant, eò quòd cervorum vitam homini denegaverit. Ut prudenter Satyricus affirmavit, nullum abeſſe Numen, ſi adſit Prudentia: ita, niſi eadem deſideretur, non deeſt Tempus, præcipuum Numinis donum. Quæcumque præſtantiora bona nobis indulta corrumpimus, niſi iiſdem prudenter utamur.

(1) Inertiſſima Juvenum quorumdam Vita.

(2) Inepta nonnullorum ſtudia.

Digitized by Google

mur. Ita gloriæ ſtudium, quo verè magnanimi jaculari debemus immortales honores, in ſuperbiam degeneravit: fervor iracundiæ, quo, veluti dexterâ, debet uti ratio mentis ad egregia opera perpetranda, in brevem furorem erupit: erga Parentes amor cultum peperit inanium Deorum, & Beli filius Ninus, dum Patrem colit, fuco pietatis induxit libidinem etiam poſt fata mortalibus imperandi. Quid plura? Studio Sapientiæ pretioſius nihil excogitari poteſt. At hoc ipſum non rarò vel iners otium, vel deſidioſus, niſi etiam pernicioſus, labor evadit. Sermonem non inſtituo de Scientiis noxiis: de conſortio perditarum Mentium, quæ a Cælo dejectæ ſunt: de inſanis erroribus, quibus inficitur integerrima Fides. De iis mihi ſermo eſt, qui, utcumque innocentium, literarum cupidi animum non excolunt exercitatione præclara, carpentes florem ætatis in iis ediſcendis, quæ non rarò ignoraſſe præſtaret.

(1) Mitto Grammaticos, quorum plurimi ſeſe coniiciunt ad angulos literarum, digladiantes de nomine Novercæ Anchemori, ac de annis Aceſtæ: Oratores illos prętereo, ex quibus etiam qui ſacra argumenta in Templis pertractant, ſæpe affluunt inanibus ornamentis, utque hominum criminibus nequiter, nedum otioſè, conniveant, eadem floſculis verberantes, in iis quærendis incredibilem faciunt jacturam temporis, dum ſupra Etruſcos Poetas, ac Mythiſtoricos annis plurimis impalleſcunt.

(2) Quid de ipſis Poetis loquar, qui, cum decori cuſtodes eſſe debeant, honeſtatis Magiſtri, publicæ fœlicitatis Duces, nunc omne ſtudium plerumque conferunt in Circæum illud poculum temperandum, quod nectare contactis labiis venenum propinat: Orphei, Muſæi, Lini veſtigia pauci inſiſtunt, quos ob argumentum divinarum rerum Theologos dixit antiquitas.

(3) An verò Philoſophi, & Sanctioris alumni Scientiæ nihil prodigunt temporis, quod breve nobis a natura donatum fuiſſe conqueruntur? Quin potius plurimi diſcordias verborum excitant ad inutiles controverſias dilapſi, ac ſolidis menſibus laborant, ut præpoſteris opinionibus imbuant auditores, quæ adhæreſcunt in Academiis, & fruticantur in dies: Recoquunt Democritos, & Empedocles vetuſtatis oblivione decoctos: In pleriſque Phyſicæ quæſtionibus omnino plumbei vix quicquam de illis ediſſerunt abditis rerum illuſtrium Cauſis, quas enumerat, quique illas noverunt, fœlices dicit ſapientiſſimus Vates. De homine, qui ſit, & nuſquam ſit, atque hujuſcemodi nugis, magnificentiſſimè diſputant. In quas porrò inſanias prolapſi ſunt, ut temporis jacturam abunde faciant, Seſquimathematici illi, qui noctes etiam hybernas ſub dio vigilant, dum Babiloniis aſtrorum numeris deprehendere ambiunt, qua quiſque fati neceſſitate ſit natus, qua victurus, qua moriturus?

(1) Nec Theologi omnes immunes reor hujuſce criminis, quo temporis prodigentiam ſuam naturæ crimini vertunt; quot enim magnam vitæ partem inſumunt in impugnandis aliorum ſententiis, cumque directo itinere progredi poſſent in regno Sapientiæ, perpetuò conſiſtunt, ut cum aliis congrediantur: nec propemodum dubitant verborum lites, ut inquit ille, finire parricidiis? Ab iis non doctrina, ſed rixa quæritur, aut docta demum diſcordia ſectarum opinioſiſſimè de veritate vaticinantium. Aut quæ ab aliis dicta ſunt, ſervili ingenio ſæpius, ſemperque pejus inculcant, ac redeunt ad elementa rurſus: cumque ingeri abunde auditoribus poſſint doctrinæ pabula, eamdem ſemper ingenii maciem in illis amant. Umbratiles has eruditorum larvas tempus omnino deficiet, quo veram Sapientiam nanciſcantur, cum illius ediſcendæ artem ignorent.

(2) Otio, ſtudiiſque inanibus amputatis, ut protrahenda eſt ætas præſidio Prudentiæ? Quoſdam Sapientia deterret veritos ne, ſi ad inveſtigandam veritatem contulerint ſe, tota ipſis vita ab officii cultu ſit ſevocanda: ne pro patria numquam arma capienda ſint: ne in literas abditi imitari Cancellarium Pariſienſem (3) Gulielmum Budæum eruditiſſimum virum, & ipſo nuptiarum die quinque omnino ſolidas horas vacare Muſis jubeantur. Convivium in promptu erat omni lautitiarum genere inſtructum: Aderant ex primaria nobilitate principes viri, & præclariſſimæ fæminæ: Sponſa ipſa omnibus dotibus illuſtris. Nuſquam interea gentium inventus Sponſus. Quid illi infortunii contigiſſe arbitramini? Latebat in Muſæo literis involutus, ac propemodum ignarus, an ad ſe gratulationes illæ pertinerent: Et perinde ac ſi animum compararet ad Cyprias, Rhodias, Sidonias, Alexandrinas, Panathenaicas cœnas, quas Solon, aliique Sapientes inſtituiſſe di-

(1) *Inutiles Grammaticorum, & quorumdam Oratorum conatus.*
(2) *Et noxii Poetarum aliquorum.*
(3) *Inanes Philoſophorum nonnullorum.*

(1) *Et quorumdam Theologorum.*
(2) *Non vetamus neceſſaria Vitæ Officia.*
(3) *Guilielmus Budæus Nuptiarum ſuarum die horas quinque ſtudio addixit.*

Digitized by Google

dicuntur ad ingenia juventutis exacuenda, in quibus Minervæ, Muſis, Gratiis diſcipuli operabantur: aut Sympoſia Delphica Platonis, qui aquam Deorum nectare diluebat: aut, Micitii Lacedæmonii verbo, Gymnaſium epulare frequentaturus eſſet, accubationem niſi poſt quinque horas addictas Sapientiæ petere recuſavit. Non ego hujuſcemodi horridum, & lucifugum literarum cultum Sapientibus præſcribo. (1) Sed ſi nulla prætereat dies, qua non addiſcas aliquid, & novi aliquid extundas: ſi otii modicus vegetum, & experrectum animum frequenter teneas in lucubrationibus Sapientiæ, vitæ ſpatia mirum in modum amplificabis.

Profectò illud præcipuè cauſæ ſubeſt, cur ſapientiæ ſtadium ingreſſis breve vitæ curriculum videatur, quia diſcendi Artem pauci compertam habent. Hanc ſi calleant, nulla otiosè pars temporis fluet ingenioſis viris, quorum ipſę delicię negotii plurimùm habent. Non ego quotidianum Urbis ſtudium, ſed, quod magis arduum videtur eſſe, Ruris intueor. Si recurrentibus identidem feriis ſolutiore animo ruſticari decreverint Mercuriales viri, ut illos juvat juſta per intervalla temporum aliquot horis quieti datis, poſt exoratum Numen, vel in cubiculo ſibi vacare, & Muſis, vel cum familiari conſortio eorum, quos ipſis Minerva, & Apollo conciliat, ſub platanis eruditis Platonis, vel ſub lauro Apollinari, vel ad fontem Blanduſiâ ſuaviorem, ſi gravioris illos doctrinæ oblectamenta deliniunt, ingenioſis quæſtionibus Saturnum Jove frangere, Auli Perſii verbo: Si verò ad amœniſſima potius Rhetorum ſpatia, quàm ad brevia, & ſyrtes Philoſophorum, illos indoles rapit, aut canere aliquid extempore, aut aliorum luſus percurrere, ac de iis judicare, quæ legerunt: unam demum rem, & ſemper urgere, at non eodem pacto ad Sapientiam niti. Hoc primum ergo ſtatuant eruditi viri, nullam ſine linea diem prætereundam eſſe, exemplo illius, qui æternitati pingebat.

(2) Accommodata præterea naturæ ſuæ unuſquiſque ſequatur inſtituta doctrinæ; neque enim Sapientiæ ſimplex eſt forma: & ſive unâ tantùm, ſive omnibus diſciplinis animus imbuatur. Cum inſtar Nili, qui ſeptem oſtiis in mare defertur aliquid cęni trahentibus aquis: aut Gangis multiplici vortice ferentis aurum, & margaritas: ita omniſcium, ut ita dicam, quorumdam ingenium immenſis quaſi doctrinæ fluxibus inundetur: aut uni tantùm facultati addictum placido feratur alveo, velut Amazonum flumen, quod uno tantùm, ſed immenſo & argenteo ſinu in mare devolvitur.

(1) Si egregii præterea evolvantur Auctores, nec recentiorum rivulos conſectemur, ſed veterum Sapientum fontes, ceſſabunt omnino querelæ de brevitate vitæ mortalium.

(2) Hoc cum plerique non præſtent, mirabilis primo intuitu quæſtio inſtitui poteſt, majuſne lucrum, an incommodum, ab Arte Typographica acceſſerit. Ea ſi ſapienter uſui ſit, magis facilem ad Sapientiam aditum pandit, quàm ſi plurima uniuſcujuſque vitæ luſtra fuiſſent adjecta; cum olim ſcribenda eſſent Opera incredibili labore, & plurimis deeſſent, nunc in unum flos omnis eruditionis ſit abunde collectus. At ſi eâdem abutamur, neque ſeligamus Auctores, eorum copia nos alliciet ad peſſimos evolvendos, qui olim ſubiici oculis nequaquam poterant, cum in iis ſcripto exarandis nullus oleum, & operam perdere conſueverat. Quot in præſentia inhiantes cęnoſis aquis leviſſimorum Scriptorum Naturæ inſultant, eò quòd brevem effinxerit, quam ipſi contrahunt, vitam? Illa quidem non privatæ tantùm ſingulorum doctrinæ, ſed & aliorum inſtitutioni ſupererit, ſi Prudentiæ beneficio augeatur.

(3) Præſertim verò ſi quamprimùm ſtatuatur argumentum Operum ſcribendorum, & conſultò legatur; tunc enim omnia in unum coaptantur, adhæreſcunt omnia, in ſuccum, & ſanguinem omnia rediguntur, multòque jucundius pabulum animo afferunt; cum enim animadvertimus cuinam uſui futura ſint, noſtro ſemper in ſolo verſari videmur: & perinde ac jucundior accidit Domino imago pulcherrimi ruris, quàm eadem Hoſpitis oculis blandiatur: ita ſuaviori ſenſu voluptatis ab iis, quæ legit, ille perfunditur, qui comperit, ſui juris illa fore, & in ſuum quodammodo viridarium, velut inſitiva poma, inſerenda eſſe. Qui verò ſcribendum nihil animo agitat, quæcumque legit, velut externa, quæque numquam ad ſe pertinebunt, amare vix poteſt.

(4) Si præterea nulli præclari legantur Auctores, quin pariter excerpantur: utque ope-

(1) *Nulla effluat dies, qua non addiſcamus aliquid.*

(2) *Naturæ ductum ſequamur in Doctrinis excolendis.*

(1) *Egregii evolvantur Authores.*

(2) *Niſi hoc fiat, noxia erit Ars Typographica.*

(3) *Citò ſtatuatur Argumentum Operum ſcribendorum.*

(4) *Excerpantur ſelectæ res.*

Digitized by Google

operis compendium fiat: Librarii præſto ſint, ex Plinii Senioris inſtituto, qui cum diſtrictus publicis Imperii curis eſſet, eoque Veſpaſianus Cæſar familiariſſimè uteretur, tamen percurrere potuit Auctores innumeros, ex quibus hauſit admirabilem Hiſtoriam rerum Naturæ.

(1) Si præterea producta in immenſum non ſcribantur Opera, quibus moles pretium detrahit, quæque Auctorem ipſum pariter, & Lectores interimunt; ſed operoſa Compendia: Si luxus omnis ſcientiæ inutilis amputetur; Si demum quicquid vitæ nobis natura donavit, nobis ipſis vacet: ſi nihil ſtudio voluptatis eripi, nihil ambitu patiamur excidere: ſi Vivendi Scientiam non ignoremus, quam omnium difficillimam Zeno Cordubenſis ingenioſè dixit: ſi cum volanti fuga temporis præterlabentis illud uſurpandi velocitate certemus, extendendæ mortalitatis artem edocebimur.

(2) Hoc ſi bene poſitum eſt, quid vobis iniqui eritis, Adoleſcentes egregii, vos enim propius attingit oratio mea, ut cupidum doctrinæ animum deſpondeatis? Veſtram ego alacritatem oris, & luminum dum intueor, in animis veſtris conſtitutum, certumque puto, conſuetam mortalium vitam brevem non eſſe amatoribus Sapientiæ. Per hanc ergo vos obteſtor ſciendi cupiditatum alacrem, & erectam, quam in animis veſtris inſeruit Deus, ſenem animum induite, ac inanibus querelis amputatis, in ſeculorum omnium immortalitatem Virtute traducite Vitam in anguſtum Naturæ neceſſitate contractam. In magnis, ac præſtantibus rebus, utcumque ſucceſſu fruſtretur, ſua magnanimum conatum excipit laus; adeoque licet invidiâ naturæ aſſecuturi minimè eſſetis ſtudiorum illuſtrium fructum, eorumdem tamen ipſamet exercitatio multò præclara eſſet. At profectò aſſequemini præſidio Prudentiæ: laboribus vires, viribus ingenium, ingenio doctrina non deerit, ut brevi contractis cum Sapientia ſponſalibus plurimas rerum Naturæ gratias habeatis, quòd ad illius cognitionem Vitam vobis indulſerit diuturnam.

Tom. IV.

(1) *Ne ſcribantur Opera immenſa.*
(2) *Paræneſis ad Studioſos Adoleſcentes.*

PROLUSIO VII.

Gloria, Jucunditate, ac Honeſtate, Sapientiam Dominationi præſtare.

COllectus unà Romanæ, ac exteræ flos nobilitatis, & indolis generoſæ, Eminentiſſimi Principes, (1) hoc præcipuè conſilio in Scholis florem ætatis extinguit, ut beneficio literarum in aliquam tandem veniat Sacræ Reipublicæ partem, in qua Infulis ornatam, & Purpura, eximiam Sapientiam intuetur, ac triplici Diademate coronatam. Idcirco ſi in hac Studiorum Repetitione ſolenni, ad ventilandas Sapientiæ flammas, quas ardere video in ore, atque oculis egregiæ Juventutis, oſtenderem, a literis adornari aditum ad Imperium, blandam currentibus alacritatem iniicerem ad eum finem aſſequendum, in quem ſponte ipſorum vota feruntur. Sed cum ex innumeris oppidò paucos legere, quibus Summos conferat Magiſtratus, integrum ſit Sapientiæ, quid hoc moliar dicendo, quod pleroſque inutili ſpe lactaret, vel nobili potius ſpectro illuderet? Si deberi ſaltem Regna Sapientibus, oratione conficerem, eoſque ad Imperium invitari a publica fœlicitate, qua laborat, niſi Sapientia dominetur, ſecuro, erectoque animo, ſuiſque promeritis, ac virtute exultantes in Sapientiæ Templum Adoleſcentes inducerem. Splendida hæc planè, ſed quæ pluribus videntur inania ſolatia virtutis, non raró meritis ſuis iraſci conſuetæ, quando illis coronam invidet injuria ſortis, aut avaritia naturæ. Quin potius ergo majus aliquid conatus ediſſeram jam nunc regnare Sapientes omnes, nedum ſpe ab illis præcipi, aut deberi eiſdem clavum Imperii? Coronam porrò, & ſceptrum ſapientibus aſſeram, ſi oſtendero Sapientiam ipſam Dominationi præſtare. Hoc evolvere expeditum nobis erit in ea Urbe, quæ Sapientiâ nititur ad Imperium, & in qua iidem ſolent eſſe literarum juxta, ac honorum gradu clariſſimi: (2) ut proinde Palladem cum Junone, Sapientiam cum Imperio committens, non ego dotes Principum omnes cum privatis eruditorum hominum dotibus conferam; ſed unius e ſapientium Principum prærogativis cum alia, quæ illos pariter exornat, certamen inſtituam.

L Sed

(1) *Deſiderium Potentiæ in illuſtribus Juvenibus.*
(2) *Statuemus præferendam Potentiæ Sapientiam.*

Digitized by Google

(1) Sed prius ſuo quaſi jure domina campi Sapientiam aggreditur Dominatio, quæ ſive Gloriâ, in qua præcipuum Utile bonum verti videtur Regibus, ſive Jucunditate, ſive ipſa demum Honeſtate rerum præſtantiam metiamur, principatum laudis vindicat ſibi. (2) Quantum enim, inquit, honorum decus in gentium Moderatoribus ſuſpicitur, cum humi plerumque jaceant inglorii antiſtites literarum? Illuſtrior ne in gloriæ theatro geſtus ſit, dum ætatem agitant, ab eruditis viris, quàm a potentiſſimis Regibus? Et utcumque beatior ingenii vena fluat inopi Sapientiæ, plerumque tamen iiſdem finibus nomen, quibus vita doctorum hominum, terminatur; cum Principum, Regumque famæ augurari liceat ventura ſecula ambitioſum plerumque obſequium deferentia nominibus, quæ proavis incuſſere terrorem. (3) Quod ſi erudita Gloria regali præſtaret, cauſa tamen re ipſa labefactatur a literarum patronis, qui Principes demereri ſatagunt degeneri cultu: excubant ad ſuperbas fores, donec magnatibus libeat evigilare: atq; ſæpe illi ſapientiſſimi cenſentur, qui effuſius aſſentando blandiri noverunt Arbitris rerum, & in cæteros mortales atrocius invehi? (4) Cur enim in gratiam Regum Juriſprudentibus non rarò Juſtitiæ nomen ingenioſum latrocinium eſt: venalem Oratores vocem habent: Hiſtorici, quam ſuſcepere, perſonam mentiti ſupra Vates audent quodcumque libet Mecænatibus ſuis: & vel ipſi poeticè hariolantur Philoſophi, atque innumeros ingenio deliranti fabricantur mundos Democriti aſſeclæ, ne finibus naturæ exiguis includatur Alexandri virtus immenſa? Cur, malum, vel ipſi judices honeſtatis, & conſcientiæ moderatores divinas propemodum leges diffingunt, ac ſecum pugnare quodammodo cogunt Oracula Divinitatis interpretes audaciſſimi, ut fræna laxent furiis Tyrannorum, quos cupidos vident, impunè, & Cælo indulgente, niſi etiam authore, peccandi? Cur ad hæc probra Doctrinam deiiciunt Regibus præhabendam? Quin, ſi illa præſtat Imperiis, contemnunt Reges, erectoque animo, ac vultu Potentiæ inſultant, ac ſua virtute involuti omnia regalis fortunæ munera poſthabent ingenioſo carmini, aut ſophiſmati hoſtem lepidè illaqueanti? At ſi Principum vires formidant, ſi eorumdem amorem quovis obſequio emunt, faſces ultro ſubmittant, profeſſi, principem gloriam, authoritatem, ac decus Principibus viris deberi? (1) Ac ſubmittunt planè, cum ipſi Palladii Reges ad torquendos in gymnaſiis Juvenes tyrannico dominatu ſua omnia ſtudia plerumque referant, & labores, adeoque vel umbratilem Principatum Doctrinæ præhabeant, atque imperatorio nomine mirificè capti, ſuperbi incedant, dum Regnum Apollinis, & Muſarum nuncupant Academias. Quod ſi honorum ſiti non excitatur illorum indoles jacens, pluris habendam putant dotem illam, quæ animis majori voluptate blanditur? Ut verò ſuavius in mentem influit, quod in alios exercetur Imperium, quàm improbum Studium, quo aliquis paginis eruditis impalleſcat?

(2) Ut blandius pertentat animos eſſe, quod Macedo, & Cæſar, laureâ decorati, ridentibus inſtar ſyderum oculis ardorem belli ſpirantes, & gloriam triumphorum, quàm eſſe, quod Arceſilas, & ærumnoſi Solones, obſtipo capite, & lumine defigentes terram, ut inquit ille? Quo gaudio diffluant eruditi viri, ſi Pallade Sapientiæ Dea fœcundus Jupiter uſque adeo capite laboravit, ut Vulcani ſecurim adoraverit, quæ vertici impacta ingratiſſimâ illum Sapientiâ exoneraret? Neque Divina tantùm, ſed & univerſi generis humani authoritate frangitur ſuperbia contumax literis incubantium. A Natura ipſa, atque adeo a ſemetipſo deſciſcit, quicumque in hac controverſia incertus animi pendet; quandoquidem neceſſaria inductione naturæ omnes uſque adeo objecta ſpecie Imperii commovemur, ut nullus omnino Mortalium in eam agi poſſit inſaniam, qua præferendum Dionyſio Siculis imperanti putet eumdem Dionyſium Athenis literatorem puerorum. Quod ſi actus intemperiis quiſquam pergat Imperio Literas anteferre, næ illi debetur ſceptrum virorum Mercurialium a Dionyſio in pueros uſurpatum. (3) Demum cum Arbitri populorum terreni cenſeantur Joves fulminibus formidandi, & aureâ pluviâ munifici, non honeſtate tantùm, ſed quadam mortali Divinitate ſupra Sapientes efferuntur Reges, ac toto profectò cælo decrrant illi, qui mancipia ipſa, & ſerpentem humi fæcem

(1) *Argumenta Potentiæ contra Sapientiam.*
(2) *Regum honor major, quàm Sapientum.*
(3) *Sapientes ipſi ſponte ſe Regibus ſubiiciunt.*
(4) *Adulatione ſæpe Sapientibus ipſis perniccioſa.*

(1) *Amant inanem imaginem Regni in ipſis Academiis.*
(2) *Unuſquiſque mallet eſſe, quod Cæſar, quàm quod Arceſilas.*
(3) *Reges videntur eſſe terrena Numina.*

Digitized by Google

fæcem mortalium , dummodo literis eruditam , Regibus anteponunt .

(1) Exultantem oratione Potentiam , & in primam gloriam præcipiti curſu ruentem excepiſtis:faciles nunc aures Sapientiæ cauſam oranti exhibete , Sapientiſſimi Viri . Triumphat adeo Dominatio, ut inſaniæ nota ſubeunda ſit auſæ in certamen deſcendere Sapientiæ ? Jus ergo eſt, non in mentis acumine , ſed armorum , ac terrorem incutit exercitibus armata Regum potentia ? Clypeo tot Principum Doctiſſimorum , quorum cauſa nunc agitur , non minus , quàm inopum Sapientum , ſeſe impugnatæ literæ tuebuntur . Sed antequam cauſam ingrediar , & in ſingulis inſiſtam , quæ perpetua oratione nobilis hoſtis effudit , eademque retorqueam arma , quibus perniciem Sapientibus creare arbitratur , videte , quid author ſim . (2) Non ego qualemcumque Doctrinam cuilibet antefero Dominatui , non Grammaticos Regibus , non literatos ultimæ notæ Principum auguſtiſſimis . Potentiam ſolummodo , & Regnum agricolarum ſuperet eruditio Dionyſii , ac cæterorum primis pueros literis imbuentium.Summam ajo Sapientiam Potentiæ ſummæ præhabendam . (3) Atque , ut rei caput aggrediar , enimverò quod conſtituit ſummum illud bonum , ad quod ab hominibus omnia referri debent, quodque Finis eſt , & extremum expetendarum rerum, vincit illa , quæ adhibentur ad finem hunc aſſequendum . Atqui Sapientia præſtantiſſimus eſt Finis , cujus adipiſcendi gratiâ , cum in eo ſita ſit Fœlicitas , omni ope niti debent mortales ; vis autem imperandi ſolùm conducat ad Finem, ac Fœlicitatem , ac tributa ſit a populo Principi , ut vigili cuſtodia , perpetuoque labore adeptioni Fœlicitatis publicæ famuletur ; (4) ideoque ſolùm magno ſit in pretio nobilis hic Famulatus , quòd facultas obſequendi innumeris mortalibus vaſtę mentis amplitudo videatur : utque Regnum dicitur obſequium exhibitum Divinitati , ita, quoniam honores prope divini habentur publicæ rei , cui famulatur Princeps , ſuperba hæc Servitus Regium nomen invenit .

(5) Hic mihi quiſquam majori gloria niti, & a publico mortalium cultu potiorem haberi Potentiam dicat? Pernego; ſi tamen ſolam vim imperandi intueamur in Principe ; nam ſi Sapiens idem , ac, præter Doctrinam multiplicem , aliis ſit ornamentis illuſtris , hæc in illo magis,quàm Imperii poteſtatem, ſubditæ gentes adorant. Quod ſi nulla Principi virtus , nullæ literæ ſint, non ipſum publica obſequia venerantur , ſed faſces , ſecurim , paludamentum , ſceptrum ; ſed conopæa , quæ ſedenti imminent : tormenta bellica , quæ prodeuntem ſalutant : quo vallatur , ſervorum exercitum . Si phaleris hiſce præſtitum obſequium adimas, minimum eſt, quod hujuſmodi Principibus exhibetur . At egregiæ literæ nativa virtute venerationem provocant . (1) Pannoſum , egentem , indecoro pulvere ſordidum , ac propemodum in cæno jacentem eximii nominis Philoſophum , aut etiam Vatem , omnes digito indicant , venerantur omnes , & eumdem alloqui ipſimet ambiunt Reges . Hunc ego pluris Vanliæo Sinarum Imperatore non faciam , qui uxoribus tantùm , ac ſemiviris obſeſſus in prætorio latebat , nunquam ſe in conſpectum populi dare dignatus, & ob immanem ſaginati corporis molem fortaſſe non poterat ? Sed num iniquè cauſam tuemur , qui pugnantem cum Sapientibus in arenam inducimus inertem Regem ? Heroum fulgor , & Principum certamen ſubeat , fulmen illud belli , (2) quo Perſæ primò , ac tota mox Aſia , & penè etiam Indorum extrema Regna conflagrarunt . Diogeni ſanè invidit dolium , ac ſordes : ac Vellem,dixit, eſſe Diogenes , niſi eſſem Alexander . Quod ſi triſtis , ac ſolivagus Philoſophus doliaris horrido illo vitæ genere diffidens ab omnibus , inque ſua domo ſui circumferens imaginem animi , (cui cum in gyrum rotari videretur Orbis terrarum,adeoque aut ipſum, aut reliquum omne genus humanum inſaniiſſe oporteret , illum ego potius crediderim vertigine circumactum) ſi tamen, quia cognitione plurimarum rerum popularis auræ rumuſculos collegerat , uno Alexandro minor Diogenes habitus fuit , profectò Plato , & Ariſtoteles Alexandri Magiſter , veluti Numina quædam humanæ Sapientiæ culti dum viverent , & excelſi nominis famâ ab interitu vindicati , ipſo Alexandro judice Regiam Pellæi Juvenis gloriam ſuperarent . Quod ſi lis penderet ſub Artaxerſe Rege Perſarum , (3) qui ſecum in ſolio conſidere Hippocratem juſſit, veluti , pluſquam Reges , arbitrum mortis ac vitæ , atque in throno devovente Soli divinos honores, Æſculapium alterum Apollinis filium propemo-

(1) *Sapientiæ Defenſionem ordimur .*
(2) *Non qualiſcumque , ſed ſumma Sapientia ſummæ Potentiæ præfertur .*
(3) *Sapientia eſt Finis homini ſtatutus a Natura, Potentia Medium.*
(4) *Rex eſt ſervus publicæ Fœlicitatis .*
(5) *Princeps Sapientiâ deſtitutus quo in pretio ſit .*

(1) *Cultus exhibitus Sapientibus .*
(2) *Ab ipſis Regibus , ut ab Alexandro .*
(3) *Ab Artaxerſe .*

Digitized by Google

pemodum Divinitate donari : (1) ſub Ægypti Regibus, qui Legatis, & claſſe Menandrum convenerunt, aſſerentes plurimùm ſe debere Comœdo Poetæ, qui vexatis a Tragœdia parcebat umbris regalibus: (2) ſub Dionyſio Siciliæ Principe, qui Platoni aurigam egit, ſuperbus, quòd tanti eſſet phoſphorus Solis, & officiosè profeſſus, tunc non adeſſe animum corpori, velut aurigam currui, contra doctrinam Platonis: (3) ſub Pompejo, qui fracto Mitridate illum Athenis Poſſidonio Philoſopho, quem domi inviſit, cultum exhibuit, quo Romanus Imperator Regem nullum dignatus eſſet, atque a ſe debellatam in ſtrenuiſſimo Principum poteſtatem Regalem Sapientiæ ad pedes abjecit: ſub Africæ domitore Scipione, qui ſimulachrum Ennii ſuo ſepulchro juſſit imponi, velut imperantem dominationi doctrinam, & Principes ab interitu revocantem: (4) ſub Trajano, qui Dionem ſophiſtam ſuæ glorię coæquatum, inque illo Sapientiam, victoriæ cauſam, triumphali ſecum duxit in curru: ſub Cæſare demum ipſo, quo nullus fortaſſe mortalium flagrantius amavit Imperium, ad quod per oppreſſæ Patriæ ruinas graſſatus eſt, principes honores non Regiæ poteſtati, ſed eximiæ Sapientiæ deferrentur; (5) cum enim Cæſari frequens eſſet de Cicerone ſermo, illum affirmabat, ut Plinii verbis utar, triumphis omnibus laudem adeptum eſſe majorem, quantò plus eſt, Ingenii Romani terminos in tantum promoviſſe, quàm Imperii. Quocirca ſi, qui in lycæis dominantur, conferantur cum illis, qui e populo Regum lectiſſimi ex omnibus omnino ſeculis ſeliguntur, nobilis de Dominatione triumphus ævum agenti Sapientiæ decernetur.

(6) Quod ſi, quæ magnos cineres coronat, gloriam ſpectemus, cum per Sapientum literas Regum Fama latè pertingat ad poſteros, adeoque ab aliis immortalitatem quærat, quam ſibi ipſis fabricantur eruditi viri, quorum æternitas ſunt ipſorum egregia Volumina, tantò ſecurius Principibus Docti funus evitant; quantò fœlicius eſt ſibi ipſis moliri, quàm ab aliis quærere vitam nominis immortalem. Neque imminet illis, quod Regibus, periculum ex magna fama, non raro majus, quàm ex mala: neque aliquid

(1) *Ab Ægypti Regibus.*
(2) *A Dionyſio.*
(3) *A Pompejo.*
(4) *A Trajano.*
(5) *A Cæſare.*
(6) *Poſthuma Gloria major Sapientum, quàm Regum.*

hìc gratiæ dari poteſt, veluti non raro arbitrantur poſteri, liberalius congeſtas in pravos Principes laudes, ut eorumdem regnantibus filiis hiſtoricus blandiatur: neque peſſimus interpres adeſt, qui proſpera Regum Miniſtris, & Exercitui, infauſta ipſis Regibus tribuat: neque innumeris demum, veluti fama Regum, ſubdita diſcriminibus eſt gloria Sapientum.

(1) At enim illam Sapientes ipſi dedecorant, cum adulentur Principibus: ex quo efficitur, doctrinam ultro poteſtati primas concedere, cui degeneri lenocinatur obſequio? Siccine paucorum dedecus, qui in Sapientum nomen iniquis artibus irrepſerunt, Doctrinam ipſam dehoneſtabit, ac nobiles aſſeclas Sapientiæ? (2) Procul ab iſtis aſſentatorum nomen ignobile. Inſtitutores illi ſunt, & oracula Principum, quos Naturæ, ac Divinitatis Interpretes latentes rerum edocent cauſas, & omnes decori leges, & honeſtatis: quos Rhetores veræ laudis ſolido lacte roborant ad egregia decora: (3) quos a ſcelere compeſcunt Vates, dum atroces diras armant in effrænes Dynaſtas, & ultrices Tyrannorum furias in ſcenam evocant, ac perſonatam majeſtatem traducunt in populi voluptatem. Quàm formidatus elapſi ſeculi Regibus fuit vir literis quidem eruditus, non tamen principum inundatus fontibus doctrinarum! (4) Illum Venetiæ prope regalibus tumidum indumentis, iiſque ferme in dies ſingulos immutatis, & immanibus gravem aureis torquibus intuebantur, Principum donis, qui tanti ſilentium emebant ab homine, cui vivere erat in Magnates ingenio ſævire. Circumfertur Epiſtolarum Liber, quibus ille Reges ætatis ſuæ omnes aggreditur: iiſdem nihil tale ſperantibus conſilia ingerit, dividit leges, ac minis propemodum non dona ab illis exigit, ſed vectigalia, quæ ultro ad illum deferebantur, ut parceret maledictis. (5) Quod ſi terror Europæ, ac temperantium Europam Principum fuit vir, cui turbulentius fluctuabat ingenium, abuſus qualicumque literatura, quo terrore percellet excelſa doctrina, & ex ore integerrimo volvens ſeſe plenior eloquentia, cujus commendationes, aut probra, pondus habitura ſint apud poſteros ſempiternum?

Quæ cum ita ſint, majori Principum corda metu concutiunt eruditi, quàm doctorum

homi-

(1) *Veri ſapientes Regibus non adulantur.*
(2) *Magiſtri ſunt Principum.*
(3) *Timentur a Principibus.*
(4) *Exemplum Petri Aretini.*
(5) *Perpetuæ Infamiæ metus incuſſus Regibus a Sapientibus.*

Digitized by Google

hominum Principes ipſi: Eo etiam nomine, quod,utcumque in immenſum producte ſpatium ſint Regum manus, ut proverbio circumfertur, latius tamen protenditur dextera Sapientis, qui cum ab infenſis Regibus tutè ſe poſſit aliorum in regna ſubducere, ubicumque gentium lacerare poteſt infenſorum ſibi Regum famam,non modò ultricem manum cum Sole diſpergens,ſed omnibus exhibens volvendis ſeculis vulnera inflicta fronti regali. Et dubitabimus, majus eſſe Sapientiæ, quàm Dominationis decus, authoritatis amplitudinem, honoris, & gloriæ?

(1) Tamen, egregia, inquis, nomina a Principatu venatur doctrina, & Regnum Palladis nuncupat Academias, innuens, illuſtriorem eſſe Solem Imperii, a quo tenuem ipſa delibat lucis uſuram. O picta, & inania tela, quæ, fractis Achillæis haſtis, in nos intorquent everſores Urbium, atque Regnorum! Petitis a Principatu ſuperbis utitur verbis Sapientia? Et præſtantiorum quæret e literis inſignia nominum Princeps, ſi rectè ab illo Regnorum habenæ torqueantur. Gymnaſium honeſtatis, nobilium Idea morum, mundi Magiſtra, dicetur Aula regnantium. Num verò dominationis umbra, & in pueros regnum eruditos allicit viros, ex quo manifeſtò liqueat, ſupra omnem diſputationis aleam præſtantiorem eſſe veri Regni fortunam? Gigantum enimverò frater, ac terræ partus aliquis hæc inaniſſima objecerit, nam cæteroqui conſtat, quæ demum cumque ſit hæc ſpecies imperii, quo Magiſtri temperant juvenes, natos aliquando ad imperandum ſupra omnes mortales, ingratiſſimum tamen illam eſſe literaturæ cenſum, &, niſi in gratiam Divinitatis, animis nobilibus non ferendum.

(2) Cæterùm quæ communia non habet cum Principatu Sapientia, jucundiſſima ſunt, cum vel ipſa Dominationis umbra ingenuos animos vexet. Si volantes circum laqueata curiæ tecta moleſtiſſimæ curæ, ſi vigiles metus, ſi, quibus ſubnecti diademata conqueruntur, fallentes intuitum ſpinæ, omnem vitæ ſuavitatem amputant, ut ipſorummet Principum querela eſt: ſi magnis fallax bonis fortuna Regnorum in excelſo quidem ſita eſt, ſed nimis dubio, ac præcipiti clivo: ſi ſceptra numquam facilem quietem, aut certum ſui diem tenuere: ſi alia ex aliis cura, ſemperque nova tempeſtas animi fatigat Reges, ut Seneca Magiſter Cæſarum luget: quis amabilem contra Sapientiæ ſpeciem dicendo exhibeat, quæ ſuis perpetuò alumnis blanditur, cujus in ſinum, veluti quietis, & otii portum, recipiunt ſeſe, ubi miſeriam expuere volunt, & amaras curas eluere? Si rerum ſingularium cogitationi perpetuò affigitur Princeps, res ipſas in univerſum Sapientia contemplatur; ideoque nullam illi, quam Dominationi ſolent afferre, aliorum mortalium multiplex, ac tortuoſum ingenium, moreſque difficiles, moleſtiam pariunt; neque enim cum ſingulis hominibus illi negotium verſatur, ſed cum Univerſali Natura,quam non ineptè Plato conſtituit in Lunæ regno, ideſt, ut ego quidem interpretor, ſupra turbines, ac tempeſtates perturbationum, quibus impervia eſt objecta cognitioni Sapientum rerum omnium Idea.

(1) Quid plura porrò dicendo perſequor? Quod ſuavius Sapientia, quàm Imperium, corda permulceat, ipſius eſt vox Naturæ, cujus inductione mirificè ad ſciendum rapimur omnes: vix aliqui ſemimortuis quibuſdam igniculis excitantur ad imperandum. Quin potius nullum ex animantibus eſſe arbitror, quod inſita quadam vi ad obſequendum aliis, ſicut homines, impellatur, quos moderatio quædam, ac publicæ ſtudium rei a Summo tributum Moderatore rerum, & intimis impreſſum ſenſibus, adegit, ut ipſi tantùm, & Apes ex omnibus animantibus, Duces, ac Reges eligerent, ac famulatum illis,& amorem ultro devoverent, quo ſponte vincunt obſequium cujuslibet muti gregis coacti paſtoribus obtemperare. Atque hoc fortaſſe nomine cæcus ille Vates, qui Naturæ oculus fuit, Agamemnonem, cujus ductu ruit ad excidium Græcia,dixit Populorum Paſtorem. Neque verò ſemel tantùm pedibus quodammodo iverunt omnes in hanc ſententiam, quò devoluta ad unum Dominatione corpus incolume Reipublicæ conſtaret univerſum, ſed naturæ tacito conciliatu inſtauratur quotidie arcanum hoc, & ſuaviſſimum fœdus membrorum cum capite; profectò enim niſi propenſio inſita ſponte omnes ferret ad uni obtemperandum, nulla ex adamante rigens catena compeſcere poſſet pluſquam centimanum hunc Briareum humani generis a quovis terreno Jove deficere molientem.

(2) Quamobrem ſi plerique hominum tacito quodam ſuaſu, & ingenua naturæ vi feruntur ad obſequendum, nullus omnino ſcire

(1) *Sapientes gloriam non venantur ab umbratili Dominationis imagine.*

(2) *Regum curæ moleſtiſſimæ, jucundiſſimæ Sapientum.*

(1) *Scire omnes optant, non omnes imperare.*

(2) *Falsò dictum fuit, quòd omnes vellent eſſe, quod Cæſar.*

Digitized by Google

fertur ad ignorandum: ſique innata quædam in omnibus exiſtit Scientiæ cupido : cur gratis ſumebat Imperium, ſi optio tribueretur mortalibus, Sapientiæ ab omnibus anteferendum ſe? Si tamen ultro Regibus daremus, ab inſipientis arbitrio Vulgi,quod in vetitum non rarò nititur etiam reluctante Natura, præoptandam Dominationem, hoc perinde obeſſet voluptati, quam indulgeri animis a Sapientia maximam propugnamus, ac Muſarum dignitati, quas conſenuiſſe Virgines fertur a nullo quæſitas, quia dotis immunes, officiat Helena, Aſiæ, Europæque deſiderium inſanum : ac Palladis merito obſit majus in Venerem ſtudium Aſtronomorum, qui denegatum Palladi locum inter Stellas, quæ Cælum cum Sole circumeunt, Veneri tribuerunt.

Num verò effrænata cupiditas ita mortalibus optimam invidit naturam, ut abnuam Judicem populum? Quin potius obſtringor hoſtibus, qui ad maximum conſpirantis multitudinis tribunal provocaverunt. (1) Ecquis memoriâ repetitur, qui oblatam ſibi Sapientiam recuſaverit? At plures exhibebimus Imperii Contemptores: Lepidum capacem, ſed aſpernantem, Germanicum Druſi filium, Virginium, alioſque Exercituum Duces ad Imperium Romanum a Militibus ſuis evehendos, niſi prohibuiſſent: Ludovicum Turingiæ Principem eo nomine Cæſareum diadema recuſantem, quòd non eſſet literis eruditus. Vel unum pariter in medium proferant, quem Sapientiam expertum ejuſdem tædium cœperit. Quot verò imperio aſſueti, & quæ Vulgus in Principatu ſomniat, fortunæ muneribus obruti, vera ejuſdem tormenta, & propinatum aureis in pateris fel Draconum exhorruerunt? (2) Non receptos ad Aras Reges, ac Principes humana pertæſos, quòd Cælum nobilibus votis jacularentur, ſed terræ infixas animas, Tiberium loquor, ac Diocletianum, ex quibus ille mori quotidie ſe literis ad Senatum datis conqueſtus eſt, eò quòd, licet Caprearum in portum procul ab Urbe receptus, quibuſdam tamen adhuc Imperii curis animo fluctuaret: hic verò triumphales manus exercuit ferendis in Dalmatia floribus, quos naſcituros Cæſaris nomine inſcriptos fruſtra ſperavit immanis Tyrannus. (3) Quamplurimi licet non digreſſi a ſolio, præ ſe tamen palam tulerunt, exuendam a ſe, ſi optio daretur, frontem regalibus ornamentis potius, quàm animum Sapientiâ: velut Alphonſus eo nomine primus Aragoniæ Rex, qui tunc pauperem evaſurum ſe dixit, quando Sapientia venalis eſſet, illam enim a ſe Regnis omnibus emendam: & Neapolis Rex Robertus, qui jurisjurandi religione cariturum ſe potius Regno, quàm literis, ſi hæ cum dominatione pugnarent, Franciſco Petrarchæ aſſerere conſueverat, cujus laurea ſuo diademate potior illi erat. Et Meno Saracenorum Princeps, qui Leonem Philoſophum a Michaele Imperatore quæſivit oblata Cæſari pace, & in quæ victor involare poterat, plurima Regna deſtituens, pretium Sapientiæ, qua ſe a Leone ditandum ſperabat. At Michael, utcumque bello fractus, & magna Imperii parte ſpoliandus, Indecorum fore, dixit, ſi, quibus partum, confirmatumque a Romanis fuerat Imperium, Literæ Barbaris indulgerentur, a Romana magnanimitate deficiens, quæ victis etiam populis Humanitatem, & Sapientiam ingeſſit. Ergo plures Imperii, nullum Sapientiæ pertæſum eſt, & plurimi, duce Sapientiſſimo Regum, permiſſa poteſtate alterutrius, Doctrinam Regnis antetulerunt. Uſque adeo ſuaviori, quàm Imperium, voluptate perfundit animos Sapientia.

(1) Nunc verò ad nodum ſolvendum in ſcenam machinis trahatur Jupiter exoſus Palladem, & flebilibus lamentis Vulcanum rogans, ut diducta ſecuris ictu cervice exoneret ſe ingratâ Sapientiæ Deâ. Amplectimur animo æquiſſimo latentem ſub illuſtri fabulæ ſipario veritatem. Ille ſolummodo non capitur ſuaviſſimo illicio Sapientiæ, quem lapideum effinxit natura, veluti Phidias Jovem, dignum, cujus in vertice Palladia tantùm noctua nidum ſtatuat. (2) Quid porrò reponent, ſi non ridiculum regem Deorum, quem Sapientiæ piguit, ſed verum Jovem, Optimum, ac Maximum Deum Imperii propemodum, (ut ita dicam) tædium cæpit, cum ipſum pœnituiſſe dicant Divinæ literæ, quod homines procreaſſet, in quos exercebat Imperium.

(3) Et magnum inſtar Numinum habere Principes perhibentur? Habent ſanè, ſi eos in officio continet Sapientia, & quocumque ratio juſſit, impellit, ac flectit: (4) ſi eoſdem docet, Cælum meritis petere, virtute

(1) *Multi recuſaverunt Imperium, Sapientiam nemo.*

(2) *Impii quoque Principes Imperii pertæſi.*

(3) *Principes, qui Sapientiam Potentiæ prætulerunt.*

(1) *Cur Jupiter exoſus Palladem.*

(2) *Deus O. M. Sapientiam ſemper, non ſemper Dominationem exercuit.*

(3) *An Principes ſimiles Divinitati.*

(4) *Tunc ſolum, quando Sapientes.*

Digitized by Google

tute adipiſci; hæc enim vera demum, & Chriſtiano Principe digna Sapientia eſt; nam ſi veſanis agitantur animi motibus, Circæam tunc virgam dixerim Sceptrum Regum, niſi Reges ipſos, non illos, in quos torquetur, cultu ſæpe, ac moribus efferaret: cujus exemplar infortunii Aſſyriorum Rex ipſos etiam aliquando præſetulit vultus ferarum, & terga. En quam Imperium aliquando Regibus divinitatem affingit. Quam videlicet Ægyptus olim in belluis adoravit. Hos ego Principes dixerim Deos, ſi tamen ament audire latrantes Anubes, aut ore divino mugientes Joves.

(1) Et quàm ſæpe tenebroſa hæc omnipotentiæ ſimilitudo, ut cum Auguſtino loquar, tranſverſos Principes agit! Prodigio eſt habitus Veſpaſianus, in quo Cæſare major, quàm in eodem privato, virtus effulſit. Quot verò Principum tumulo, quos Dominatio corrupit, illud elogium Galbæ poſſet inſcribi: Imperio digni, niſi imperaſſent. Aſſentatores, pronum imperantibus iter ad ſcelus, & vis impune peccandi, in omnes contumax regnantum animus, ipſi eos Divinitati rebellare docet: cumque ſui prius deberent eſſe Reges ediſcere, quàm ſuorum auderent eſſe populorum, a regali ſorte dejecti videntur ſibi, ſi ullis legibus parent, ſi formidant fulmina, & ultorem Deum.

(2) Facilius multò ſibi imperant Sapientes, qui Reipublicæ partem nullam attigerunt, quàm ejuſdem moderatores. Rarò ſibi animus obſtrepit, & divinæ legis contemptu a præſcripto rationis, adeoque a ſemetipſo, diſcrepat, ſi a Sapientia temperetur; neque enim literæ nihil cum Religione, nihil cum Sanctitate conjunctum habent; quin potius temperantiam cupiditatum in animo gignunt, eumdemque ſublimium cogitatione rerum cæno eximunt voluptatum, & earum ignobili excuſſa compede Cælo inferunt, & concilio Mentium beatiſſimarum, quas animi dotibus repræſentant. Præcipitem ab interitu Socratem, quaſi frænis adductis, ſuſtinuit Philoſophia: cumque non intimo ſolùm bello, ſed ipſis etiam Syderibus ſuorum criminum cauſam vulgus affingat, Deumque Cæli opificem arguat, ut homo ipſe ſit immunis culpæ, Sapiens dicitur Aſtris dominari. Jam ſi quiſpiam eſt, qui Potentiam anteferat Sapientiæ, ſumat id, licet, minimè repugnante me, dum viciſſim non neget, multò præclariorem eſſe in ſe ipſum, quàm in cæteros, uſum Imperii, Sapientibus conſuetum, in Regibus prodigioſum.

(1) Quamvis autem numquam Principibus, qui cæteros dominatu premunt, ipſa dominandi libido, cæteræq; perturbationes animi dominentur, illuſtriorem tamen Sapientia, quàm Imperium, in animo pingit imaginem Divinitatis; Parentem enim, ac Deo fæcundum Deum Sapientiæ gratiâ, non Omnipotentiæ, Sacræ Literæ dicunt; ideoq; cum Divinam Filii Hypoſtaſim intelligendo generet Pater, contemplando ſapienter, non imperando, vitalem quandam Divinitatis auram mortales hauriunt, & indolis divinæ colorem. Accedit eòdem, quod cum intelligendi munera ſemper exercuerint Divinitatem, quæ perpetuò contemplatur ipſius amore Sapientiæ, ſine cujus officiis nec fœlix, nec omnino Deus eſſet; Dominationem, quando, in quod imperaret, nihil erat, ante condita tempora non exercuit; ideoque majus habet cum Divinitate commercium, qui mentis intelligentiâ, & ſublimium cogitatione rerum ſimillimum ſe ſingit Sapientiæ, quàm qui dominando repræſentat Divini prærogativam Imperii.

(2) Jamque in iiſdem ferme, quibus primò inſtitimus, orationis veſtigiis peroramus; quandoquidem ſi mihi vobiſcum id convenit, præſtantius illud eſſe, in quo ſita ſit humana Fœlicitas, ac Divina, quàm quod adhibetur ſolummodo ad Fœlicitatem comparandam: cum poſitum præterea ſit Sapientiâ Fœlicitatem conſtitui, Dominationem fœlicitatis adeptioni ſervire: neque omnino requiri, cum Deus ipſe æternùm ſine ſubditis fœlix fuerit: illud relinquitur, Reginam eſſe, ac longè præſtare Imperio Sapientiam. Et niſi nos hora deficeret, eidem, ut Reginam decet, Opum, ac Potentię pręſtantiam vindicare poſſemus. Sed ut in præſentia faſtidio ſapientiſſimarum aurium occurramus, in conſequentem hoc differimus diem, quo doctos viros ditiores, ac potentiores Regibus exhibebimus.

Agite, Adoleſcentes egregii, veſtra bona exultanti animo cognoſcite, qui florem integerrimum ætatis in aſſidua bonarum Artium exercitatione conteritis. Procul a ſtrepitu negotiorum, & longius a forenſis ambitus ſeditione, in hoc erudito ſilentio ſceptrum adepti eſtis, & regnum. Sine trabeis, ac faſcibus imperat quicumque Sapientiæ

(1) *Plerumque ſimiles belluis.*

(2) *Facilius ſibi imperant Sapientes, quàm Reges.*

(1) *Illuſtriorem in animo Divinitatis Imaginem pingit Sapientia, quàm Potentia.*

(2) *Epilogus.*

tiæ quieſcit in ſinu, quæ gloriâ, jucunditate, neque honeſtate tantùm, ſed mortali quadam divinitate magis fortunat alumnos ſuos, quàm Imperium Reges. Quàm præclarè vobiſcum agitur, ſi tot ſaltem barbarorum Regum forti eiſdem multò fœliciores inſultatis. At ò beatiſſimos Principes, quos ſuis admovit uberibus Sapientia! Si Regum in ſubjectas gentes, Sapientiæ ſit imperium in ipſos Reges, tunc non illis tantùm blandiuntur fata; ſed cum a regnatricis fonte Sapientiæ populorum ſalus redundet, eoſdem non magis honorum dignitate, quàm ſuarum Virtutum majeſtate Sacroſanctos, veluti publicæ conditores Fœlicitatis, propemodum adoramus.

PROLUSIO VIII.

Ditiores, ac Potentiores Regibus eſſe Sapientes Viros.

DUm heſterna Oratione, (1) Viri Sapientiſſimi, ab amore ſuperbæ Dominationis ad ſtudium Sapientiæ traducerem egregios Adoleſcentes, quos nobiles Sacri Principatus imagines animus hìc hauriens a ſenſibus ad ſublimia docet curis illuſtribus anhelare, utcumque ingenii culpa deterreret argumentum, eluxit tamen naturæ vis efficax, in omnes diffuſa gentes, conſtans, immortalis, invicta, quæ nihil præſtantius judicat, nil magis homini expetendum animorum Reginâ Sapientiâ. Illam porrò Jucunditate pariter, ac prope Divina Honeſtate ſupra Regalem fortunam præſtare oſtendi; Utile verò bonum expendens, quoniam illud in Gloria præcipuè ſitum eſſe videtur viris magnanimis, quos videlicet alloquebar, ne profuſior in eam ſententiam excurrerem, in eo tantùm laboravi, ut Sapienti aſſererem Gloriæ Principatum. Sed cum in Opibus pariter, ac Potentia, verti bonum Utile conſtet, nunc, quo ſupra Reges affluunt Eruditi Viri, in medium ſtatuimus Divitiarum, Potentiæque ſplendorem. Illâ apud pleroſque mortalium infamiâ laborant profeſſi literas viri, qua enerves, ac nullarum virium, & umbratile ſtudium ſequuti, ac ferme probroſæ paupertatis rei accuſantur; adeo ut, præter cætera incommoda, hoc habeat Doctrina durius in ſe, quod & ridiculos illos facit: ac dum Proverbio circumfertur, ſteriles Heliconis lauros areſcere, ac pauperem, & nudam ire Philoſophiam, ſibilis propemodum exploſdatur Poetarum nomen, ac Philoſophorum.

(1) Date vos mihi in præſentia; non enim qualeſcumque Literatis viris, ſed Regalibus potiores gazas, & Potentiam affero, ut non modò, quod anticipatum Juvenes adverſus Studia literarum afferunt, in limine ſtatim ipſo deponant, ſed egregiæ ſpei, animique pleni regnum Palladis ingrediantur.

Quos a Principatu Gloriæ depulimus, hoſtes illuſtres, ne verbo premi videantur, ad alia interim digreſſi, ut victis ſolenne eſt, ab audacia patrocinium quærunt, & quaſi triumphum agerent, vociferati: (2) Innatet, inquiunt, doctrina liquidiſſimæ oceano voluptatis; ſuaviores enim profectò illi delicias adornat ægra paupertas, quàm Regibus gazæ Attalicæ; ut idcirco mirari deceat, quod frequentes intueamur ad Regias fores eruditos viros, qui ſua ſorte beatiſſimi, a Regnantum tamen munificentia præſidia vitæ mendicant:

(3) Sit ita planè; neq; enim abnuo, quamvis rari admodum ſint, iidemque vulgari plerumque literatura, non Sapientia nobiles ſingulari. (4) Quærant a Principibus Literati opes, inſtrumenta Fœlicitatis, dum Fœlicitatem ipſam ſitam in pulcherrimarum cognitione rerum, dum regnandi artem, dum honeſtatis leges, dum explicatum iter ad gloriam, dum ſui memoriam nominis immortalem mendicent Principes a Sapientibus. (5) Hanc nominis vitam illuſtrem quia plerique Principum deſperant, raris ideo Doctrina muneribus Regum ornatur: niſi potiùs quia ſuperbiſſimum præſeferentes contemptum gloriæ, quæ illis a Sapientum laudibus poſſet accedere, in ampliorem gloriam irruere ſe poſſe confidunt, perinde quaſi ſuæ tantùm virtutis excelſa indole, non innixi pennis eruditorum volare perpetuò debeant per ora virorum. Ne muneribus immortalitatem emere videantur, ineptam ſuperbiam adhibent ſordidæ avaritiæ velamen.

Sed illi ſuæ pecuniæ parcant, cum ſupra Reges Opibus affluant Sapientes, quod ita paucis ratiocinando conficio. (6) Si pauperem dixit indigentia rerum, non ego majori paupertate confectum dixerim illum, qui pluribus indiget? At quàm paucis indiget Sapiens, qui tenui ſub lare innoxiam æta-

(1) *Argumentum præcedentis Paradoxi.*

(1) *Propoſitum hujus.*
(2) *Quæ obiici Sapientibus conſueverunt, præſertim Paupertas.*
(3) *Cur Literati adſint Divitum januis.*
(4) *Quid a Sapientibus Reges inquirant.*
(5) *Cur Principum aliqui contemnant Sapientes.*
(6) *Pluribus indigent Reges, quàm Sapientes.*

Digitized by Google

ætatem agitat, & fræno compeſcens cupiditatem immodicam novit pauca eſſe, quæ cupit: pauciſſima, quibus eget vita mortalium, ac neceſſariis idcirco plerumque abundat deficientis naturæ præſidiis? Principum verò indigentiam verbis amplecti quis poſſit? Quot illi Exercitibus, quot famulorum gregibus, quot Adminiſtris Dominationis, qui plerumque imperant ipſis Regibus, quot indigent ad regiam fortunam ferendam theſauris, adeout immenſas inter opes, & annuis aliquando ducenties centenorum millium aureorum reditibus onerati, pauperrimi tamen habeantur, & ſint? (1) Neque ullius magis ope, quàm ipſorum Sapientum, indigent Principes, quibus conditas opportunè leges, Populum officii memorem, obſequii tenacem, exterorum commercia, nobilium ſplendorem artium, Picturæ, Architecturæ, Nauticæ, Medicinæ, quæ a literarum Scientia proficiſcuntur, cognitionem Sacrorum, ac temperantis regna Divinitatis, aliaque innumera debent ornamenta Pacis: velut etiam firmiſſima præſidia Belli, machinas ad hoſtium vim propulſandam, aut conterendam, Sedem regionum, ſitus ad pugnandum opportunitatem, aptum temporis uſum, nunc pellucidi, nunc pluvii, nunc ventis concitati, Sapientum, ac fortiſſimorum Ducum exempla, efficacem ad milites Imperatorum Parænesim, hoſtilis linguæ, & cæcarum, quibus in bellicis præſertim Epiſtolis uſus eſt, notarum peritiam, latentium denique aquarum, aliorumque, quorum cognitio victoriam non rarò parit, Secretorum Naturæ ſcientiam, qua uſi non ſemel Pompejus, ac Cæſar, feruntur, aliique eruditione nobiles, & ideo bellis invicti Duces. (2) Tantum porrò Sapientes luminis, & præſidii Regnis afferunt, ut non modò illorum conſiliis indigeant Principes; ſed etiam vetus ſit, nec ſine plauſu plurimorum excepta ſententia, quod ipſamet eximia regnandi Scientia univerſam propemodum exigat, & neceſſariò amplectatur literarum Encyclopædiam: Hiſtoriam, ut evoluta tempora doceant Principes providentiam futurorum, cum *Secula & perſonæ intereant*, ut inquit ille, *Facta & exempla recurrant*: Oratoriam, ut ad omnem laudem populos dicendo compellant Reges: Politicam, cæteramque Morum doctrinam, ut iidem ſapienter a Principibus temperentur: conditarum a Pontificibus, ac Cæſaribus Legum, ut vel receptis inhæreant, vel alias ipſi ſtatuant tempori, ac ſubditorum ingenio congruentes: rerum Naturæ, quam dominatu premunt, ne ſua bona non norint, ac Divinitatis ſcientiam, ut ab illa vires petant, & exempla regnandi. Si hoc urgerem in præſens, palam profectò fieret, non modò primas a Dominatione literis deferendas; ſed etiam pateret, hoc in controverſiam omnino vocari non poſſe; ipſa enim imperandi ars eſſet eximia complexio Doctrinarum. Quis porrò negaret, Imperatoriam Scientiam, atque ad regnandum Animi vires præſtare Poteſtati externæ brutis etiam Sylvarum, atque Aeris Regibus conceſſæ, qua impares robore adiguntur ad ſervitutem.

Non ego per hanc, quæ ſalebroſa pluribus videretur, ſemitam orationis incedo. Utcumque Fœlicitati publicæ deſervire poſſint, & egregiam calleant regnandi artem Arbitri populorum, dum inſitam habeant a natura ſummam in rebus agendis Prudentiam, quamvis multiplicis Doctrinæ præſidio deſtituti, ſi tamen conſilio Sapientum utantur in Moribus populi, Legibuſque ſciſcendis. Certi ſint cæteroqui fines, intra quos rerum Domini continere ſe poſſint: utque olim in cælo lineam quaſi manu duxit, qua Regna ſcinderet Maximus Sacrorum Antiſtes, ita nunc Imperio, ac Sapientiæ limites ſtatuantur, ne liberè in alterius alterum Regna tranſiliant. Hoc tamen conſtet, cum omnium artium, quæ ad rectè vivendi normam pertinent, ratio & diſciplina ſtudio Sapientiæ contineatur, ſuæ, vel alienæ præſidio Sapientiæ Principes indigere.

(1) Neque verò eo ſolùm nomine, quod pluribus indigeant, pauperiores Sapientibus dixerim Reges, ſed etiam quia, ſi eiſdem literæ nullæ ſint, quam dominatu premunt, Naturam rerum ignorant: neque dives cenſendus eſt, qui ſua bona non novit. At ſpecies innumerabilium læta rerum, Regna, Elementa, Sydera in ditiſſimo vivunt animo Sapientis, qui proinde fœlicius inerudito Principe dominatur in naturam. Quis ibit inficias, ut appoſito utar exemplo, regalis horti deliciis ditari magis Sapientem virum, qui ejuſdem omnia ſpatia percurrens aſſequitur animo impervias cæteris rerum cauſas: unde ab oceano fontes ad lactandas Viridarii plantas proficiſcantur: unde viriditas, ubertaſque nemorum, & nectare fœcundantes terram Zephyrorum alæ: qua vi tellus induat herbarum ſyrma: qui cæli riſus

(1) *Præſertim indigent Sapientibus ipſis.*

(2) *Encyclopædia neceſſaria in Principe, vel in Sapientibus ipſius Moderatoribus.*

(1) *Sua bona plerumque Principes ignorant.*

riſus floribus pingat areolas . Tum poſita ante oculos prætervolans celeritate mirabili ex illis, quæ perambulat , gradum infert in Alcinoi , atque Heſperidum , & in ipſa Cæleſtium viridaria deliciarum : quis , inquam, inficiabitur hunc re ipſa divitem magis affluere Horti deliciis , quàm Principem , qui dominus adoratur a Villico , ſed amœniſſimum Floræ regnum eodem ferme ſtolido lumine intuetur, quo marmorea , ac myrtea ſimulachra deſpiciunt ?

(1) Porrò cum inſtrumentum Potentiæ ſint Opes eximiæ , aliud ex alio ferens, quem ditiorem Regibus Sapientem oſtendi, potentiorem exhibeo . Regalis Potentia in ipſorum præcipuè Regum , & aliorum vita temperanda , ac Fortunæ rota pro innumeris mortalibus arbitratu ſuo agitanda , & Naturæ demum ipſius legibus evertendis, præcipuè triumphat . Inque his omnibus dotibus de regali palmam refert Potentia Sapientum . (2) Ac primò quidem ſui ipſius arbitrium minimum Princeps habet, quem omnia poſſe populus arbitratur ; at ille horas prope ſingulas, & omne genus officii , atque humanitatis , publicis neceſſariò curis addictum habet. Honores ſi pro libito amicis indulget , ſui venatur infortunium , & Regni ; ut fatum edocuit Cæſarum plurimorum , ac Regum ſuâ ruinâ Amicos , & illis creditam Rempublicam involventium . At ſi publicæ conſulit rei, eorum illos congerere in ſinum debet,qui omnium maximè promerentur , & idcirco inquirendi onus incumbit Regibus , non eligendi facultas . (3) Num verò illis , qui mortalium omnium Arbitri nuncupantur , ſubditur Sapientia ? Dicant gentium Conditores , ac Legum , qui præſtantis opinione doctrinæ vetera diffingere , ac recentia , eaque aſperrima , condere jura potuerunt . Ut illos omittam , quibus aliquis fuit ſenſus humanitatis , Minoem Cretenſium , Solonem Athenienſium, Zoroaſtrem Perſarum, Chartaginienſium Charondam, quas Draco ipſis ante Solonem Athenienſibus , quas Licurgus leges impoſuit Lacedæmoniis,quàm ferreas , Deus immortalis , quàm cum hominum natura pugnantes ! Subvertit ergo Sapientia conſuetudinem , cui ſervire cogitur Princeps . In ſuæ verò muneribus vitæ tanta Sapienti eſt uſura libertatis , ut vetuſto adagio circumferatur , *Solus Sapiens liber .*

(1) *Quæ ſit Regum Potentia .*
(2) *Quàm minimum ſui arbitrium habeant Principes .*
(3) *Potentia Sapientum , præſertim fulgens in Legumlatoribus .*

(1) Sed Stoica prætermittamus . Quid tandem , rogo , moliri Principes valent , quo plura nequeant extundere Sapientes? In quibuſdam ad ſummum faſtigium evehendis , aliis ad humum allidendis , vis Regum maximè elucet ? At quantò præſtantiorem effingere Sapientes valent hominum Sortem , quorum temperando mores illos edocent Cælum meritis petere , eoſdemque jam nunc laudibus Cælo inſerunt ? (2) In effero præſertim Martis ludo innumeros tollendo e medio mortales , rapiendo Urbes , & Regna , vis Regum maximè exultat ? At copiâ militum , non ſua virtute nititur . Verùm in unius non rarò Doctrina Viri major, quàm in integro Exercitu , ſplendet virtus. Hinc ab Alexandri impetu Lampſacum Anaximenes propugnavit : hinc diu inanes Marcelli conatus in Syracuſas ob Sapientiam Archimedis : hinc plures ab eloquentia Cineæ , quàm Pyrrhi armis , additæ Urbes Epirotarum Imperio : hinc novus Sapientiâ repertus Orbis , & illæ , quas in immenſum protendi poſt Oceanum Atlanticum terras , Columbum edocuit Scientia literarum ,

Naturæ propemodum ſubruendo leges triumphat Poteſtas Regum , dum contabulata claſſibus ſternendo Maria Oceano inſultant , eumdemque in apertos impellendo Montes non ſine terrarum querelis amplificant ? (3) At quantò fœlicius in Naturam Sapientia dominatur reperto artificio , quo in altos montes impellit flumina : in Oceano fremente ſtatuit propugnacula : a pueris fragmen ingens montis evehi jubet prodigioſa vi rotæ multiplicis : ligneis volatum Columbis , Simulachris vocem impertit ! Hinc in Montem eniti coactus Tagus non a Jannelli Turriani tantùm , ſed & Caroli Quinti Cæſaris ingenio , qui magnanimus Deſertor Imperii , & a ſtudio Sapientiæ mirum in modum allectus , excelſis auſpiciis , atque auguſto ſuffragio noſtram cauſam tuetur ,

(4) Quamvis Imperio Romano , atque aureis Hiſpaniarum Regnis non ſatis dives Dominatio regalis , quaſi mente præciperet , oriturum Carolum Alexandro majorem , Herculeis finibus inſultaſſet , atque alterius incremento Mundi ſuperba ad illius pedes procumberet , & Principis , cujus in gra-

(1) *Majorem conferre Gloriam poſſint Sapientes , quàm Principes .*
(2) *Major in Sapientia vis , quàm in Exercitibus .*
(3) *Naturæ Leges evertit Sapientia .*
(4) *Carolus Quintus potentior exercendo Sapientiam poſt depoſitum Imperium .*

Digitized by Google

gratiam rerum Naturam amplificaverat, amores laceſſeret, flectere non potuit mentem, quam Cæli præſertim amor, ac præterea oblectamenta Sapientiæ ad ſolitudinem invitabant. *Et mirabatur Orbis terrarum Carolum in* D. Juſti Cænobio *ex tanto Dominatore jam nullum?* Si dedignatus hominibus imperare ipſius Naturæ, leges evertere cæpit ſtudio Sapientiæ, nullum tunc fuiſſe Imperatorem Carolum dixeris? Quàm prudenti conſilio impulit ille flumina in altos montes, ut perpetuò in ſuis Regnis extaret egregium Inſigne animi ſui, qui a curis mortalibus curſum erexerat ad cæleſtes!

(1) Neque tantùm in leges Naturæ, ſed & in ipſos etiam potentiſſimos Reges non rarò Sapientes nanciſcuntur Imperium, idcirco hoc etiam nomine potentiores. Pulchrè Diogenes vænum expoſitus, cum ab eo quæreretur, quam Artem calleret: *Emptori*, inquit, *meo imperandi*. Enimvero, quod ille ſuperbè profeſſus eſt, prudenti moderatione re ipſa plurimi Sapientum aſſequuntur, dum in omnem obſequii ſpeciem compoſiti, facultate ſuaviſſimæ dictionis uberes, & ſententiis ad Regnum temperandum egregiis abundantes, ſæpius ad colloquium adhibiti, dum ex omni flore politioris elegantiæ delibant illa, quæ Principes allicere maximè poſſint, ac tenere, Regum amore potiuntur, & quæcumque habent in votis, ad illa pronos animos eorumdem impellunt: cumque famulos ſe dicant, qui ſolummodo facem præferant, conſulendo imperant, neque Reges dici, ſed eſſe amant, æmulati veterem Populi Romani conſuetudinem, qui *babuit inſtrumenta ſervitutis & Reges*.

(2) Utcumque tamen illuſtre ſit, quod in Reges, multò præclariſſimum eſt, quo in nos ipſos potimur, Imperium, quod maximè arduum eſt Regibus; carentes enim luce doctrinæ Principes plerumque hæreditariæ ſtultitiæ calamitatibus involvuntur; cum ſecus ſibi plerumque imperent Sapientes, ut enim inquit Cicero, *Cultura animi Sapientia eſt, quæ extrahit vitia radicitus, & præparat mentem ad ſatus accipiendos, qui adulti fructus uberrimos ferant*.

(3) Quæ ſuper Sapientiæ in Opibus, ac Potentia Principatu diſſerui, vobis, Adoleſcentes egregii, jam nunc ex ipſis anni carceribus oſtendunt quò veſtrorum curſus eſſe debeat animorum. Quamvis multa paſſim in ore, atque oculis veſtris intuear elementa legis inſita quadam vi ad Sapientiam impellentis, ejus tamen ſtudio vos ardentius inflammandos putavi, ſi Dominationi præhabendam Doctrinam demonſtrarem. Enimverò ſi ad excitandum ardorem ſciendi ſæpe Literas Armis antetulerunt diſertiſſimi viri, blandius ad aures hominum influet, & validius illorum curas exacuet aſſertus Sapientiæ de Regali Dominatione principatus. Cum enim armis utamur ad comparandum Imperium, ſi amorem laceſſunt Literæ, quia præſtant Armis, quantò efficacius provocabunt amorem, ſi quæſito Armis Imperio Literæ præferuntur? Cumque procul a regali ſorte ſint bellorum incommoda, atque Gloria, Jucunditate, ac Divina propemodum Honeſtate ipſi bello anteferatur Imperium, cui præſtat Imperio Sapientia, niſi nobis iniqui ſimus, audiemus vocem naturæ ad Sapientiam provocantis. Quoniam verò quæ ſenſum unius impellunt, non vellicant omnium, ſi ad bellicæ potius, quàm eruditæ gloriæ ſtudium quorumdam indoles eruditur ardentius, auctor illis accedo, ne ad has diſciplinas tamquam tempeſtate delati, ad illas, velut echini, atque oſtrea ad ſcopulos, adhæreſcant, affixi ſcamnis Palladiis in ſuum infortunium, ac dedecus, & tormentum Magiſtrorum; quin potius, cum umbratile illis videatur Imperium Sapientiæ, atque malint armis, quàm ingenio, Regna conquirere, vela per oceanum ſolvant, ſibique, ac poſteris condant tantopere celebratum Mithiſtoricis Luciani aſſeclis Utopiæ, aut Atlantidum Inſularum Imperium.

(1) *Sapiens imperat ipſis Regibus.*

(2) *Et ſibi ipſi, quod rarò præſtant Principes.*

(3) *Parænesis.*

PROLUSIO IX.

Philoſophandum eſſe Poeticè, ut verè, ac optimè, philoſophemur.

Quicumque (1) Sapientiæ Sectatores pro Veritate certamus, non minores turbas movemus pro hac Helena ingeniorum, quàm olim centum conſpirantibus Regibus Menelaus, ac Paris, laborantes in una Lædæ filia pugnaverint, eo incendio belli Græcorum caſtris, & urbi Trojanæ admoto, quod Aſiam ferme omnem, atque Europam involvit. At omnes Veritatem depereuntes ut varias aggredimur artes belli, quibus illam hoſtibus ademptam nobis vindicemus! Ut diverſum in illa colorem, & habitum vultus amamus! Ut illius regale paludamentum nunc vittis innu-

(1) *Varium Philoſophantium Ingenium.*

Digitized by Google

innmeris variegamus , Naturam ingenti vi rerum fugientium obtutum onerantes : nunc avari judices ornamenta omnia Mundo invidemus , quæcumque in oculos non incurrunt , & Veritatem candido, ſed brevi, ac membra exprimente palliolo cooperimus! Sunt, qui, ut Veritate potiantur, expedito ingrediuntur itinere, ſed hoſtium incurſionibus pervio, brevitatem in quæſtionibus amantes fœcundam diuturnis concertationibus. Aliis arridet flexuoſus callis , ac longus , ſed vineis protectus, ac pluteis, ſuas Diſputationes producentibus, ut contra omnes hoſtium impetus , ac cæcos dolos erigant munimenta. Artem ego Zeuſidis Eracleotæ in Alcmena Herculis matre pingenda Philoſophis indico, Palladiæ hujus Helenæ, hoc eſt Veritatis, vultum colorantibus; (1) ut enim pictor ille ex Virginibus Crotoniatibus pulchritudinis flores excerpſit, quibus tabulam ſuam animaret: ſic ex rebus quibuſque pulcherrimas Philoſophus eligat, ut appoſitè coloret vultum, veſteſque Veritatis; neque aberrare procul a vero pertimeſcat, ſi profuſas Naturæ opes admiretur, ſtatuatque, Mundum eſſe numeris omnibus abſolutum , & undecumque pulcherrimum . Quocirca excellentiſſima quæque libet ex omnibus, & ipſam Poetarum vincat audaciam nobiliſſima omnia conſectantium, ut ex Fabularum exemplo transferat Veritatem in imaginem Naturæ, quam pingit. (2) Leve hoc dictum videri poſſit, ac Poetâ dignum, non Philoſopho? At ego idcirco auctor accedo, Philoſophiam omnium optimam, ac veriſſimam eſſe, quæ Poetica videatur , ne levis dicti Veritas elevetur : argumento , ut arbitror, non infaceto, noſtro certè inſtituto ſummopere congruenti ; cum enim ex Academia in Roſtra compulſi fuerimus allaturi Philoſophicis Diſputationibus Rhetorum Proluſionem, placuit fœdus inire has inter nobiliſſimas diſciplinas, viamque aperire Palladiis militibus Veritatis Helenam bello quærentibus, quam numquam adipiſcentur, ſi Martiis Achillis, & Agamemnonis veſtigiis inſiſtant; at ſi Homerum carminibus Helenam colorantem cæcum Ducem ſequuti Poeticè philoſophentur.

(3) At enim pugnantia dicere videor, qui Veritatis indagatricem Scientiam inhærere jubeo veſtigiis Poeticæ , cui fabulæ ſunt in deliciis ? Hæc ſolùm veroſimilia conſectatur, & magis amat mendacii larvam bellè referentem proprios rerum colores, quàm ipſum rei vultum ingenuo radio. Quin etiam quò magis decipit, eò fœlicius triumphat, utpote Regina facultatum imitatione Naturam æmulantium;quarum quæ pluribus artibus dolos nectit, palmam refert; eoque nomine Statuariam vincit Pictura, vitam rebus producens, quas tantùm coloribus, non autem profundo corpore adumbrat.

(1) Poeticè tamen philoſophetur quicumque amat aſſequi Veritatem, & Fabulæ molitricem ſequatur Sacerdos candidæ Veritatis. Poeticæ imitationis præſtantiſſima eſt laus nobiliſſima quævis effingere fabulam innodando? Poetica Imitatio pulchritudinem ſequitur ſitam in admirabilitate, quæ, quò major eſt, majorem quoque Poeticæ leporem conciliat? At ultra fabulas progrediatur vivida mens Philoſophorum, & cælum, & ſumma omnia ſapientiâ petat, cum Herois geſta non deſcribat, qui, ut ſupra reliquos mortales aſſurgat, aliquando ſubeſt mortalitatis incommodis; ſed ipſius Dei opus contempletur , quod ab optimi Artificis præſtantia evincitur eſſe pulcherrimum. Cur igitur ut audaces culpentur Philoſophi eximia quævis excogitantes, dum partum Divinæ manus, & opus Regis deſcribunt Achille quovis, & Ænea præſtantioris? (2) Cur non ſolùm optimum eſſe ſtatuat habitum uniuſcujuſque rei, ſed etiam unam alteri bellè reſpondentem effingat, ita ut omnes invicem innexæ pulcherrimi Poematis imaginem referant, in quo ſingula fœliciter enodantur? Ne, ſi opes Naturæ, ac Mundi pulchritudinem atterant, licet aliquis ordo ex rebus inſurgat, deteriorem tamen Comœdiæ imitationem ſequantur, vulgi mores delineantis, adeoque Naturæ Conditorem Terentiano Chremeti, & Ariſtophanis Philocleoni ſupparem faciant: aut ſi grandia quædam aperiant , & pueris ingerentia mirabilem ſpeciem ſui, at animos torqueant eruditos aggeſta prodigiorum Iliade improſperè ſeſe invicem excipientium, & Mythiſtoricorum Amadigii geſta narrantium deliria conſectentur.

(3) Hæc rerum portenta nullo ductu, ac ſerie innodata condemnat Ariſtoteles Philoſophorum Princeps ſuis præſcribens , ut optimi Poematis legibus inſiſtant, dum Cauſas indagant, quia *Natura non eſt incon-*

(1) *Expedit imitari Zeuſin in pingenda rerum natura.*

(2) *Propoſitum hujus Proluſionis.*

(3) *Num Poeſis pugnet cum Philoſophia?*

(1) *Præſtantiſſima quævis excogitanda a Philoſopho magis, quàm a Poeta.*

(2) *Perfectionem, & Ordinem rerum indagat verus Philoſophus.*

(3) *Ariſtoteles nobis aſtipulatur.*

Digitized by Google

connexa, ſicut vitioſa Tragœdia. Ex quo patet, Stagyritæ imperio Poeticè philoſophandum eſſe, pulchra, & mira aperiendo, ac optimè agmen ducentia, ut ex iis, quæ dicere occupavimus, alia meritò debeant oriri: perinde ac præſtantiſſimi Vates Tragœdiam adornantes Ideam optimi colorant, & fœliciſſimè ſolvunt implexam rei converſionem, quæ blando tormento lectorum corda ſuſpenderat. Nec ſemel rerum ductum componit Ariſtoteles cum Numeris, & Carminibus, quaſi Mundus eſſet Dædaleum Poema Divinitatis, uti Poemata videntur alii rerum curſus a Poetarum ingenio Numinis æmulo procreati. Et ex hoc fonte non rarò educit argumenta: (1) *Pulcherrima debet eſſe*, inquiens, *rerum Natura*, *ſcilicet admirabilitatis mater*. Hoc autem eſt ratiocinari poeticè, cum hæc facultas triumphet, quando pulcherrima omnia effingit audacius. Ita certè Stagyrita evincit unius tantùm Imperio Principis temperari hanc rerum Univerſitatem coronam imponens duodecimo Metaphyſicæ Libro Poetica argumentatione, qua fœcundam Numinibus debellat inſaniam Poetarum Ethnicorum.

(2) Non alia tentanda via eſt educendæ ex puteo Veritatis, in qua illam latere non immeritò Democritus querebatur, quàm ut optima quæque ab omnibus delibantes eum Naturæ vultum coloremus, quo pulchrior excogitari non poſſit, atque ita rerum ordinem ſtatuamus, ut fœlicius ullæ diſſolvi nequeant: quemadmodum Vates & ardua quævis effingunt, & fœliciſſimè ſolvunt, quæ ingenioſius innodarunt. Mathematici quidem dum ſupra lineas, & centrum eriguntur, ac Mundi Syſtema, excentricos, epicyclos, & alia ſexcenta ſtatuunt in rerum Univerſitate, hoc unico argumento, velut Achillis haſtâ, robur addunt ſuis commentis. *Sic omnia fœliciter enodantur, & ſecundiſſimo curſu procedunt*; adeoque & ipſi poeticè ratiocinantur. Hoc tramite Philoſophus ingrediatur, & Veritatem ſuis quaſi veſtigiis odorabitur, ſi cum Poetica, & Matheſi optima excogitet, largus Naturæ opum admirator.

(3) Maligno circumfertur adagio: cum de rebus mortalium incertus animi pendes, mala eſſe ſtatuas, & rectâ in verum collineabis. Contra igitur optima effingas, cum quæſtionem agitas de operibus Divinitatis, ac divinabis. Quocirca Philoſophorum eſt admirationem parere pulcherrimarum Inventione rerum magis, quàm Poetarum, qui ſi prodigiis onerent ſuos Heroes, veris etiam laudibus adiment fidem.

(1) Cum diſerta Pictura Poetica ſit, inquit Ariſtoteles, ſunt qui Fabulam animo complexi conſuetos hominum mores delineant, ut Dionyſius Pictor, in cujus tabulis vera hominum ſpirare facies videbatur: nonnulli verò perſonis, quas in ſcenam inducunt, deteriores vultus appingunt, ut degeneres mores riſum provocent, & comicos ſales, veluti Pauſon, qui omnibus pulchritudinem invidebat, & plurimos Helenæ donabat nævos: Polignotum alii fabulæ conditores ſequuntur, cujus dextera liberalis opes Naturæ locupletabat, non veram imaginem rerum, ſed quæ pulcherrima fuiſſet, coloribus animando. Veritatem non aſſequetur æmulus Polignoti Poeta, quia mortalium opus delineat, plerumque deficiens: aſſequetur Philoſophus, qui conditam ab Architecto Numine rerum Univerſitatem contemplatur. Quocirca excuſſis e Pegaſi alis Poetis, illis impoſiti Philoſophi tendant in altos nubium tractus, & omnem ingenii præferocis audaciam non Laurus protegat Apollinea, ſed Platanus Socratis differentis; vel ſaltem nihil admirandum ſuo quaſi jure procreare Poeta poſſit, quod ratiocinatio Philoſophi evincere nequeat argumentis.

(2) Quis, rogo, fœlicius abditas rerum cauſas, ignotos veluti Nili fontes, aperuit? An non Ariſtoteles, qui pulcherrimum eſſe ſtatuit hoc rerum omnium theatrum? An non Plato, qui profectò poeticè philoſophatur, non admirabilium ſolummodo explicatione rerum, ſed aſſurgenti ſtylo, & fabulis undecumque reſperſo majorem Veritati gratiam conciliantibus? Quicumque tandem eo res ordine innexuit, quo præſtantior inſurgere non poſſit, adeoque viſus eſt inſanire Poetarum in morem, is omnium fœliciſſimè Veritatem expiſcatus eſt, & majorem ſibi apud poſteros gloriam conciliavit. (3) At verè cœcus Democritus, quia Naturæ pulchritudinem non vidit, & Mundum ex fortuito corporum concurſu conflatum fuiſſe ſomniavit Auctore, & nexu deſtitutum, ut omnium ſibilis exploditur ex lyceis! Ut jure conqueritur irrepertam a ſe Veritatem in

(1) *Idem jubet poeticè philoſophari.*
(2) *Optima quæque Naturæ tribuenda ſunt.*
(3) *Admirationem laceſſat Philoſophus magis, quàm Poeta.*

(1) *Quam Naturæ faciem pingi jubeat Ariſtoteles.*
(2) *Ipſe, ac Plato, Veritatem magis aſſequuti.*
(3) *Quàm Democritus, & alii naturam exhibentes, ut inconnexam Tragœdiam.*

Digitized by Google

in puteo deliteſcere , a quo viles perſæpe echinos , numquam expiſcatus ipſe eſt margaritas ! Leucippus etiam , qui Terram Timpano ſimilem dixit : Anaximenes , qui Menſæ ; Anaximander , qui Columnæ : & quicumque rerum Naturam ex tenuiſſimis corpuſculis conſtitutam dixit , velut inconditum Poema ex vocibus in Sybillæ foliis exaratis , & a vento digeſtis in ordinem fortè conſurgens , procul a vero deerravit , nec aliud fuit Naturæ , veluti omnium Novercæ , opes atterere , & Mundum effingere deficientem , ac turpiter inſanire . Stat igitur eamdem eſſe Veritati conſentaneam Philoſophiam , quæ pulcherrima ſit , & mirabilis , adeoque Poetica : cumque magis ſtatuitur venuſtiſſimus Ordo rerum , eò fœlicius Veritas fugitiva ingenii retibus excipiatur , & cum timidè quis de Natura ſermonem inſtituit , execratus Poetarum conſortium , humi ſerpat inglorius , Veritatem fruſtra deperiens . Negare Mundo Conditorem Deum coacti ſunt , quicumque illum non optimè conſtitutum aſſeruerunt : ex quo patet ab opifice Divinitate quamlibet provenire operis admirabilitatem magis , quàm ab heroica Semidei virtute audax Poetarum Mundus enaſcatur.

(1) Sed ut ſubita exemplorum appoſitione cauſam conficiam , nihil profectò ſic arduum , & immodicum excogitare Philoſophus poterit , quo pulchriorem eſſe rerum Naturam Fidei Sol non aperuerit , nec unquam ad Poetas accedere videbitur liberalis Encomiaſtes Univerſitatis , quin hiſtorica illum fide laborare periculum ſit , deterentem ornamenta Naturæ . Numquam Poetica potuit procreare Mundum ingenio præſtantiorem illo , quem Divinitatis vox omnipotens animavit , & licet e Sacris Literis mutuata ſit argumenta , tamen quæ in illis reperit grandia , inaudita , inopinatos rerum eventus , amplificare non potuit; itaut mirum videatur , quod qui ranam inflantes centum ora , & famæ tubas depoſcunt , hiſtoricam Moſis fidem ſuis fabulis ſuperare , & majorem novitatis gratiam ſuis inventis conciliare nequiverint : apertâ per hoc humanæ mentis inopiâ , cui nihil extundere licet , quo pulchrius a voce Numinis non provenerit . Hæc ſi ita ſe habent , procul dubio qui Philoſophus non anteit Poetarum audaciam , Mundi pulchritudinem explicando toto cælo aberrabit .

(2) Age verò , ut curſim excogitatum a Poetis Mundi exordium cum Veritate committam : Chaos illi , cœcum acervum ſtatuerunt , ex quo tener Univerſitatis ordo concreverit . At quantò mirabilior eſt e nihilo in omnia metamorphoſis ? Alluviem illi Deucalionæam vix auſi ſunt affirmare uni Theſſaliæ ſuperfuſam . At univerſum terrarum ambitum , & vivas ubique improbi amoris faces aquis ultricibus tumulavit , Pluvias illi ſereno Cælo ruentes , & Jovem per machinam advocarunt , ut intercederet pugnaturis . At ſanguinis , & Ranarum flumen Ægyptum obruit a nullis cæteroqui cæleſtibus aquis , ſed a Nilo lactatam ; at in Pentapolim ultrix flamma deſcendit. Ventis imperaverit Neptunus , ut ſua intra latibula ſe continerent . Stare Solem jubet Hebræus Imperator , & attonitum intueri cladem Gabaonitarum . Naufragia ſuſpendit Moſes , & undas Erythræi cogit in chryſtalla regali pompa tramitem Hebræorum exornantia , mox barbaros Ægyptios opprimit ſuis trophæis , hoc eſt Oceano a ſe debellato , nec dum peremptos toto tumulat elemento . Peregrinæ volaverint aves ad convivia Poetarum . Cæleſtis dulcedo roris largo imbre ſuper peregrinas turbas devoluta omnem illis ſaporem elaborat : igneus currus Eliam rapit ad Sydera ; viva navis Jonam appellit ad littus : Jericuntinæ turres ad clangorem tubarum choreas agunt, & mox incumbunt ſibi : inſultat Achillæo robori Samſonis virtus. Sed quid ſingula proſequutus metum diuturnæ declamationis incutio humaniſſimis Auditoribus ? Nihil profectò audacius effinxere Poetæ , quàm Divinus Hiſtoricus modica narratione poſteris commendaverit ; imò , quæ præſtantiora ſunt in Poetis , ea petita ex Sacris Literis intexuere carminibus ſuis . Et nunc etiam pulcherrima Heroico Poemati argumenta ſuppeditat Moſes , Agnitio Joſephi , & fratrum Comœdiæ lepidiſſimæ , Tragœdiæ Iſaac immolandus . Pronum fuit Poetis Pithagoricè renatis in futurum jaculari fatidicas curas , ac veluti ſequutura prænoſcere , quæ viderant contigiſſe , perinde ac ſi ante viginti ſecula vitam agitaſſent . At Prophetæ , quæ ventura trahebantur , ut ſi coram adeſſent , literis conſignarunt . Quocirca cum rerum Univerſitas pluſquam Poeticum fuerit theatrum prodigiorum , cur non Poeticè philoſophetur optima quævis excogitando , qui rerum cauſas indagat ?

(1) Reliqua Naturæ portenta , tum quæ

ratio

(1) *Divina Fides declarat pulchritudinem rerum Univerſitatis .*

(2) *Poetæ fingere auſi non ſunt ea , quæ re ipſa contigerunt .*

(1) *Rerum univerſitas eſt pluſquam poeticum theatrum prodigiorum , quæ ſuperant Fabulas Poetarum .*

Digitized by Google

ratio ſagax indagavit, tum quæ Divinæ Fidei lampas aperuit, committere poteram cum Fabulis Poetarum: quo calle inito cauſæ Veritas compendio patuiſſet. Sed veſtigia indicaſſe ſufficiat, quibus fugitivam venari poſſumus Veritatem. Prodigiis eſt referta ſupra Poetarum audaciam Hiſtoria, quam Numinis a Secretis nobis tradiderunt. Poeticè igitur ratiocinetur Philoſophus, qui reliqua Naturæ arcana contemplatur, neque enim inverſus eſt ordo rerum, & pulcherrimè conditus Mundus a primo ſplendore degeneravit. Quamvis intereant Urbes, & Regna, ceu mortales eorum conditores, nihil tamen declinat a ſua prеſtantia inſtitutus rerum curſus, quem Naturam appellamus, opus Numinis immortalis.

(1) Si hoc pacto philoſophabimur Poeticam ſequuti, facultatem omnium jucundiſſimam, ceſſabunt aliquando nonnullorum querelæ moleſtiſſimum eſſe Philoſophię ſtudium muſſitantium. Liceat mihi partam ab indagatione Cauſarum voluptatem cum Poeſis lenociniis conferre, ut hoc etiam argumento quæſtio roboretur, utque diſciplinæ utriuſque debere omnino conſimilem eſſe vultum, innoteſcat. Ingrata quidem accidit Philoſophia, quæ Mundum colorat ut deficientem, ac Naturæ, veluti Anui Læſtrigonum populari, novercalem vultum appingit: quæ, ut bellè ſeſe invicem res excipiant, veluti Gratiæ chorum ducentes, neutiquam ſtudet: quæ vel centum Relationum miriadas ex apis volatu producit, vel Deum ferme omnibus humanarum Cauſarum muneribus fungi jubet, res obtutum fugientes exulare jubens a Mundo, perinde ac ſi metueret exhauriri Divinitatis theſaurum: quæ demum hanc rerum Univerſitatem non pulcherrimam, non undecumque admirandam, & optimo fœdere quaslibet res inter ſe coaleſcentes effingit. At ſi Philoſophica Veritas ea ſit Helena, in quam omnia confluant ornamenta ſparſa in fabulas Poetarum, adeoque prodigia in medium proferat ad Vatum invidiam, ſub judice lis agitabitur, quænam ipſarum majori ſenſu voluptatis ſtudioſorum corda perfundat.

(2) Ideam Herois Poeta ſequitur: Philoſophus Hominem ſenſibus deſtitutum, quem etiam Ideam hominis dixit Plato; ideoque neutri cura incumbit agendi cum homine multiplicis ingenii, ac tortuoſi, quod

(1) *Si poeticè philoſophemur, jucundiſſimum erit Philoſophiæ Studium.*

(2) *Ideam hominis ſpeculatur Philoſophus, ut Poeta Herois.*

vexat Oratores. Utraque jucundiſſimam provocat admirabilitatem vel rerum Naturas indagando, ac mundum hunc animo complectendo, vel alium quodammodo procreando, artificio æmulante Divinitatem, quod ſuaviſſimè blanditur ingenio; ex iis enim, quæ fortuitò contingunt, magis oblectamur, quando videntur certo conſilio contigiſſe, ut Mitii Simulachrum ſupra Mitii interemptorem fortè devolutum, & rerum imagines in pretioſis lapillis a Dædalea Natura coloratæ. (1) Et quæſtio ſurgere poteſt, jucundius ne ſit haurire hunc Mundum ingenio, vel alium eniti a lectorum animis hauriendum. Suaviſſimè torquet Poeſis fabulam innodando, ut jucundior accidat evoluta rerum cataſtrophe. Vel aſpera ſonorum muſicam lenitatem commendant, & eſt aliquando dulce malum a gratiſſimo pharmaco propulſandum. Sic blandè vexat animos Philoſophia, dum ſua quaſi per veſtigia diu relegit Veritatem ob hunc ipſum laborem hilarius ingenii retibus excipiendam, veluti dulcius palatum reficit avis propriis cujuſque caſſibus tandem irretita. Et certè Fabulæ agnitio, & improviſa converſio rerum, quam Peripetiam dicunt, blandè ſolvit ſuſpenſos lectorum animos: quemadmodum adeptæ Veritatis theſaurus Philoſophos jucundiſſimè locupletat, importuna admiratione ceſſante, quam pepererat Ignoratio, aliàque prognatâ, quam facit rei Magnitudo ſuis ponderibus æquè librata. Plura ſimul fercula Poeſis menti largitur, hoc eſt dulci reſperſam Imitationis melle veritatem ſub Allegoriæ nubibus latitantem. At Philoſophia quamvis non omnia ſimul amplectatur, quod proprium eſt imitantium, ad plures tamen, & nobiliores prædas explicat ingenii volatum, & Apellæo radio colorat in anguſtæ mentis theatro totam hanc rerum Univerſitatem.

Quæ cum ita ſe habeant, profectò Poeſis tunc ſolùm jucundior accidet, quando Philoſophia timida, & exilis nil arduum, & immodicum aperiet, Veritatem enim vincet Fabulæ decus, cum pulchritudo nimium quantum rapiat corda mortalium. At ſi præſtantiſſima quævis, & admiranda Philoſophus effingat, & repræſentet ad Poetarum invidiam, ſuavius illum a ſuo ſtudio recreari quis ambigat, cum pulcherrima pervolvat animo, eademque amet, ut vera? Jucundiſſimum eſſe veras aſſequi Cauſas Poeta maximus profitetur, tunc ſolùm ſe inglorium alia ſtudia dicens amaturum, cum

fri-

(1) *Jucundior Philoſophia, ſi poetica ſit, quàm ipſa Poeſis.*

Digitized by Google

frigidus ſanguis obſtiterit circum præcordia, ne ad hos Naturæ fontes poſſit accedere.

(1) Jamque ex Fabulæ dignitate, hoc eſt ex complexione plurium imitationum; quæ Poetices anima eſt, patuit philoſophandum eſſe Poeticè. Reliquum eſſet, ut ſingulas utriuſque diſciplinæ partes, earumque dotes componerem: Sed cum Poetæ Quintili Menſe recitantes exaggerata fuerint Urbis calamitas, quid, rogo, eſſent de Poeſeos natura diu diſputantes? Quocirca reliqua abrumpens Eloquutionem ſolummodo aſſurgentem, & metro alligatam nihil officere contendo utriuſque fœderi facultatis; neque enim diverſo Numerorum ordine, ſed varia rerum Imitatione Poetas in aciem digerit Ariſtoteles, vix quicquam intereſſe dicens Enuntiativum inter Philoſophi, ac Patheticum Poetæ ſermonem, nec diverſam eorumdem ſpeciem eſſe. Vulgi homines hujus diſcriminis judices eſſe; at eoſdem vix animadvertere, quid Hiſtorici carminum conditores diſtent a veris Poetis Fabulâ ſuos verſus animantibus. Quid ergo mirum ab iiſdem credi Poetas, & Philoſophos magno intervallo diremptos? Cum tamen ſecus arbitrentur Sapientes viri, ſi Philoſophi, ut par eſt, honorificè ſentiant de rerum Natura, neque illius Portenta diſſimulent. Empedocles certè, ac Lucretius Philoſophi cenſentur, licet ſuæ mentis fœtus carminibus alligaverint; Heliodorus verò, & in pleriſque Operibus Lucianus, ſapientiſſimis viris Poetæ videntur, licet ſoluta oratione loquuti. Quid, quod carminibus docuerunt primi Sapientiæ Sectatores, Muſæus, Orpheus, Linus, & eorum urbaniſſima Philoſophia, etiam quæ Divina ſpectabat, ornata lepore Muſarum effloruit, & verſicolori fabularum veſte circumdata ſe populo exhibuit prima fronte ludibundam, & levem, at conſiliis abditis, & Allegoriarum involucris conſtantiſſimam; & mortalium bono optimè conſulentem.

(3) Sed quamvis Fabulæ nubes inviderent ſolem Veritatis oculis non eruditis, ideoque digreſſi ſint e Parnaſo Philoſophi, & plurium barbaries ſeculorum candidè etiam dicendi characterem eiſdem ademerit; patet nihilominus utriuſque facultatis agnatio, quin etiam fraternus amor Sapientiæ amatores urgens ad poeticè philoſophandum, & eiſdem ſtudium iniiciens repetendi poſt graviora ſtudia fontes Aonios, ut rurſus inſerant Platanum Lauro, ac Imitationis deliciis perfruantur, plura ſimul animo complectendo, & rem ipſam, & poeticam imaginem rei, & eumdem in utraque colorem ſibi reſpondentem: ut Veritatem velent, ſed ita, ut alios quidem, ſuos tamen lynceos oculos non effugiat, & latendo luceat, velut apis illa condita gutta Phaetontide: ut magis eamdem ament, cum ſuam diſſimulet majeſtatem, neque Reginæ jactet imperium: veluti Principes, qui exteras terras obeuntes preſſo regali nomine, & Vulgo perhumaniter immiſti, ſunt omnibus in amoribus: utque ſuæ mentis præſtantiam intueantur, quæ illico ex Allegoriæ nucleis eruit Veritatem fruſtra a reliquis ſuſpiratam.

(1) Hoc verò palam facit Philoſophiam eſſe perfectæ Poeſeos matrem, cum ideo hanc Dialecticæ ſobolem dixerit Ariſtoteles, & ſtatuerit, quod inundatum ſolummodo Sapientiâ pectus haurire poſſit fœliciter aquas Hippocrenæas, cum Scientia Veritatis indagatrix viam aperiat conſectanti ſimilitudinem veri, quemadmodum artificium colorandi rerum Ideas conduceret illis, qui petitos ex Ideis colorum ductus transferunt in exempla. At e converſo juvenilis Poeſis nutrix fuit Philoſophiæ, lac illi ſuggerens eruditum, & educans amorem Sapientiæ dulci pabulo fabularum, quæ Naturæ cognoſcendæ ſtudium exacuunt, ceu Saturnus filiis ſuis crudeles admovens fauces curam ingerit penetrandi vires temporis edaciſſimi.

(2) Hæc omnia e ſuperiori quæſtione, velut e fonte profluerent, in rivos nunc diducenda: veluti etiam, quod uti poeticè philoſophandum eſt, ſic philoſophicè carmina ſunt exaranda, fœcunda Sententiis, & doctrinæ adamantibus ſub Fabulæ chryſtallo deliteſcentibus, neque ſolùm auribus blandientia, ſed animis quoque ſalutaria. At hoc ſtudium exornandæ ſuæ facultatis relinquamus Poetis, qui fortaſſe nimium liberales plura ex quovis verſiculo arcana producent, quàm Bracciolinus ex ludicris carminibus in Antonium ab Amatrice fuerit expiſcatus. Utinam ego, dum inter conſpirantia cum Poetica ſuavitate commoda Philoſophiæ fœdus inire contendo, moleſtè non torſerim humaniſſimos Auditores. Adornant

(1) *Poſt expenſam Fabulæ Dignitatem attingitur Eloquutio metro alligata.*

(2) *Nihil obeſt Metri diſcrimen, ſi Philoſophi honorificè ſentiant de rerum Natura.*

(3) *Cur Philoſophi aliqui Stylum inquinaverint.*

(1) *Philoſophia eſt perfectæ Poeſis Mater.*

(2) *Oſtendi poſſet, quod ſicuti poeticè philoſophandum eſt, ita philoſophicè ſcribenda ſunt Carmina.*

Digitized by Google

nant quidem Palladem Charites Apollineæ, æmulatur Sapientia cantum Sirenum, laboranti animo ſalutem affert ambroſia, quia Morum Magiſtra Philoſophia, non cenſoria gravitate terret adoleſcentes avidos jucunditatis, ſed potius poetica pulchritudine, & admirabilitate rerum, quas largitur ingenio, eoſdem rapit ad ſeſe. Periniquè tamen actum eſt cum Scientia jucundiſſima, dum ſine ullo Poetices lepore per congeſta argumenta gratiam illi conciliare tentavimus.

PROLUSIO X.

Pluribus curis urgeri docentem ſemel tantùm quotidie Rhetorices Inſtitutorem, quàm Philoſophiæ, cui Vacatio quotidiana non indulgetur.

HOdiernæ (1) Proluſionis argumentum illi ex vobis, opinor, præcipiunt animo, Sapientiſſimi Patres, qui Tuſculanæ, ex qua illa originem traxit, diſputationi interfuerunt. Ambulatum aliquando pomœridianis horis egreſſus cum eruditis viris, quos, niſi eorumdem ſimilitudo ſtudiorum, par certè voluntas, idemque amor de literis benemerendi mihi conciliaverat, cum de Solibus, & pluvio tunc Autumno, lactante quidem uvas æſtu nimio peruſtas, ſed moleſtiam faceſſente viris, qui ruris amœnitate urbanas curas expungere amant, ſermonem inſtituiſſem, ſtatueremque cum Horatio, curtæ neſcio quid ſemper abeſſe hominum fœlicitati, carptus liberali joco ſum ab auditorum aliquo affirmante has a me aliis deſtituendas querelas, quibus Tuſculana remiſſio, & quies perneceſſaria eſt. At Rhetores, cum perpetuò in Parnaſo verſentur, ubi omnia rident, & ad voluptatem invitant, & ubi ſinus ipſe amœnitatis eſt, prodigium videri poſſe, ſi a Muſis unquam otium agentes Tuſculum adire dignentur, quod ab ejuſdem Apollinaris Montis imitatione, & ſemimortuo Pieridum cantu, in Aldobrandino Theatro delicias mutuatur. Latentem ſub urbano dicto aculeum animadverti, &: Ludicrum videlicet negotium, & umbratilem, qua implicamur, exercitationem appellas? At is, oblectationem animi, & requiem curarum ſupervacaneam omnino eſſe dixit illi, qui ſemel quotidie feriatur ab Academia, quique unum, aut alterum, aut demum tertium tantummodo in Anno Carmen ſcribere, aut Orationem jubetur, ac proinde profectò non torquet ingenium remiſſione ruris exhilarandum. Cum ipſe laceſſenti minimè ictum referrem, a quo procul, ut Plinii ad Veſpaſianum formulà utar, exerciti, & laborantis ingenii faſcibus ſubmovebar, plures, qui aderant, cum eſſent ſumma indolis ſuavitate, ac morum facilitate ſingulari, noſtram facultatem ſuo teſtimonio, præconioque ornantes ingenioſam controverſiam animi gratiâ diu aluerunt: ea tamen moderata vocis, & oris contentione, quæ ſerii ſpeciem certaminis prætereuntibus non exhiberet, ne, ut olim, Ruſticus aliquis abnormis ſapiens pacem inter amiciſſimos viros ſerere aggrederetur. Ex iis, quæ agitata tunc fuerunt, illa ferè tantùm referam, quæ ab inuſta conceſſi nobis, ut ajunt, ignobilis otii nota nos eximunt, oſtenduntque, a Rhetore, ut munere fungatur ſuo, oneris, (1) & laboris plurimum, multòque majorem, quàm a Philoſophiæ Profeſſore, ſuſcipiendum eſſe. Tenuitatis noſtrarum virium minimè obliti exemplar tantummodo aliquod a nobis animo fingi profitemur, a cujus abſolutione procul omnino diſtemus. An tamen, ut Platonicus inquit Philoſophus, ignoremus etiam, quænam Doctrinæ ornamenta nobis deſint, adeoque, *ne ſatis quidem docti ad optandum ſimus?* Ingenioſi porrò Adoleſcentes, qui ad eloquentiæ gloriam connituntur, dum ea recenſeri audient, in quibus laborioſa opera collocanda eſt ab Inſtitutoribus ſuis, animos erigent ſpe illuſtris, ac multiplicis eruditionis a ſe comparandæ, ac *primum Diſcipulorum calcar, ac diſcendi ardor*, ut inquit Divus Ambroſius, erit, ſin minus *Magiſtri nobilitas*, certè ſtudium, & conatus.

(2) Ne in hac controverſia plura, quæ ſunt innumera, conſecter, aggredior ex rebus perſpectis, planèque cognitis, conferta enumeratione illorum, quæ a Rhetore præſtanda ſunt, expendens quatuor illa ejuſdem perpetua munera, nimirum enodatè Authores explanandi, de iiſdem ferendi cenſuram, tradendi Artis Præcepta, & frequentiſſimè ſcribendi. Ac primò quidem tenue ne ſtudium nobis adhibendum eſt ad cognoſcendos Authores, (3) ſi vel Grammatices Magiſtro Authoritate Tribunitia Juvenalis præcepit Satyra 7.

Ut legat Hiſtorias, Authores noverit omnes,

(1) *Occaſio Proluſionis hujus.*

(1) *Ejuſdem Propoſitum.*

(2) *Enumeratio eorum, quæ a Rhetore præſtanda ſunt.*

(3) *Quid ipſis Grammaticis jubeat Juvenalis.*

Digitized by Google

Tamquam ungues, digitoſque ſuos?

Illi ne temporis abunde ſit, qui hanc incredibilem varietatem rerum haurire animo debet? Quod ſi Grammaticus quia ad ipſum pertinet Poetas, & Hiſtoricos, utcumque pertractare, rogatus, dum fortè petit Thermas, aut Phœbi Balnea, jubetur a Satyrico dicere

Nutricem Anchiſæ, nomen, patriamque Novercæ
Anchemori: dicat, quot Aceſtes vixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus Vini donaverit urnas:

multò magis Rhetor, quia ad ipſum ſpectat diſertè dicere, quotieſcumque oretur a Diſcipulis ſuis, præſertim ſi honorarii ſupervenient Auditores, comparatus omnino animo ſit ad quæcumque Authorum loca, vel ex tetricis Perſii noctibus, eloquentiſſimè explicanda. Si verò, præter ea, quæ inſeri, & donari ab arte non poſſunt, naturæ dona, otium pariter, &, hercule, ſtudium etiam acerrimum illi defuerit, quàm ſæpe in arcanis eruditionibus hæſitabit! Ut explicare non poterit vela, quin ad brevia unquam, aut ſcopulos allidatur!

(1) Quod ſi ex Juvenalis imperio, velut ungues digitoſque ſuos, debet omnes Authores noviſſe, multò magis ita complecti animo Tullium, ut ex quolibet ipſius loco habere Prælectionem juſſus, per horam extemplo dilatet ampliſſimè, quæ Cicero coarctavit, & perangustè referſit, oſtendens ipſum adeo redundare numquam, atque extra ripam effluere, velut opinantur inſciti, ut potius ex quovis ejuſdem ambitu, & comprehenſione verborum integra non raró explicari poſſit oratio. Ut autem beatiſſimâ ejuſdem Eloquentiâ ex Quintiliani præcepto ingenium alat, & augeat animos auditorum? Ut ſtatuat, omnia in illo ornamenta militare Cauſæ? Ut ex ipſius armamentariis, quibus pugnet, tela depromat: quamque inanem verborum pompam appellant illi; qui ab ejus artificio deficientes veteris eloquentiæ decus labefactarunt, eadem oſtendat eſſe orationis mœnia, & propugnacula? Ut demum Tullianæ in dicendo Divinitati, nequidquam a delirantibus impugnatæ, decernere triumphum poſſit, niſi ſtudium maximum adhibuerit, & in ea verſatus ſit copia dicendi, qua effundere ipſe quoque poſſit extemplo orationem non modò delectu, & compoſitione verborum conformatam, ſed etiam moderatione pedum, & numeris aſtrictam, & inſigni quadam affectam dignitate?

(1) Præterea, utcumque popularis eſſe Ars Rhetorica perhibeatur, quia populum plerumque alloquitur, tamen eruditos etiam habet non raró Auditores, & ex Ariſtotelis, & Ciceronis Sententia, *Si quis univerſam, & propriam Oratoris vim definire, complectique velit, is erit hoc dignus nomine, qui de omnibus rebus eleganter poſſit & copiosè diſſerere*. Cumque id ipſum extempore præſtandum ſit ratiocinatione petita ex Aquinate Satyrico in quorumlibet explicatione Authorum, qui de arcanis ſæpe, ac ſublimibus rebus orationem inſtituunt, tot illi cognoſcenda ſunt, ut ea perſequi nequeat, niſi ebrius amore ſapientiæ omnino ſit. Anaximenem Lampſacenum celebraverint veteres Authore Pauſania, qui primus Extemporalem habuit orationem. Excitaverit admirationem ſui Gorgias Leontinus, qui, ut Cicero, & Philoſtratus memorant, quodcumque ſibi exhibitum argumentum extemplo copiosè pertractavit. Id ipſum præſtare jubetur Rhetor, ſi ſui muneris partes obire velit, ut proinde laborandum ipſi plurimùm ſit ad eloquentiam, & incredibilem rerum omnium eruditionem comparandam.

(2) An quicquam ex iis, quæ docuit Plato, ignorare poteſt ſine dedecoris metu, qui ad quamlibet illius Sententiam uberi verborum pompa explanandam compelli poteſt, cum divinus ille Philoſophus eximius pariter in Rhetorica ſit, nihilque illo ſimilius Poetæ, ſive dicendi facultate, ſive rebus pingendis? Quod ſi aureo flumini a Tullio Ariſtotelis eloquentia comparatur, & ipſi Platonicæ præfertur (quam ex veteri Adagio adhibuiſſent Dii mortalium ore loquuti) cur plurimæ certè, niſi omnes, Ariſtotelis Sententiæ Rhetori exhiberi nequeant, ut de Urbium, aut Populorum Regimine, aut hujuſcemodi aliis argumentis uberrimè diſputet? Cur idem adigi nequeat ad orandum de his in Principum Aulis, aut in Templis de rebus divinis interpres Sanctiſſimorum Oratorum, & Fidei Patrum, ac præſertim Auguſtini, qui, cum omnes Scientias animo comprehenſas haberet, Rhetoricam tantùm publicè docuit? Et laboris quicquam fugiendum, aut ulli operæ parcendum ſibi eſſe, cenſuerit Rhetor?

Sed

(1) *Quæ in explicando Tullio requirantur a Rhetore.*

(1) *Auctore Tullio de omnibus rebus debet Orator eleganter, & copiosè poſſe diſſerere.*

(2) *Et de iis, quæ docuerunt Plato, Ariſtoteles, & Sancti Patres.*

Digitized by Google

(1) Sed ut ea ſolùm afferam rationum momenta,quæ ab opinionum arbitrio ſejuncta ſunt, illud tamen tenebo, niſi Rhetor omnibus ſit Doctrinis excultus, hæſurum ſæpe in ipſius Livii, Taciti, ac cæterorum, qui frequentiſſimè Diſcipulis perleguntur, explicatione Authorum. Sæpe Hiſtorici Præceptis, aut Factis excolunt poſteros. Expendendum porrò ſtatim eſt Rhetori, an Politica documenta cum Religione pugnent: an Prudentiam Fraus ita imitetur, ut ſub honeſtatis aliena ſpecie fœdiſſimæ utilitatis vias edoceat: an Exemplar potius hominis, quàm, qui ætatem agitant mortales, inſtruant Hiſtorici, utque Cicero de Catonis in Senatu Sententiis conquerebatur, *Rempublicam Platonis, non fæcem Romuli, erudiant*. (2) Hæc verò præſtare qui poſſit,niſi amplexus ingenio ſit quæcumque Sapientes docuere de condendo, vel amplificando Imperio, de Magiſtratibus, de Legibus, de Moribus, Religione, Conſilio, Seditione, Turbis, Ambitu, Simulatione, Diſſimulatione, Aſtutia Prudentiam falsò repræſentante, ac demum niſi univerſarum Artium Reginam Politicam egregiè calleat, quam Rhetoricæ affinem, aut etiam ſubjectam eſſe, velut ipſius partem, Ariſtoteles docet? Idcirco, ut idem author eſt, ejus tempeſtate Rhetores *Civiles* ſe *Magiſtros* appellabant, ac pollicebantur auditoribus ſuis adminiſtrandarum Urbium rationem: quod idem apud Platonem ſpondet Gorgias. Et Cicero quidem, Quintilianus, aliique Rhetores ſcriptis præclaris Voluminibus hanc artem regendi Populos profeſſi ſunt.

(3) Neque verò Hiſtoricos tantùm, ſed & Poetas, quos præ manibus perpetuò habet, explanare pro dignitate non poterit, niſi verſatus in Morali Philoſophia, cæteriſque Scientiis egregiè fuerit. Quot ad mores pertinentia Satyrici Vates in medium afferunt, licet præcepta paucis attingant, ac nimirum caveant, *ne ſe Criſpini ſcrinia lippi*, ut Venuſinus ait, *compilaſſe putes*, qui malè audiebat, eò quod pluribus, quàm oporteret, (cum eſſet naturâ nimium loquax,) Stoicorum dogmata Carminibus comprehendiſſet? Quot in Virgilio, Lucretio, cæteriſque occurrunt, quæ, niſi Pithagoræ, Democriti, Empedoclis, Epicuri, placita probè noveris, & univerſam Mythologorum de Diis Scientiam, turpiter offendes: & in eruditos incidens uniones perturbaberis,

Improviſam aſpris veluti qui ſentibus anguem
Preſſit humi nitens?

(1) Sed enim me hac fiducia cauſæ nimis exultantem compeſcit, qui levem tantùm, qua perſtricti ſint Rhetores, Doctrinarum notitiam abunde eſſe opinantur, ut quotieſcumque in ea incurrunt, ad quæ reſpiciunt Authores, ab iis explicare ſe ſine dedecore poſſint. Neſcius profectò non ſum clypeum hunc eſſe illorum, qui ad hanc facultatem ſine omnigenæ Sapientiæ præſidiis audent accedere. Verumtamen niſi ad Diſcipulos præſertim exacuendos Proluſionem hanc accommodarem, quibus ex abditis Philoſophiæ arcanis Exempla proferri nequeunt, ſexcenta præſtò eſſent Fabularum commenta de Pentheo, Endimione, Sphingo, Orpheo, Prometheo, Proteo; ſub quarum nubibus Sapientiæ Sol minus acutis, aut attentis luminibus occultatur.

(2) Si a Rhetore petatur explicatio Plutarchi, ubi ſtatuit, in Homero ſecreta omnia Philoſophiæ, quæ ad Mores, quæque ad Naturam pertinet, deliteſcere, an expendere velut Magiſter, & Arbiter, hanc poterit cauſam, ſi expers ipſe fuerit ſecretioris Doctrinæ? An decernere cum Venuſino, plurima in illo eſſe ad frangendas cupiditates, & ad formandos Mores conducentia, ideoque *melius Cryſippo, & Crantore*, a Cæco illo, qui tamen fuit Naturæ Oculus, dici, *quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non?* An cum eodem Cryſippo Stoicorum Sententias ex illo eruere? Expendere, an omnia ſub Allegoria deliteſcant Naturæ arcana? An plura ſubdititia ſint, & inania? An leves homines plurima ex illo coniiciant, & hariolentur, non inveniant, & ſciant; neque Mundi Naturam, ſed ejus quaſi fimbrias comminiſcantur? An a Poetis ſaltem Thalamus Mentis, & Mundi fuerit inſtructus, & exhibita mamilla enutriendæ Philoſophiæ? Quàm arduum ſit hæc explorare, nemo, ut opinor, non videt: & ad Rhetorem Poetarum Interpretem pertinere quis inficiabitur? Porrò idem expendere profectò iſta non poterit ſine ſtudio pertinaci, ac ſingulari doctrina, qua ingeniorum circa Allegorias levitatem, aut indulgentiam perſpicere, ac notare queat: & plumbeam aliorum carpere gravitatem, qui oppoſitam in partem oratione feruntur, & omnino diſpu-

(1) *Niſi Rhetor excultus ſit omnibus diſciplinis, ne ipſos quidem Hiſtoricos explicare pro dignitate poterit.*
(2) *Callere debet Politicam Scientiam.*
(3) *Ut ipſos quoque Poetas interpretetur.*

(1) *Non ſufficit tenuis Doctrinarum notitia.*
(2) *Niſi perfecta ea ſit, ſtatui non poterunt illa, quæ a Rhetore ſunt enodanda.*

tant nullam vim rerum maximarum ſub Homeri Carmine occuli, adeoque Cœci illius Oculos in cælum relatos minimè fuiſſe, ut Cynoſura ſint ad portum Sapientiæ navigantibus, (quod Euſtratius opinatur) ut potius ipſe etiam Homerus omnis expers Doctrinæ inconſultò, & fortuitò cecinerit illa, quibus occultam Scientiam plurimi allinant. Ut interim Plutarcho minimè aſſentiar, qui omnem utriuſque Philoſophiæ varietatem ab Homeri fonte manaſſe putavit, ex illa ſaltem, quæ Mores effingit, Allegoria juvat exempla depromere.

(1) Sine arcana Regnorum Scientia reſpondere quì poſſit Rhetor quærentibus, cur Metis dicta ſit Conjux Jovis, qui eamdem, cum ferret uterum, devoraverit, ex qua comeſa mox ipſe Jupiter prægnans in lucem e ſuo prodeuntem capite armatam Palladem ediderit? Quid hac fabula monſtroſius audiri poteſt? At illa velat arcanum Imperii, qua ſcilicet arte Reges uti aliorum conſilio debeant, ut authoritas ipſorum non ſolùm illibata ſervetur, verùm etiam ad Populum augeatur. *Metis* Græco nomine *Conſilium* ſonat. Porrò Reges Nuptias quaſi contrahere debent cum Sapientum Curia. Sed cum res ad Decretum jam ſpectat, quod inſtar Partus eſt, ne ex aliorum Conſilio pendere videantur Principes (niſi decretum ejuſmodi ſit, cujus invidiam a ſe in alios derivare cupiant) quicquid a Curia elaboratum, ac velut in Utero conformatum eſt, in ſe transferre conſueverunt, ut decretum, ejuſque exequutio (quæ quia cum poteſtate procedit, & neceſſitatem infert, eleganter ſub figura Palladis armatæ involvitur) emanare ab ipſis Regibus videatur. Id præterea ſibi Reges ſumere oſtendit, ut non tantùm ab ipſorum voluntate ſoluta, & libera, ac non obnoxia, proficiſci Leges exiſtimentur, verùm etiam ex ipſorum Capite, ideſt judicio, & prudentia naſci.

(2) Si quæratur ex Rhetore, cur Fama Gigantibus extinctis veluti Soror ipſorum poſthuma e terra prognata ſit? Hoc illico referet ad murmura partium, quæ Rebellibus e medio ſublatis aliquandiu vagari ſolent. Rogatus, cur maximi momenti ad profligandos eoſdem Gigantes fuiſſe imbellis Sileni bellua perhibeatur? Statim reponet, vaſtos Rebellium conatus plerumque per vanos rumores, ac terrores inanes, diſſipari. Illud prima fronte ineptum, a Typhone Gigante nervos Jovis ſucciſos, & captos fuiſſe, mox a Mercurio furto ſublatos, ac Jovi reſtitutos: referet ad prævalidas Rebelliones, quæ Regibus nervos Pecuniarum, & Authoritatis incidunt: ſic tamen, ut per Sermonum Comitatem, & ſapientia Edicta, Mercurii dotes, animi ſubditorum non ita multò poſt, quaſi furtim, conglutinentur, & vires Regibus reſtituant. (1) Atque in hoc quidem Fabulas interpretandi ſtudio, ac decernendi quænam Allegoria ſit genuina, & nativa, plurimum operæ collocandum ſupereſt, cum alii plerumque in eo improſperè inſudaverint, neque velum abſtulerint, quo Veterum Sapientum penetralia, & receſſus a conſequentibus ſeculis diſcreta, & ſejuncta fuerunt. Quod quidem maximè arduum videtur Ariſtoteli 3. metaph. cap. 4. affirmanti: Sapientes omnes, qui circa Heſiodi tempora floruerunt, ac Theologi ſunt nuncupati, in eo tantùm laboraſſe, ut ſibi canerent, atque Muſis, cum ſententiam ſuam miris involverint tenebris non ſine ſummo poſterorum contemptu.

Jamque non modò verborum quodammodo corpus, ſed animum etiam, hoc eſt Allegoriam Authorum introſpiciendam penitus eſſe a Rhetoricæ Artis Inſtitutore pervicimus, ne illorum Epicuræam tantùm, ut ita dicam, notitiam aſſequatur. (2) Quod ſi onus eidem incumbit expendendi abditas Authorum dotes, perinde jubetur de aliis, quæ magis eminent, ferre Sententiam. Audias quoſdam, qui ſi fortè de Homero ſermo inciderit, cum ne primoribus quidem labiis attigerint latices Vatis illius,

A quo, ceu fonte perenni,
Vatum Pieriis ora rigantur aquis,

eas ſolùm in medium afferent pervulgatas Criticorum Calumnias: minimè decere unam, aut alteram, quas Homerus excogitavit, Similitudines: non aptè inſeri Colloquia Heroum in pugnæ ardore: ipſa verò Inventione perperam humana ad Deos fuiſſe translata, cum Divina ad nos maluiſſet Cicero detorqueri. Demum ab ipſo Ingenii quidem celeres motus ad excogitandum acutos, & quamdam intelligentiæ alacritatem oſtendi, Judicium verò, ideſt ſapientem animi moram, & maturam inter res plures exiſtimationem, electionemque, deſiderari. Hæc effutire non audeant in Poetarum Numen, qui ejus Opera non perfunctoriè pervolutaverint, quæ certè cum Tuſculi, ut olim Præneſte Horatius, nuper rele-

(1) *Exemplum Allegoriæ, quam explicare nequibit Rhetor ſine arcana Politica Scientia.*
(2) *Aliud Exemplum.*

(1) *Ulterius inveſtiganda ſupereſt Allegoria.*
(2) *Aptè judicare de ipſis Poetis non poterit, qui omnibus non ſit literis excultus: v. g. de Homero.*

Digitized by Google

relegerim, animadverti, cum Ingenio plurimùm Homerus valeat, eumdem Judicio, Prudentiaque majori præſtare, quod aliàs fortaſſe ratiocinando conficiam, eademque in ejus commendationem afferam, quæ ipſi a plurimis vitio tribuuntur, ac præſertim oſtendam, conſultò Diis ab Heſiodo, aliorumque inſania celebratis, res abſurdiſſimas, & iniquas ab Homero fuiſſe attributas, ut eos apud Populum in contemptum adduceret.

(1) Quamvis autem in hoc Vate, qui eidem Platoni maximè divinus eſſe videtur, eæ non ſint labes, quas carpit vulgus eruditorum, plurima peccantur a quibuſdam aliis Authoribus, de quibus ferre cenſuram Rhetor debet, ne perversè Diſcipuli eadem imitentur arbitrati pretium illis accedere a Scriptorum nominibus, veluti quædam, ut inquit Plinius, *pretioſa putantur, quia in Templis ſervata cernuntur*. Profectò ergo non leviter, ſed probè perſpecta Juvenum Inſtitutores habeant quæcumque ab ingenioſis Viris ſunt exarata, & Sapientiæ Regnum non procul metiantur, ut Augures auſpiciorum causâ, ſed idem, ut belli Duces jam agro potiti, ingrediantur; cæteroqui enim ſæpiſſimè ineptam de Scriptoribus Sententiam ferent, & muneri turpiter deerunt ſuo. Ignorant, quæ ſit dignitas ampliſſimæ facultatis, qui affirmant, ejuſdem amatores prodigos pretioſi temporis eſſe poſſe.

(2) Ex Authorum ſolerti animadverſione, & ipſius artis natura eruere Præcepta, quæ auditoribus tradantur de Oratione, Carmine, & Hiſtoria condenda: & in quovis argumento, excurrendo per omnia Scriptionum genera, ſtylum excolere (quæ duo expendenda ſuperſunt) ardua omnino res eſt, nec expoſita. Quàm grande negotium faceſſunt Præcepta ipſa, cum, præter illa, quæ ad ſcribendam Hiſtoriam Vitæ Magiſtram plurima pertinent, ſtatuendum ſit Oratori, quot modis hominum mentes, & quo artificio, quo genere orationis in quamcumque partem moveantur: ut affectus animi concitentur, inflammentur, vel extinguantur. Hoc præſtari nequit ab Artis Magiſtro, qui Morum Doctrinam complexus mente non fuerit naturas Hominum rimatus, in quas altè inſinuaverit ſe. Omnes certè humanos motus, & affectus noſſe ad illum pertinet adeo, ut de illis egerit latiſſimè Ariſtoteles in Rhetorica, ex qua mutuatus plurima eſt Theologorum Coriphæus Sanctiſſimus Thomas.

(1) Et quoniam eloquentia nunc præcipuè triumphat in Templis, laborandum Rhetorices Magiſtro maximè eſt, ut ad exerendam in ſacris Argumentis facundiam in anteceſſum informentur, ac præparentur auditores ſui: cavendum, ne in prophanam declamationem Oratio Sacra degeneret, ſi ex inani philologia confletur: ne acuminum congeſtorum oſtentatio de induſtria compoſita obruat attentionem auditorum, ſatietatem eiſdem afferat, gignat obſcuritatem, enervis ad ſacros affectus movendos omnino ſit, & a Decoro alieniſſima. Cum imbellium aucupes ornamentorum omiſsâ perſuadendi curâ unicè ambiant laudem Ingenii, hanc etiam illis detrahat ſapiens Moderator, niſi ſuavitatem ament auſteram, & ſolidam, quæ argumentorum robur non hebetet, ſed perſuaſioni conducat. Enimvero ex malè inſtitutis Rhetoricæ diſcipulis inepti Concionatores evaderent corruptâ communi Oratorum formâ cum ſumma pernicie Reipublicæ.

(2) Ut hæc omnia præcipiat aptiſſimè, magna requiritur informatio Doctrinæ, utque præterea leges cum de univerſo tradat Poemate, ac præſertim de Epico: tum ediſſerat, quæ in Scenica Poeſi via, quæ ratio ſit: tum de Lyrica documenta ſtatuat, vimque totam poeticè eloquendi, locoſque omnes, ex quibus ornamenta dicendi petuntur, oſtendat, ac inſignis Mitodædalus ſit, & Fabularum exempla innumera proferat: ut doceat artem illas inveniendi, atque auditores erudiat, ut de fontibus ingeniorum præ pura, & clara turbidam numquam, & inquinatam hauriant aquam, promptis ex Ariſtotele Artis Rhetoricæ Legibus, cui Magiſtro Sapientum incomparabili pauci addicti ſunt, ac pro fonte rivulos conſectantur.

(3) Quid, quod utcumque acris, & vivida mens optimam habuerit ſelectionem Præceptorum, maximè arduum eſt, ut Magiſter audeat eadem auditoribus tradere. Cuiquam ne hoc dictum admirationem laceſſit? Quis, inquies, prævaricetur adeo, ut Diſcipulis, quo illos enutrire poteſt ad laudem, Doctrinæ lac invideat, ſibique adimat decus exhibendi ſingularem cognitionem eorum, in quibus artis medulla ſita eſt? At ego non corrigo orationem meam; quin

(1) *Et de aliis Poetis*.
(2) *Et dare Præcepta de Oratione, Carmine, & Hiſtoria condenda*.

(1) *Et de Sacris Concionibus, in quibus nonnulli ſtrenuè peccant*.
(2) *Et de variis Poematum ſpeciebus*.
(3) *Niſi Rhetor ipſe perfectè ſcribat, non audebit vera præcepta tradere*.

Digitized by Google

quin potius, niſi omnibus in ſcribendo Magiſtri dotibus affluant, omnino affirmo ab iis non præceptum iri Diſcipulis, ut conſectentur laudes, quibus ipſi deſtituuntur. Si frequentiâ ſenſiculorum immodicâ veram eloquentiam convellerint, erudient auditores, ut vitioſam acuminum redundantiam a caſtigata eorumdem moderatione ſecernant? Si frigentes Logodædali ſolùm elaboraverint in formulis excerpendis, an non Authores aliis erunt, ut omne collocent ſtudium in ſeligendis floſculis ex veterum viridariis? Si ſolummodo in inflato Carminum genere jactetur, qui alios inſtituit, Divinam Homeri, ac Virgilii Moderationem laudibus proſequetur? Si heroica ſolùm aliquando pangat, nihil de cæteris Carminum ſpeciebus ediſſeret, ac præſertim de Tragœdia, quæ Poematum Regina eſt, ſi Ariſtoteli fidem adhibemus. Vitio humanæ Superbiæ, quæ primò exarſit in effrænata diſcendi ſiti, parente ignorantiæ, ne miſeros fateantur ſe, plurimi affirmant ingenioſorum eſſe neſcire, quæ ipſi ignorant: præſertim cum Diſcipulos alloquuntur, quibus præclaram ineſſe cupiunt exiſtimationem ſui. Hi profectò, utcumque artis Præcepta noverint, ea proferre non audebunt, & de illis Petroniana poterit afferri querela: *Pace veſtra, Magiſtri, vos primi omnem eloquentiam perdidiſtis.*

(1) Utcumque autem velint, & audeant, quì poterunt obtemperare Ariſtoteli præcipienti, ut doceant quid in quaque re ſit ad perſuadendum accommodatum, niſi omnes ipſi res Scientiâ comprehenderint? Utque appoſito Exemplo utar, ſi, quod identidem contingit, regreſſi a Superioribus Claſſibus ad hanc Academiam ingenioſi Auditores quærant ex Magiſtro Præcepta includendi numeris Arcanum aliquod Naturæ, aut Divinitatis, profectò ea tradens non dicetur in alienæ facultatis terminos temerè irruiſſe. At niſi rem ipſam probè cognoverit, quæ ſuæ artis coloribus eſt illuſtranda, vis illi omnis, ac facultas hoc præſtandi omnino deerit. Quin etiam dum conſueta ipſa, & pervulgata Præcepta, ne dum hæc illuſtriora, in medium affert, ipſorum ſæpe Cauſas reſerare non poterit, quando videlicet in media Philoſophia retruſæ, atque abditæ ſunt.

(2) Cum ergo conſtet, Leges a Magiſtro artis præſcribi vix poſſe, niſi eaſdem ipſe poſſit implere, juvat in extrema Proluſione paucis innuere quot ab eodem ſcribenda perpetuò ſint, ſive neceſſitas urgeat, ſive ut Præcepta exemplis confirmentur, quæ niſi Magiſter de cenſu proferat ſuo, calcar minimè infiget lateri Diſcipulorum, quorum primus ardor ipſius Magiſtri Dignitas eſt. Ex his quoque patebit, tempus abunde non ſupereſſe illi, cui Exemplo præeundum ſit, dum præcipit, ut vel omnes artis dotes, quæ in Tullio effulgent, Diſcipuli conentur exprimere: vel utriuſque Plinii acumina, vel Sententias Senecæ coacervatas: vel hiſtoricum Stylum exerceant, non permiſtis Characteribus Hiſtoricorum, vel aureum exhibendo Livii flumen, vel acrem Saluſtii brevitatem, vel prudentem candorem Cæſaris, vel Politicas Taciti artes, vel elegantes Curtii flores: & ſpecimen aliquod identidem repræſentando Mithiſtorici Styli. Nunc in Carmine eundo per veſtigia Virgilii, aliquando Lucani, tum Statii, & cæterorum, qui heroicis numeris inclaruerunt. Quamvis autem inter Epicos præſtet, niſi inter Lyricos pariter emineat, vix fungi ſuo munere ſatis commodè poterit, cum ſæpe jubeatur lyram tractare: ſi Dytirambicis antecellat, niſi eximius quoque ſit in Tragœdia: niſi Satyras, Eclogas, Elegias, Epigrammata elegantiſſimè ſcribat. In omni denique Poematum varietate excellat, nunc Stylum ſuum alienis verbis, & formulis illigari non paſſus, novos excogitando flores, præſertim crebro uſu metaphoræ, quæ cæleſtis Heroum ſemitæ lactea Sydera imitetur adeo, ut in integra aliquando Tragœdia (cui Carminum generi crebriorem Ariſtoteles tranſlatæ vocis uſurpationem indulget) ne una quidem ſit formula ex aliis petita. An non copiâ rerum agendarum obruimur, nec tam ſæpe deambulatum ire poſſumus animi gratiâ?

(1) Magiſtro artis, non cæteris Vatibus aggredienda res eſt innumeris difficultatibus impedita; cæteri enim animadvertunt quò ſua quemque natura maximè ferat, & unum ſolummodo, aut etiam rarò alterum, excolunt Scriptionis genus, hoc ipſum valde arduum arbitrati, cum affirmaverit Socrates apud Platonem *tunc ſe homines oſtendere Dei ſobolem, cum unum, aut alterum dignum Poetæ nomine Carmen emittunt*. At Præceptoribus improbo labore pervincendum eſt, ut omnium ſpecimen præbeant; hoc autem numquam aſſequentur, niſi perpetuo fuerint incenſi ſtudio poeticæ laudis. Præterea, niſi a majoribus degeneraverint ſuis,

(1) *Statuere non poterit quid in quaque re ſit ad perſuadendum accommodatum.*

(2) *Quàm varia ſcribenda ſint a Rhetoricæ Inſtitutore.*

(1) *Diſcrimen inter ipſum, & Scriptores alios.*

Digitized by Google

ſuis, qui editis in lucem Operibus typos illuſtrarunt, ipſi pariter, quæ ſcripſerunt, eruditorum oculis ſubiiciant, nunc brevibus Opuſculis periclitando vires ingenii: nunc adornando, & crebriùs ad limam revocando majora Volumina, ex quibus Authorum menſura petenda ſit, quam iniquiſſimè aliqui ex properatis Scriptionibus neſcio qua indolis malignitate deſumunt. Ut autem quotieſcumque anſa detur in Extemporalem Orationem, aut Carmen Rhetor incendi queat, plurimùm quotidiano labore inſudandum illi eſt, ac Stylus perpetuò exercendus, nec indulgendum otio, quod conceſſum nobis fuiſſe aliqui criminantur.

(1) Quoniam demum, ut cæteræ artes perficiuntur in dies, ita palmare profectò eſſet dedecus eorum, qui Rhetoricam profitentur, niſi vetuſta perficerent, & nova Scriptionum genera excogitarent, hoc præcipuè ab ipſis urgendum eſt, præſertim inſtaurando illuſtre conſortium Sapientiæ cum Eloquentia Pugnam cum Fidei Hoſtibus conferendo, & Arcana Divinæ Doctrinæ eleganter ornando.

Poſt enumerata munera impoſita Rhetorum Præceptori recenſeri ubertim poſſent illa, quibus non ſubiicitur Philoſophiæ Magiſter. Sed cum ultro pateat immunem hunc eſſe ab onere Scriptores ex quavis ferè Facultate plurimos explanandi: diſſerendi, etiam ex tempore, de rebus omnibus: novas excogitandi Scriptionum formas, quæ potius improbarentur in ſolvente conſuetas Quæſtiones Auditoribus ſuis: & alia præſtandi plurima, quibus alterum urgeri oſtendimus: eviciſſe videmur laborioſius eſſe Magiſterium Rhetoris, cui proinde magis neceſſaria ſit Tuſculana curarum remiſſio.

Hæc cum dixiſſem, egregii viri, nec ab amœnioribus Literis alieni, quamvis triſtium Diſciplinarum cultores: Non luctabimur, inquiunt, tecum amplius: pluribus, quàm nos, curis implicari Rhetores ultro fatemur, neque ludicro negotio, & umbratili exercitationi vacare.

(1) *Ab ipſo nova Scriptionum genera excogitanda.*

PROLUSIO XI.

Encyclopædiam neceſſariam eſſe, nec excellere quemquam Oratoria poſſe, vel Poetica facultate, qui fontes non exhauſerit omnes Humanæ ſimul, ac Divinæ Scientiæ: neque numeris omnibus abſolutum eſſe Philoſophum, aut Theologum, qui Arte quoque dicendi non emineat.

QUicumque (1) affirmet, pulcherrimo quodam, & mirabili nexu Doctrinas omnes conjungi, adeoque conſertis quaſi manibus illuſtrém hunc ingenioſarum Charitum chorum viris ſe Mercurialibus exhibere, ut qui unius amorem non conciliaverit ſibi, nullius favore donari penitus poſſit: odium plerumque Auditorum incurret, niſi iidem ſint omnibus Diſciplinis imbuti, cujuſmodi plurimos dicenti mihi adeſſe gaudeo in præſentia, Sapientiſſimi, & Religioſiſſimi Viri. Ita inſtituti ſumus a degeneri natura mortales, ut quæ quiſque ſe aſſequi poſſe diffidit, ea neceſſaria eſſe ad perfectam fœlicitatem comparandam, nolit audire. Poſtquam e Socratico fonte in plurium divortia fluminum ſciſſæ ſunt nobiliſſimæ intelligendi, ac dicendi Facultates, eas ad unum alveum, & ad ipſum quaſi caput ſuæ originis revocare, magis arduum conſilium videri poteſt, quàm fuerit olim audaciſſimum votum Pyrrhi, & Seſoſtris, qui maria, ſciſſa magna telluris parte, conjungere moliti ſunt. Sedenim cum abeuntibus in diverſa exortis ab Apennino fluminibus comparet Tullius conjunctas olim, & quaſi ſtagnantes in Socratico fonte Doctrinas, fœderis rurſus inter ipſas ineundi exempla ipſis ab aquis petita deſiderari non ſinit Chriſtianiſſimus Rex, & maximus Heros Ludovicus Quartusdecimus, qui, Naturam ipſam vincere aggreſſus, magna continentis parte disjecta, nuper commiſit invicem flumina. (2) Licet igitur inter Scientias, & eruditas alias Facultates inſtaurare commercium affirmando, nullam ipſarum a quoquam pro dignitate tractari penitus poſſe, quin idem ſingulis præbuerit locupletandum ſe. Cum elegans Orator, qui hoc ipſum oſtendendum a ſe ſpoponderat, febri ſit improviſâ correptus, ne præclarum, & palam expoſitum in explicandorum Elencho Librorum, dignumque ſapientiſſimis auribus argumentum non excolatur utcumque,

(1) *Quibus diſplicebit Proluſionis hujus Propoſitum.*

(2) *Quid ſtatuendum ſit.*

que, accipite faventibus animis, qua id ipſum conamur oſtendere, tumultuariam Orationem: & (liceat hoc mihi præfari cum Sanctiſſimo, & eloquentiſſimo Viro Hieronymo, qui frequenter excuſat feſtinationem ſcribendi ſuam) intra ſeptem omnino horas effuſam: quod minimè arduum fuit, cum de hoc ipſo argumento poeticè olim diſſeruerim: rejecta interim in aliam diem, quam prius adornaveram, Proluſione.

(1) Cùm ex celebri partitione Doctrinarum aliæ contemplari verum, homines aliæ diſertè alloqui perhibeantur, tum eas, quæ in cognitione conſiſtunt Naturæ, ac Divinitatis, abſolutiſſimas eſſe non poſſe ſine præſidio Rhetoricæ: tum Artem ipſam dicendi Philoſophiâ, Divinâque Scientiâ minimè deſtitui oportere, ratiocinando conficiam. De hac autem altera parte cum egerit apud Tullium Craſſus in Dialogis de Oratore, cavendum mihi probè video, ne eaſdem recoquam, utcumque ſaliares, regaleſque, dapes, quibus ille primò ſuaviſſimum erudito Lectorum palato ſaporem elaboravit. Sed illud antea ſtatuendum cenſeo, quod utrique Orationis parti fundamentum erit, ne ſcilicet præjudicatâ jam causâ opinetur Auditor conſilium nobis eſſe ſuadendi illa, quæ re ipſa nequeant aſſequi, utcumque avidiſſimi ſciendi, mortales. Ea igitur primò diſiiciam, quæ ſemitam veritatis ingreſſis iter obſtruere poſſent. Tanto, inquiet aliquis levibus perſtrictus literis, rerum in pelago, quas variæ Doctrinæ contemplantur, nullum nexum intereſſe videtur: aut ſi naturâ ſuâ Scientiæ conjunguntur, neque disjungi deberent, at certè ob ingenii tenuitatem nequeunt omnes ab hominibus includi anguſtis animi finibus.

(2) Ut ultro concedam arduum pleriſque eſſe ad ſummum Doctrinarum omnium apicem eniti, non tamen hanc ſortem denegatam iis eſſe dixerit quiſpiam, quos Pallas naſcentes, ut inquit ille, blando fuit lumine intuita. Divina eſt animi vis indita hominibus: &, niſi fugiant ſeſe, atque obliti cæleſtis originis vitiorum ſordibus inquinentur, ac niſi varias in partes animum agant curæ inanes, & anxius angor hebetet mentis vires, intra ejuſdem ſacraria omnes excipi Doctrinæ omnino poterunt.

(4) Enimvero mens humana complecti omnes flagrantiſſimè cupit. Niſi verò fatalibus quaſi vinculis invicem Scientiæ ipſæ conſererentur, improbam & ferme inſanam, quia numquam explebilem, ſitim hominibus noverca Natura indidiſſet. Neque ſolus animus ipſe numquam capitur ſciendi ſatietate, ſed & ultro res omnes emiſſis ſpeciebus ſui, ut Philoſophi docent, humanæ ſe menti exhibere quodammodo prægeſtiunt. Non adeo Ulyſſem Sirenes, ut nos, cæleſtis Siren, omnigena doctrina ad ſe allicit, ſeque in animum inſinuat magna quadam, & ſuaviſſima vi. Arcanum hunc Sapientiæ magnetem non experiuntur illi, quibus viventibus jam penè extincta eſt vita, quæ in exercitatione Sapientiæ præcipuè conſiſtit. (1) Illi autem, quibus Divinæ particulam auræ, ut inquit cordatus Poeta, ingenioſa Minerva indulſit, ab excelſæ mentis ſpecula intuentur nexum, quo terræ, maria, cælum, & aliæ res omnes conjunguntur. Hæc perpetuò ſtantia Naturæ fœdera, tunc etiam quando tonitribus concuſſus aer excidium minitari videtur, oſtendunt nexum, quo imitatæ rerum Naturam Doctrinæ, quæ ipſam contemplantur, mutuo ſe amplexu fovent.

(2) Jamverò, ut id primò, quod Rhetorica cum Philoſophia, ſacraque Scientia conſortium habet, ediſſeram, eos aggredior, qui certis limitibus incluſam Rhetorum artem, nec abdita, & ſecretiora rerum neceſſariò edoctam dicunt, quæ ſcilicet Vulgo proponi nequeant. Cum ipſum porrò ſolummodo Vulgum alloqui ex artis ſuæ fine debeat Orator, fruſtra illi comperta erunt Doctrinarum arcana. Hic profectò Adverſariorum Achilles perpetuò fuit, a quo uno procul a ditione Sapientum diſtineri poſſe Rhetores arbitrantur. Sedenim cum hoc Achille congredi, & ab illius haſta, quæ vulnus incuſſit, medelam ex veteri fabula ſperare audemus. Ut interim id, quod a veritate alieniſſimum reor, hoſtibus tradam; eſto: Vulgum ſolummodo, non Reges ipſos, & Sapientes Viros frænare dicendo poſſit Orator; (3) tamen niſi idem abditas rerum cauſas, & a vulgi cognitione ſecretas fuerit aſſequutus, neque ipſa communia, & obſoleta, quorum eſt capax Vulgus, bono unquam in lumine profectò ſtatuet. Sacris id in Oratoribus patet, quibus erudiendi Populi cura tradita eſt, qui niſi

(1) *Partitio Doctrinarum.*
(2) *Perſuaſuri non ſumus ea, quæ fieri nequeant.*
(3) *Ardua tamen proponemus.*
(4) *Naturale deſiderium omnia ſciendi oſtendit nexum Doctrinarum.*

(1) *Eumdem indicat conjunctio rerum omnium.*
(2) *Rhetorica indigeret conſortio Philoſophiæ, Sacræque Scientiæ, etiamſi Vulgum ſolummodo alloqui deberet.*
(3) *Patet hoc in Sacris Oratoribus.*

Digitized by Google

niſi Divinæ Doctrinæ arcana penitus hauſerint animo, miris tenebris involvere conſueverunt Myſteria eadem, quæ Vulgo pandere fuerint adorti.

(1) Militares ipſæ Conciones, quibus mortalium ſæpe inſcientiſſimos homines Imperator alloquitur, ſine multiplici Doctrina pro dignitate haberi non poſſunt. Enimvero niſi Dux latentes noverit rerum cauſas, niſi Urbium, & Provinciarum ſitus aut exploraverit ipſe, aut ſaltem eruditis coloribus pictos viderit: niſi, quæ diſcrimina ferat diverſum terrarum, & aeris ingenium, quæ invia nemora, quæ oppreſſi altis nivibus montes, quæ tranand a flumina, quæ tentanda ignoti maris inſania: numquam ſibi penitus addictos, & mancipatos habebit animos bellatorum. Hinc qui præclaris Triumphis ab Hoſte relatis celeberrimi ſunt, non tantùm Neſtoreâ linguâ diſerti, ſed multiplicis etiam Scientiæ cognitione fuiſſe perhibentur illuſtres. (2) Hinc Scipio, Lucullus, Cato, Trajanus, Pericles; Epaminondas, Alcibiades, & exultus a magni Stagyritæ Sapientia Magnus Alexander, maximum a Philoſophia præſidium petivere ad Militum animos impellendos. Nec te præteream (libet hæc ad inferendum exemplum Pompeii Magni, atque Cæſaris, quibus Doctrina plurimùm contulit ad continendos frequenti Paræneſi in officio milites, noſtra ex alio Opere de Encyclopædiæ neceſſitate carmina mutuari)

Nec te præteream, (3) Romæ ſpes alma cadentis,
Qui primò Armeniam ſuper irruis, & freta Ponti
Euxini: en Syria, atque Arabes, Hircaniaque arva
Succubuere: fragor belli reſonantia longè
Concuſſit tunc ſaxa: ſacris increbuit horror
Armorum in ſylvis: devictus Caucaſus altis
Rupibus intremuit: tum, quod mare circuit Orbem,
Victrici lauro ter Magnum ambivit: ab undis
Excita dein belli tempeſtas incidit Afris,
Excidiumque tulit. Numidarum ut littora plangunt,
Bellica cum, veluti nimborum in nocte, coruſcat
Fulmina Pompejus dextrâ, quo barbara motu
Terra tremit: Numidæ fugere, humiliſque ſuperbos.
Proſtravit pavor Hiſpanos, Atlantis ad uſque
Quos domuit fines. Naturæ victor arenis
In Lybicis glomerat tempeſtatem: horridus imber
Ne ruat armorum celſi de vertice montis,
Caſpia teſqua ſuper molitur ferrea clauſtra.
Turbidus Oceani cum vultus inhorruit, & cum
Fluctibus ad nubes, cæleſteſque arduus arces
Tollitur, audaci ter Magnus claſſe profundum
Edomat. Hòs porrò tam claro ex hoſte triumphos
Non vos terribiles Aquilæ, & metuenda, Dracones,
Vexilla, & Jovis elata, & Mavortis imago,
Aut cælata auro peperiſtis templa Deorum:

non haſtis, inquam, præfixa parva Simulachra Templorum tam varios, & illuſtres tot ex hoſtibus, ipsâque Naturâ triumphos peperere, ſed aurea Magni Pompeii facundia edocta Naturæ mores, Populorum ingenium, & quæcumque fortibus viris eſſent ſubeunda pericula. (1) Hinc e cælo delapſum fuiſſe Ducem ſuum milites crediderunt, quem certa futurarum rerum præſenſio Superis æquabat. Hinc mortalis quaſi Numinis auſpiciis freti ejus bellatores ruebant in prælia, donec illo eloquentior, & doctior Cæſar acrius, & fœlicius Exercitum ſuum ad victoriam inflammavit.

(2) Utcumque igitur Vulgi tantùm animus flectendus in quamcumque partem eſſet ab Oratore; hoc ipſum aſſequi non poſſet Rhetor, quem omnigena Doctrina non vegetaret. At quàm in altum enitendum eidem eſt ingenio, & ſapientia, ut ſe in ipſa Principum, & Regum pectora inſinuet? Porrò niſi Politicæ Artes, & omnis de Moribus Doctrina Rhetoris mentem exornet, numquam ille ſibi Regnum ipſorum Regum in animos vindicabit.

(1) *Militares Conciones quid requirant.*
(2) *Non diſerti tantùm, ſed & multiplici Scientia ornati fuerunt præſtantiſſimi Duces.*
(3) *Laus Pompeii Magni.*

(1) *Quantùm illi profuerit Naturæ cognitio, & Cæſari.*
(2) *Ipſos quoque Reges hortari debet Rhetor.*

(1) Quid, quod ingenioſa Philoſophorum cohors pendere poteſt a Rhetorum ore docentium? Cum autem hæc perpetuò ſit obnoxia civili bello, & una ipſorum claſſis alterius ſemper laudes imminuat, Orator arbiter litis, velut Idæ in monte Paris, præſtantis honorem formæ alterutri Philoſophiæ deferre valet, aut hortatus adoleſcentes ad virides Lycei Sylvas ſubeundas: aut gratam figendam ſedem, ubi doctam umbram explicat porticus Stoicorum. Cumque ſpes inclyta ad tentandum volatum ſupra cæleſtes ipſos Orbes Palladiam juventutem incendit, & eadem incerta pendet, cum plurimus illam invitet Ductor, an magni ſemper adoret Aquinatis veſtigia: an, quem curſum Dædaleæ Scoti alæ inſtituunt, ultro capeſſat, Orator alterutrum volatum ſuadere poteſt, quo ſe Cælitum in Aulam attollat. At niſi cæleſtes prius Rhetor ipſe omnibus e fontibus hauſerit aquas, & omnia penitus Sapientum in corda migraverit, certa expendere lance deſperet, cui nam ex ipſis fœlicius rerum Natura præbuerit videndam ſe, & quis veri ſtudio flagrantior alta mente ſubiverit cælum.

(2) At Rhetori, quem ſacra Poetarum allicit gloria, omnibus profectò nobilibus Artibus, & Doctrinis labor impendendus eſt: aut ſteriles deinde ramos futilium nugarum extendi cernet, qui aſpectu ſolùm blandiente oculos paſcent. Non aliter vividæ carminibus vires ineſſe queunt, quàm ſi Vates ad omnes Naturæ partes acceſſerit: ſi Mores calleat, & animorum motus: ſi cælo ipſi, & cæli arcanis, lumina mentis intenderit; alioqui enim ſi verbis luxuriet Carmen rebus inane, numquam abſtruſos ipſius in venis doctrinæ ignes licebit excutere, numquam ex nubibus Veritatis Solem educere.

(3) Sed enim, inquies, licet omnibus non ſit Rhetor ipſe Doctrinis eruditus, mutuari tamen ab aliis earum notitiam facili negotio poterit. Apage, quicumque iſta obgannis; ſi enim auguſta Naturæ ora ſuis pingere coloribus ambiat Vates, & Authores conſulat, quos cœcas rerum cauſas indagare aggreſſos plures diverſa Sententia ſcidit in claſſes, niſi pugnæ Arbiter ipſe Rhetor omnem verſare poſſit in partem rationum momenta, deteriores frequentiſſimè opiniones eliget. Sexcenta liceret afferre Exempla Rhetorum, qui turpiter errarunt ſequuti delirantes Philoſophos. (1) Hinc Tonitrua, & Fulmina, Vulcani, aut Veſtæ riſum eſſe dixerunt: Ventos Æoli antro incluſos, & conſopitos, identidem ab illo ſolvi e carcere: Lactea Sydera lac eſſe Junonis, aut veſtigia Phaetontæi Currus, quia ita ſtatuit Pythagoræ acumen. Quotidie ad juventutem revocari Solem Oceani aquas depopulatum, cum ſolummodo amaror ſubſidat, ne inſano potu maria omnia ſorbeat publica lampas Mundi; namque hæc mœſtæ Eracliti menti ſomnia illuſere. Mori quotidie, ac renaſci nova Sydera, namque hoc Atticis in hortis Epicurus, & poetica Leucippi ſcripta docuerunt. Innumeras eſſe rerum Univerſitates, quas Democritus tantùm effinxit. Denique ſi quærens Poeta,

> *Cur Euri tonet alta domus: quæ fulmina Numen*
> *Molitur dextrâ, quibus olim incocta caminis,*
> *Et quibus in nubes fuerint elata Miniſtris;*

cæteraſque venatus latentes rerum cauſas aliorum ſequatur verba, neque ſuis ipſe ponderibus poſſit Veritatem expendere, in Labyrinthæos illum calles inducet veterum Philoſophorum opinio, ſuoſque frequenter in caſſes illum trahent mendacia.

Sua ergo per veſtigia redeunt in orbem Doctrinæ omnes, & licèt diverſa lege ſuum quæque iter videatur inſiſtere, nulla tamen reliquas profectò deſtituit. Quid magis a Rhetorica diſſitum dices, quàm inſanientem illorum Sapientiam, qui certo examine metiri cælum auſi ex vario Stellarum ortu, & interitu, augurari ſe poſſe putant futuros eventus, & eos etiam, qui ab humana pendent libertate? Sed niſi Muſarum cultor noverit, quid quæque ſeries aſtrorum portendere dicatur mortalibus, & omnia inanium Aſtrologorum arcana, numquam Satyrâ perſtringere poterit doloſos Chaldæos, qui ſtellis inſontibus humana ſcelera affingunt, ut authore cælo per omne flagitium liceat impunè graſſari.

(2) Craſſus quidem apud Ciceronem de Oratore affirmat, hæc non præſtari ab ipſa Rhetorica facultate, ſed a Rhetore ipſo ut aliis diſciplinis imbuto. Quid hoc porrò refert? Verborum litem minimè intexam, dummodo rem ipſam obtineam, atque conſtet,

(1) *Et Philoſophos, ac Theologos, ideoq; animo amplecti, quæ ſcripſerunt variarum Scholarum Principes.*

(2) *Vero Poetæ neceſſariæ Scientiæ omnes.*

(3) *Non ſufficit notitia, quam ab aliis mutuetur.*

(1) *Niſi ſententiam ferre Poeta ipſe poſſit, abſurdiſſimas res inſeret Carmini.*

(2) *Rejecto diſcrimine inductio a Craſſo concluditur omnes in Rhetore Doctrinas requiri.*

Digitized by Google

ſtet, ipſum Rhetorem omnibus debere Doctrinis ornari. Quid multa? Quæcumque uberi facundia illuſtrari poſſunt, ex Ariſtotelis, ac Tullii, omniumque Sapientum placito Rhetoris imperio ſubſunt. Ut his omnibus lucem queat affundere, omnia neceſſe eſt peragraverit regna Naturæ, Cœlum adiverit animo, eoque hauſerit arcanas rerum omnium cauſas. Cumque altera cura incumbat Oratori, ut videlicet dicendo mentes expugnet, numquam e quovis corde referre poterit palmas, niſi quævis Doctrina ſuggerat ingenio tela: aut ſi evertet inertes Vulgi, haudquaquam doctas Sapientum mentes proſternet: neque Romanorum gloriam æmulabitur, qui quovis meſſuerunt e littore palmas; cum contra nullum aliud Imperium conſequutum ſit univerſales triumphos; quin potius brevibus Macedo, feris Perſa inclaruerit: Aſſyriis Mare, Athenis Tellus bellicum decus inviderit.

(1) Statutâ Rhetoricæ cauſâ, a qua Doctrinarum omnium præſidium requiri liquidò patet, ipſius Oratoriæ, ac Poeticæ facultatis conſortium amari, & omnino exigi ab Humana, ac Divina Sapientia paucis oſtendi primò ſine ambagibus poteſt allato Veterum, ac Recentiorum (quorum plurium aſtantium modeſtiæ parcimus) exemplo Sapientum, qui Charitum, Suadæ, ac Muſarum cum Minerva fœdus ineundum docuerunt, cum altiora profeſſum animum amœnis etiam Diſciplinis præbuerint excolendum. Utriuſque certè, Humanæ nimirum, Divinæque Philoſophiæ Principes, illius Plato, & Ariſtoteles, hujus Auguſtinus, eximii Rhetores fuerunt adeo, ut quemdam facundiæ Deum Secundinus dixerit Afrum (2) Ingeniorum Phœnicem, quem nobis aſſerere non minus, quàm Theologi, Rhetores poſſumus; quamvis enim utramque facultatem calamo exornaverit, hanc tamen ſecundam vivæ, ut dicitur, Oraculo vocis auditores edocuit. (3) Si Divinum propemodum ingenium Platoni fuit, haud impar menti fuit lingua, qua loquuturus Jupiter, ſi umquam mortales alloqui dignaretur, Athenis credebatur. Quæ Ariſtotelis facundia, quæ aurei ſermonis gratia illius Doctrinam illuminat! (4) Si quicquam Ciceroni credimus, haud fluxit auro ditior Hermus, aut Tagus. Idem Tullius Theophraſtum inſigni verborum cultu, quaſi Numen aliquod, veneratur. Sed quid ſingulos enumero? Unus tantummodo e priſcis Philoſophis Epicurus lutulentæ mentis vitium inquinatis verbis exhibuit.

(1) Nunc verò degener ætas, quam barbaries expulit Latio, & ad Africæ arenas damnavit, horrida conſultò ſeligit verba, & ſuis ſuperba vitiis incedit, dum ſtudiosè a ſe corrumpi dicendi formas profitetur. Non omnes ego linguæ delicias ab Interprete Naturæ afferri: non ab eodem ſibi ipſi irato, ut Poetæ conſueſcunt, verba ferè omnia retexi: non facunda ipſum in arte ampullari velim: modicum eſſe cultu indulgeo, eidemque author ſum, ut verba ſibi, non ſe ipſe verbis ſubiiciat. Penitus excindi profectò nequit oris vitium, & barbaries recenti Philoſophiæ inhærens: at ſaltem mediocria ſint crimina, & quibus poſſint eruditæ aures ignoſcere.

(2) Et quoniam eſt modus in rebus, & Decori ratio ſemper habenda eſt, ornamenta dicendi omnia, præter illa, quibus concitantur animi motus, & res eloquenter amplificantur, opinor a Philoſophis, ac Theologis admitti. Quamvis inficias iverim numquam, Sacerdotes Veritatis, qui alios orationis ornatus contemnunt, maximarum, quas docent, rerum pondere prodeſſe plurimùm Reipublicę poſſe, dummodo illas apertè, ac dilucidè, licèt non eleganter, ac diſertè, auditoribus tradant; tamen (quia doloſa ipſi ratiocinatione non rarò decipiuntur, eâdemque fortaſſe aliquando, ſaltem cum humana, & levia pertractant, alios captare ſatagunt) niſi ſuavibus verbis aures occupent, & plurium ornamentorum illicio animos ſubeant, haud pronum ipſis erit ſuam in ſententiam alios rapere, & ad plauſum dandum excitare theatrum. (3) Eos videmus excipi acclamatione frequenti, qui nunc aperto candidiſſimè ſermone uti videntur: interdum urbanè donante hoſti id, quod negari nequit: ſuum modò conſilium diſſimulante: nunc ea, quibus magis fidunt, extenuante: & quandoque ſuperbè adverſarium urgente, veluti certa victoriæ ſpes mentem attolleret, quando illam re ipſa deiicit timor. Qui ergo eruditis in certaminibus recludunt adyta ſecretiora humanæ, divinæque Scientiæ, plurimas Oratoriæ Ar-

(1) *Expenditur conſortium Oratoriæ, ac Poeticæ quærendum a Philoſopho, ac Theologo*.
(2) *Exemplo præſtantiſſimorum Sapientum, v.g. S. Auguſtini*.
(3) *Platonis*.
(4) *Ariſtotelis*.

(1) *Querelæ de barbaro Stylo, quo nunc frequenter Scientiæ traduntur*.
(2) *Quæ ornamenta dicendi conſentanea ſint Philoſopho, ac Theologo*.
(3) *Ipſis quoque proſunt Figuræ*.

Digitized by Google

tis dotes, ac præcipuè Figurarum lepores, opportunè uſurpant.

(1) Actio ipſa, qua univerſam perſuadendi vim contineri Demoſthenes dixit, quod robur addit argumentis Philoſophorum! Enimvero ſi vaſti geſtu, ſi voce inconditi latrent, aut mugiant, impunè illos ferre nequit illuſtrium Auditorum corona. Siluiſſe optat, aut causâ cadere, quos Actio nulla commendat. Contra verò, qui ſua effata neque timidè, neque gelidè, ſed urbanè tamen tuentur, & officiosè, his avidiſſimas aures præbent, his faventibus luminibus inhærent.

(2) Et erit, qui contemnendum a Philoſopho, ac Theologo Rhetorum artificium putet, a quo tantum ipſi præſidium, ac robur accedit? Unum quærendum ab ipſo Verum affirmas, utcumque nudum ſit, veſtium, hoc eſt verborum, ornatu ſpoliatum? Sed plerumque Veritas ſqualet ingloria, ſine cultoribus, ſine aſſeclis, niſi a phaleris, quas dicis, & bracteis illuſtretur. Utinam nullis fucata coloribus Sapientia mentes alliceret. Non ego Reginæ huic Attalicas Veſtes, ac Tyriam Purpuram aptari præciperem. Sed niſi fulgorem illa chlamydis induat, raró amorem ſpectantium incendit. Illuſtre profectò eloquium facilius Sapientiam animo inſtillat, & artifex lingua ad cognitionem Veritatis invitat: perinde ac pulcherrima forma vultus amorem prodeuntis quodammodo ex oculis animi laceſſit: cum contra exuta verborum luminibus Veritas paulatim deſipiat, & effluat mente.

(3) Idcirco ſeverioris Doctrinæ conſultiſſimos viros ad guſtum Sapientiæ proritandum interdum relabi videmus ad Authores, qui elegantiæ leporibus lectori lenocinantur: ad ipſos Poetas accedere, a quibus plurima edoceri ſe profitentur. (4) De Sapientum omnium Magiſtro Ariſtotele liquet, magis ab ipſo culta fuiſſe oracula Homeri, quàm quæ ab Apollinis Delphica cortina prodibant. Et certè ſi profundas etiam nunc Vatum latebras ſub Allegoriæ ſipario Philoſophis ſubire libeat, ipſorum ab illis ſtudium ali videbimus; nam, quæ humani animi, cæterarumque rerum natura ſit, fœliciter ex integumentis illis evolvent.

Sed leviora ſint hæc, quibus tamen percommodam eſſe ad finem humanæ, Divinæque Doctrinæ penitus aſſequendum, Oratorum, ac Poetarum Artem planè conficitur, adeoque ſine illa numeris omnibus abſolutum non eſſe utriuſque Sapientiæ cultorem. (1) Accedunt validiora rationum momenta, quibus neceſſarium penitus, Theologo præſertim, eſſe Rhetoricæ conſortium evincitur; niſi enim egregia is Arte dicendi præſtet, & niſi illum eloquii Charites decorent, ac linguæ Suadela, ut vincet animos, quos libido mancipat, aut aſperat furor, aut auri ſitis incendit? Ut in Sacris Conciliis tuebitur Fidei Cauſam graviſſimorum Præſulum, & ipſorum quoque Regum animos aureis catenis innectens? Ut ſcriptis Voluminibus de Religionis Controverſiis Hæreticorum retundet audaciam, qui plerumque lepore verborum, ac ſententiarum, ad animorum perniciem velificantur?

(2) Fœderatæ cum Rhetorica Theologiæ illuſtre ſtatuit Exemplar Sfortia Purpurati Senatus, noſtrique Ordinis inclytum decus. Debellandus erat hoſtis, quo pernicioſior nullus: illum lactaſſe Charites videbantur, licet formandum Furiis animum præbuiſſet. Quis illius artes enumeret, quibus in Verum, & Veritatis vindices Tridentinos Patres ſparſerat immanem tartarei pulveris vim? Quæſitus fuit, qui ad humum audaciſſimam belluam allideret paribus armis congreſſus. Sed niſi cum inſigni linguæ cultu eximia Doctrina conſpiret, fruſtra quiſpiam tentabit elidere hujuſce canis guttura nimium blanditi lectoribus. An enim duo convenirent, & ille, cui Sapientia ſe ipſam indulſerit, ſcribenda proferret, alter verò, cui ſuo nectare Suada calamum imbuerit, victuris illa paginis conſignaret? Inania profectò vota; Theologicam enim Doctrinam ille tantùm eleganti veſtire ſtylo poteſt, qui eamdem penitus animo hauſit. At quem a ſeveriori Scientia procul abſtinet animi ſtupor, & hebetudo, ſudet multum, fruſtraque laboret auſus induere ſecreta Divinitatis ornatu verborum. (3) Everti ergo non potuit infenſiſſimus Romani Nominis hoſtis, niſi ab illo, qui in utraque laude Rhetoricæ, ac Divinæ Scien-tiæ

(1) *Et Actio.*
(2) *Refellitur id, quo ſe tuentur inquinatè ſcribentes.*
(3) *Viri Sapientiſſimi ſæpe relegunt elegantes Auctores.*
(4) *Et ipſos Poetas, quos non raró Ariſtoteles allegat.*

(1) *Theologus, niſi præſtet Arte dicendi, non defendet pro dignitate Religionem in Sacris Conciliis.*
(2) *Exemplar conjungendæ Rhetoricæ cum Theologia in Sfortia Cardinali Pallavicino.*
(3) *Abſque hoc conſortio profligari nequiviſſet Petrus Suavis.*

Digitized by Google

tiæ Cæſar eſſet. Mitibus ipſe, atque ſeveris Muſis ex æquo charus quantùm hoc præclaro fœdere Romanæ prodeſt Fidei! Quæ caſti ſermonis gratia! Quæ vis & regia forma ejuſdem! Quas regendis populis ſtatuit Leges! Ut paginis oppidò paucis clarius ediſſerit arcana Divinitatis, quàm prægrandibus alii Voluminibus! Ut Adverſarii acumen contra ipſum plerumque pugnare oſtendit, & vecordem Proteum eludere prohibet aurea vincula, quæ ipſi innectit! Jamque hic per ora virorum volitare conſuetus collapſis nunc pennis humilis jacet. Naturam quæris, aut artem? Utrâque prodigioſus dicitur Pallavicinus: cumque alios cæteris Operibus vicerit, una ſe ipſum in Hiſtoria vincere perhibetur: cumque fœcunda ipſius mens plurima ediderit, hoc præ cæteris ejus Opus immortale futurum putatur, ſupra quod, ut inquit ille, ſecula cana palleſcent, eò quòd idem cum maximarum rerum pondere difertum eloquium mirificè ditet. Has niſi in eminentiſſimo Theologo dotes Maximi Pontifices inveniſſent, hucuſque ab aſperrimi hoſtis Suavis ludibriis integerrima Religio fortè traduceretur. Et erit, qui neceſſariam Divinæ Scientiæ Magiſtris Rhetoricæ Artis cognitionem abſolutiſſimam neget?

(1) Quot porrò ſcribenda ſuperſint, quæ Oratoriæ, ac Poeticæ Facultatis cum Theologia conſpirationem requirant: utque Sanctiſſimi Exemplo Auguſtini, qui Facundiam, & Eruditionem Ethnicorum in ipſos retorſit in Divinis Libris de Civitate Dei, Rhetoricis coloribus exornatum Theologicum Opus in Recentiores Hæreticos exarandum ſit, qui humaniorum lepore literarum ſe in animos inſinuarunt: iidemque contemnunt Stylum, quem Scholaſticum dicimus: utque alio in Opere Theologiæ arcana Poetico melle ſpargenda ſint, quia Didaſcalico aliàs Carmine ſtatui, nunc dicere ſuperſedeo.

(2) Vos interim, egregii Adoleſcentes, quorum in vultu fulget experrecti animi vigor, ite, quò vos inclyta mentis vis invitat, & illuſtres animos perpetuo cultu exercete. Nunc primùm ad dulces Muſarum fontes accedite, ac ditiſſimam Suadæ Regiam frequentate. Deinde acri ſtudio aggreſſi ſecreta rerum clauſtra pervadere, Philoſophiam Poeſi conſerite. Tum Patriam repetat edita Cælo mens, & cæterarum facultatum ambitum emenſa in Divina Scientia conquieſcat, quæ contemplata Naturam Numinis Immortalis delibandam præbet ſitam in ipſius illuſtri cognitione Dei Sempiternæ Fœlicitatis uſuram.

(1) *Scribenda ſuperſunt plurima exigentia nexum hunc.*

(2) *Parænesis.*

PROLUSIO XII.

Ad Ciceronem Demoſtheni anteferendum ipſi Græci adiguntur.

HAberi (1) frequenter in Parnaſo de nobilibus Diſciplinis, & arte regnandi Comitia, & plurima, quæ mortales peccant in erudita, civilique Republica, coargui ab emenſis ævum Sapientibus Viris, acutus Auctor lepidè comminiſcitur. Ejus exemplo habitum in Suadæ Regia certamen Oratorum referre juvat, quo veterem controverſiam plurimi recoquentes de Principatu Facundiæ, multi eumdem Demoſtheni, nec pauciores Tullio adjudicabant. Mirum in modum animis blanditur Imperium; ideoque illius expertes umbratili tamen ejus imagine paſcuntur, aut carpendo Reges, aut de unius ſupra alios Regnatores præſtantia diſſerendo. Quemadmodum ergo in conclavi Laurentii illius Medicei, qui profugas Muſas primus Italorum humaniſſimo excepit hoſpitio, Regnorum pondus explorabatur, ita in Præſidis Oratorum Divæ Regali Aula pretium facundiæ, quæ in Athenienſi, Romanoque Foro, & Curia dominata olim fuit, dubia lance ſuſpendebatur. Cum gliſceret pugna, (2) juſſi ſunt a Suada Eratoſthenes Cyrenæus præcipuus Demoſthenis laudum aſſertor, & Caſſius Severus Ciceronis vindex, in concionem e roſtris proferre, quæ ſuæ conſentanea cauſæ viderentur. Quæ pro Demoſthene dixerit Eratoſthenes, ex iis, quæ illum refellens pro Tullio reponet Caſſius, comperta erunt.

(3) Fruſtra videri poſſim in arenam deſcendere, certamen gloriæ pro Tullio contra illos, qui Demoſthenem depereunt, ſubiturus, cum triumphum jam cecinerit eruditus hoſtis: & Pœana, ſi Superis placet, inaudita parte pangere aggreſſus neſcio quas Atticas, aut verius Bœotias Muſas induxerit. Contendere durum eſt cum victore, inquit Horatius. Arduum ne etiam fuerit cum illo decertare, qui ſe victorem gratis jactaverit ante pugnam? Græcis ingenioſiſſimis viris, & eloquentiſſimis de facun-

(1) *Ficta hujus Proluſionis occaſio.*

(2) *Juſſi a Suada Eratoſthenes orare pro Demoſthene, Caſſius pro Cicerone.*

(3) *Caſſii Eratoſthenem refellentis Exordium.*

Digitized by Google

cundiæ palma litem intendere, periculoſæ plenum opus aleæ profectò erit. Ad hæc cum Demoſthenis aſſeclis bellum ſuſcipere quiſpiam non perhorreſcat, cujus parentem Machæropœum dixerunt Athenienſes, eò quòd magnus maximorum artifex gladiorum fuiſſe perhibeatur, & ſervorum manus habuiſſe in hoc conflandorum enſium artificio planè dædaleas? Enimverò animum deſponderem, niſi fiducia cauſæ me ad dicendum accenderet, quam dum alacris ſubeo, faventes mihi pro veſtra humanitate aures præbete, Judices ſapientiſſimi.

(1) Palladiâ Demoſthenis Patriâ triumphat Eratoſthenes, cum tamen Pœanienſem illum fuiſſe memoret Theopompus. Sed eruditus Athenis fuit in Urbe ingeniorum altrice, ac Regia Sapientiæ? At Romæ Arpinas Tullius, in theatro videlicet fortaſſe non impari, in quo facundiæ ſtudia flagrabant: in Republica florentiſſima, & latius imperante, & in qua maxima erant eloquentiæ propoſita præmia. Quod ſi ſplendor Urbium Artes, præſertim forenſes, alit, majus certè a majori in Europam, Aſiam, & Africam protenſo Urbis imperio alimentum ſuſcepit aurea Ciceronis lingua, illius præſidio ad honores ampliſſimos, & ad ipſum Conſulatum evehi, ardentiſſimo ſtudio geſtientis.

(2) Si verò plurimùm ad excolendum dicendi artificium conferre potuit Græcia, hoc certè Athenæ ipſæ, ac Rhodus Tullio contulerunt: quibus in urbibus diſertiſſimis quo plauſu fuerit idem in cælum elatus, Græcè, ac Latinè perorans, quibuſque lachrymis Apollonius Molonis ſuis eripiendum ab illo facundiæ Regnum indoluerit, Plutarcho Græco Auctori narrandum deſtituo; neque enim hæc in Parnaſo, in Græciæ ſcilicet ſinu, ſunt a me vulnera refricanda. Illud ſolùm adiicio, exprobrari certè Romam Ciceroni non poſſe.

(3) Quæ plurima de laudibus Demoſthenis, non inſtituta interim cum Tullio comparatione, ſunt recenſita, libens excipio. Quin ultro, prætermiſſas ab Eratoſthene, in illum congeram dotes, Iſocratis nimirum flores, Hyperidis mella, Æſchinis pondus, Phaleræi robur, Iſæi flumen, fulmina Periclis. Neque enim Pitheam audio, qui minimè ingenioſiſſimum fuiſſe affirmat. (4) Pernego, quæ relati a Chœronenſi Philoſopho plurimi Græci Auctores in illo criminantur, auſterum præſertim, ac durum appellantes; Demadem, dicentes, ubi naturam ſuam ſequeretur, Demoſtheni præfulſiſſe: ac ſuperatas ab extemporali illius dictione hujus lucubrationes, & apparatum: & eum quidem Athenis dictum fuiſſe, Theophraſto Judice, Demadem ſupra Athenas. Acriorem prætęrea viſum in dicendo Phocionem, teſte Polyeucto Sphettio; imò Demoſthenem amicis faſſum, cum dicere Phocion adoriretur: Mearum ſecuris Orationum exurgit. Tullius verò Latinis Oratoribus facundiæ coronam ſine dubio præripuit.

Magnus quidem Demoſthenes, ac diſertiſſimus fuit, niſi potius illum facundiæ Numen aliquod compellemus. Ex illius Orationibus pulcherrima illa cenſetur, quæ magis in longum producta, ut Tullii verbis utar. (1) Sed hæc illi attributa præconia laudes interea non hebetant Ciceronis. Profectò ſi ex communi doctorum proloquio, ut Quintilianus inquit, ſubtrahi nihil Demoſtheni, nihil adiici Tullio poteſt, huic decerni videtur Eloquentiæ Regnum; utcumque enim nihil alteri adimi ſine cauſæ incommodo queat; at certè non conſtat, nihil ab illo prætermiſſum, quod cauſæ conferret. Quod ſi nullum Ciceroni verbum ſuperaddi valet, omnem liquet ab illo facundiam exhauſtam fuiſſe. Inani porrò eumdem copia minimè luxuriare, adeo præ me fero, ut ultro in me recipiam partes ineluctabilibus argumentis efficiendi, breviſſimum illum Oratorum videri poſſe, eò quòd in illo redundet nihil.

(2) At curtum ſermone rotato enthymema Demoſthenes frequentiſſimè intòrquet. Et quiſpiam principem ratiocinandi laudem invidet Tullio, qui ubique in ipſis etiam Orationibus philoſophicum ſpirat ingenium? Præter Opera, quibus intimum a ſe aditum philoſophiæ ſacrarium oſtendit, quod minimè Demoſthenes præſtitit, Lepores, & Charites, vim in motibus animi concitandis, perorandi artificium, in Tullio majus fuiſſe, communis Sapientum opinio fert.

(3) Sed ipſam in utroque Artis naturam expendere aliorum munus eſto, & perarduum

(1) *Præfertur Roma, quæ Tullium excoluit, Athenis, quæ Demoſthenem.*
(2) *Ipſa Græcia Ciceronem admirata eſt, græcè, ac latinè perorantem.*
(3) *Demoſthenis Præconia Caſſius confirmat.*
(4) *Negat ea, quæ contra illum alii protulerunt.*

(1) *Ex eo, quod nihil adiici Tullio poſſit, Demoſtheni anteferendus eſt.*
(2) *Eximiæ Tullii dotes.*
(3) *Multò magis Romanæ Cicero Reipublicæ profuit, quàm Demoſthenes Athenienſi.*

Digitized by Google

.duum quidem, ut prudenter Plutarchus animadvertit. Quod certè parta ab utriuſque facundia ſuæ Reipublicæ commoda comparemus, omnibus indulgendum, & quodammodo e prole metiamur parentem. (1) Prius tamen curſim diluenda labes inuſta Tullio, eò quòd plurima decerpſiſſe a Demoſthene, ſtrenuè dicatur. Vetus hæc eſt omnium inſimulatio, qui alios ævo ſunt conſequuti. Non ego ſelectos dicam a Demoſthene ſummo ſtudio veterum Græcorum Oratorum flores, præſertim Iſocratis, & Alcidamantis, a Callia Syracuſano clanculum acceptos: nec inficiabor, ullum in Tullio eſſe colorem Demoſthenis. Illud ſolummodo affirmaverim, quod cum eædem ſæpe controverſiæ naſcantur: cumque optimi, ut inquit ille, Auctores optima occupaverint, quæ cæteroqui aliorum etiam animis occurriſſent, optima relinquere iaiquè cogentur poſteri, ſi preſſis ab aliis ante veſtigiis inſiſtere formidaverint. Similia quædam Demoſthenis ornamentis in Tullio niteant, dum aliis pariter conſimilia ſint, quæ innumera primus excogitavit. Patebit, non ab ingenii egeſtate, ſed ad ipſa cauſa, quam agitabat, compulſum fuiſſe ad quædam Demoſtheni uſurpata minimè reiicienda.

(2) Ad exitus rerum, ad facundiæ præmia, ad emolumenta Reipublicæ allata, hoſtem provoco. Tuo ne illi primas Athenis facundia contulit? At Ciceroni Conſulatum, ſeu verius Dictaturæ vires primùm, perpetuum ferè deinde arbitrium Urbis Romæ, terrarum Orbis Dominæ, præbuit eloquentia. Græciam in Philippum Demoſthenes concitavit? At ipſius hoc Græciæ rationibus manifeſtè conducebat. Variis fluctuante ſtudiis Senatu, Populoque Romano, clandeſtinis hoſtibus publicæ rei, quibus tamen plurimi favebant, Cicero bellum indixit, inque illos exacuere commune odium valuit; licet quoſdam ex iis potentiſſimi Cives, & diſertiſſimi Oratores tuerentur, ut Catilinam Cæſar. Populo ſuaſit, ut ſua ſibi alimenta ſubtraheret in controverſia de Lege Agraria? In Clodios, Piſones, Gabinios, Catilinas, Antonios, velut hoſtes Patriæ, Urbem erexit: in quem ultimum ſcriptas Orationes meritò Philippicas nuncupavit, quia majori fortaſſe gloriæ ipſi fuit in hunc Romam, quàm Demoſtheni Græciam in Philippum armaſſe.

(1) At enim ejuſdem aurum rejecit amore Patriæ incenſus. Hanc ego numquam detererem laudem, neque contra quicquam ſubiicerem, cum extra præſentem quæſtionem ſit, niſi Tullio Eratoſthenes improperaret præconia Cæſaris Dictatoris. Philippi quidem muneribus labefactatus non fuit amantiſſimus ille Patriæ Demoſthenes tuus. Sed (præter pretium ab utraque invicem pugnante parte ſuſceptum, ut pro Apollodoro diceret in Phormionem, hic verò Apollodorum retunderet tradita ſibi clanculum declamatione ab eodem Demoſthene,) Harpalum ab Alexandro profugum Athenis recipiendum cenſuit, ne in illum diceret, anginâ prohiberi ſe ſimulans, magno cum Græciæ diſcrimine, viginti ejuſdem talentis, & aureo corruptus calice: quo nomine turpiter exulavit? cum Ciceroni exilium pepererit defenſa ab improbis civibus Roma.

(2) Hujus amor illius facundiam lactavit: pro hac ille frequentiſſimè impiorum civium telis pectus objecit: & meritò in Divina Philippica gloriatur, fato quodam fieri, ut nemo annis viginti Reipublicæ hoſtis fuerit, qui non bellum eodem tempore ipſi quoque indixerit. At Cæſarem everſorem Libertatis commendavit? Videlicet cum, eadem libertate ſubverſa, nihil Urbis rationibus eædem laudes officerent. Cæterùm cujus, præterquam Cæſaris, ſanguinem in campis Pharſalicis Ciceronis mucro ſitivit? Præconia Cęſaris optimis Civibus, & amiciſſimis Romæ Regibus, ſalutem contulere. Et maximus quidem Tullii Triumphus cenſetur, quod maximum Oratorem Cæſarem, cui artificium omne dicendi compertum erat, debellare potuerit; quamvis idem, præjudicatâ jam Ligarii causâ, Ciceroni aures animi tantùm gratiâ dare, mordicus decreviſſet.

(3) Mortem a Demoſthene ſuſceptam ultro concelebrent, quibus illuſtre decus videtur. Gladiatoris hæc, non Oratoris, eſt palma. Prudentiſſimè Cicero ad Brutum fugam ornabat, cum ab Octavio proditus, interceptus ab Antonii ſatellitibus fuit. Strenuus demum fuerit potando venenum Demoſthenes: certè fugam a prælio turpiter arripuerat projecto clypeo: & ſuſcipere detrectavit Legationem ad Alexandrum, cui veluti puero inſultaverat. Cicero Exercitibus

(1) *Nihil obeſt, quod nonnulla Tullius ab alio decerpſiſſe videatur.*

(2) *Præſtant exitus rerum, & facundiæ præmia Tullio collata.*

(1) *Retorquetur laus Demoſtheni attributa, & ab Eratoſthene Tullio negata.*

(2) *Summus in Tullio amor erga Patriam.*

(3) *Laudatæ Demoſthenis generoſitati Tulliana præfertur.*

Digitized by Google

bus præfuit, & re fœliciter geſta ſalutatus fuit Imperator.

Delibavi, Judices, quædam, quæ cauſa poſcebat. Cæteroqui controverſiam abrumpere malo, quàm perorare. Fuerit ſanè uterque maximus, ac prope Divinus: ad quem exornandum natura, virtus, & fortuna ſplendidum certamen iniverit: ſuaſque utrique divitias omnes Regina cordium Suada contulerit. Utri verò liberalior extiterit, quis coram ipſa Suada ſtatuere audeat?

PROLUSIO XIII.

Ab argumentis, quibus Morum Philoſophiam impetunt Sapientiſſimi Viri, ejus gloriam plurimùm augeri.

NObilis alicujus Scientiæ magiſterium aggreſſi in ejus aliquando commendationem effunduntur, nec deſunt, qui ex innato cuilibet amore operis ſui cæteris omnibus illam anteferant, Auditores Religione, ac Sapientia præſtantiſſimi. Ex iis celeberrimus, quique Romanâ deinde Purpurâ inclaruit Vir, cum varias prius illuſtres Facultates in hoc Athenæo profeſſus eximiè fuiſſet, atque noſtram ipſam Doctrinæ Morum diſceptatricis egregiè ſpartam pertractaſſet, præferre ſemper aliis conſuevit illam, quam tunc excolendam præ manibus habuiſſet. Lepidum hoc in illo videri potuit, qui traditam prius Philoſophiæ, quæ univerſam Naturam contemplatur, palmam ejus deinde ipſemet e manibus rapuit, ac Morali vindicavit, atque huic ademptam poſtea tribuit DivinorumArcanorum Scientiæ. At ego adeo procul ſum a conſilio decretoriam pugnam inter pulcherrimas Diſciplinas, velut olim certantes Idæo in monte Divas, inſtituendi, (1) ut licet Socrates dixerit apud Platonem hanc unam eſſe dignam, cui addiſcendæ ſtudium ſolertiſſimum impendatur, atque ipſe Plato ingenioſiſſimis confecerit argumentis deteriorem ignoratione ipſa quamlibet eſſe cæterarum rerum Scientiam in eo, qui profundâ noſtrę notitiâ deſtituatur, tamen & de aliarum ego dignitate deteram nihil, & parcam eas innuere laudes, quas plurimis poſſem e fontibus in noſtram abſque ulla comparationis invidia derivare. Illa ſolùm conabor evertere, quibus Maximi Viri hanc infra reliquas abiicere adorti ſunt, eò quòd non hæreat in cognitione, ac æſtimatione rerum, ſed conſummationi operum addicta iiſdem quodammodo famuletur. (1) Hæc porrò, quæ contra nos afferri ſolent, quæque nullius eſſe ponderis enitar evincere, quia pleraque petuntur ab Ariſtotele, nolim opinetur aliquis me illius alioquin ductum in tractatione rerum minimè ſequuturum; nunc enim in Proluſione moliri aliquid licet contra ipſum ſcientium omnium Magiſtrum. Urgebo igitur, Doctrinam de Moribus ad Virtutem conformandis, utcumque ob alias cauſas conſpicui nihil haberet, at ob eas certè, propter quas aliis ſubiicitur a Sapientiſſimis Viris, videlicet quia ſervit hominum commodo, inter cæteras eminere, novaſque idcirco artes excogitandas, ut eadem in poſterum multò plura pariat emolumenta publicæ rei: quæ artes, quales futuræ ſint, oſtendetur.

Singula infringenda ſunt, aut etiam retorquenda, quibus impetimur argumentorum tela. Poſtquam Ariſtoteles in admirabili Exordio Metaphyſicæ præfatus fuit de infuſa hominibus a Natura cupiditate ſciendi, ac de ſerie, qua neceſſariæ primùm Artes inventæ ſunt, deinde aliæ conducentes ad vitam jucundius tranſigendam, ac demum Scientiæ tum in una contemplatione conſiſtentes, tum alicujus operis effectrices: (2) primas nulli utilitatis aucupio mancipatas affirmavit eſſe omnium nobiliſſimas, quia præſtantiorem ſeligere contemplationis materiem potuerunt: qua Seneca quoque de cauſa tantùm eas dixit aliis antecellere, quantùm humanis divina, ſique ab iis addiſcendis homines prohibendi eſſent, fruſtra illos ad agitandam vitam admiſſos fuiſſe. (3) Earum ſolummodo Profeſſoribus inditum fuiſſe, Philoſophus ſubiicit, Sapientum nomen. Eas ita cæteris imperare, ſicuti Liber Servo, quia hic ad alienum bonum dirigitur, cum alter ſuum ſolummodo, dum operatur, commodum ſpectet, aut ſicut idem Dominus Oeconomo dominatur, (quæ ſecunda Comparatio affertur initio Libri primi Magnorum Moralium,) licet enim hic aliis præcipiat famulis, omnibuſque ſe domeſticis rebus immiſceat, nihil tamen horum præſtat in gratiam ſui, ſed cuncta ad quietem Domino comparandam, ne tenues curæ a gravioribus illius mentem negotiis detorqueant. Ita Præſes Morum Doctrina leges imponit animi Motibus, ut con-

(1) *Socrates celebrat Moralem Philoſophiam.*

(1) *Refellam, quæ contra illam dici ſolent.*

(2) *Inutiles Utilibus Scientiis aliqui præferunt.*

(3) *Sapientes appellant Inutilium Profeſſores.*

Digitized by Google

contemplatrix Scientia omni ſoluta vinculo eniti poſſit in ſublime pennis ingenii. (1) Eâ demum unâ Sapientiâ nihil ſolicitâ operum gerendorum, pronuntiat Ariſtoteles primo Ethic: nos aſſequi poſſe Fœlicitatem, quam neceſſe eſt ſibi ipſi ſufficere. At, quæ Facultas finem ſibi ſtatuit bonum aliquod a ſe diſtinctum, & eſt utilis ad idem aſſequendum, ſibi profectò ipſi non ſufficit. Fœlicitas igitur inveniri nequit in cognitione utili, cujuſmodi eſt illa, quæ tendit ad opus perpetrandum, ſed ſolùm in Speculativa Utilitatis omnis experte.

(2) Univerſum ſpectaſtis contra nos inſtructum rationum agmen. Sed ò verè dictum alibi ab Ariſtotele *peſſimos eſſe Sapientum errores*! Non eò ſolùm videlicet, quod maximam aliis perniciem creent, ſed etiam quòd ſi ſemel a vero Sapientes recedant, ex præſtantis impetu ingenii palmarem in falſitatem abripiantur. Agite: ſingula breviter argumenta contra nos in aciem diſpoſita expendamus: cum Agamemnone ſcilicet quodam, Menelao, gemino Ajace, Diomede, ipſoque, ut dici ſolet, Achille congrediamur. Non inani ſpe lactor, perſonatos Heroas deprehendendos eſſe Therſites. A ſiti ſciendi, & a ſerie, qua neceſſariæ primùm, ac deinde oblectantes Artes, ac Scientiæ repertæ ſunt, profectò contra nos extunditur nihil. Num verò vulnus aliquod nobis infligitur a Sapientum Appellatione iis tantùm attributa, qui Doctrinas ad vitæ diſciplinam ineptas conſectarentur? (3) At pernego Nomen hoc adhæſiſſe tantummodo ærumnoſo cuidam Arceſilæ, ac aliis, qui ægroti veteris, ut inquit Perſius, meditabantur ſomnia in una poſitarum extra nos rerum cognitione verſati. An non ſeptem illi, quos univerſa Græcia Sapientes venerata eſt, adepti ſunt famam nominis immortalem propriarum quadam teſſera ſententiarum prælucentium humano generi ad Fœlicitatem contendenti, atque ab utilitate ſejunctam Sapientiam contempſerunt? An non mortalium Sapientiſſimus ab Oraculo habitus fuit Socrates, cui certè frigidus non obſtiterat circùm precordia ſanguis, ne ad Naturæ fontes poſſet accedere, ſed pertæſus inanis laboris, quo inter ſe digladiantes Philoſophi certi nihil de aliarum rerum Cauſis, ut ipſius quidem ſententia erat, aſſequebantur, totum ſe contulit ad ſtatuenda Præcepta de animo ad Virtutem excolendo?

(1) At illuſtriora, quæ menti obiicerentur, ſeligere potuerunt alii ad vitæ commoda, utilitatemque mortalium minimè reſpicientes, ac Divina præ ceteris elegerunt: quo nomine Moralis Philoſophia tantùm alteri cæleſtia contemplanti poſthabenda eſt, auctore Seneca, quantùm humana Divinis? Si Sapientia, qua noſtri nunc Theologi ornantur, deſcenderet in certamen, aliò declinandum eſſet, ac oſtendendum, pleraque Sacris Literis divinitus exaratis, aliiſque per manus traditis, cæleſtibus Arcanis, Pontificumque, & Conciliorum auctoritati magis, quàm humanæ rationi, a Divinæ Scientiæ Magiſtris deberi, (2) ac plurima noſtris ex areolis in Scholaſticorum Theologorum viridaria fuiſſe translata ad humanos Actus, ad Leges, ad Virtutes, ac Vitia, atque ad hominis Fœlicitatem ſpectantia; a Moralibus verò Theologis decerni quidem quid permiſſum, quid vetitum ſit, & plerumque ipſos non immorari in affundenda luce pulchritudini Virtutum, & Criminum deformitati, adeoque augendo nativo ad honeſtatem illicio. (3) Sed, utcumque verè nunc Theologiæ triumphus adjudicandus ſit, quid de materiæ a ſe pertractatæ præſtantia gloriari potuerunt Ethnicæ Superſtitionis tenebris involuti Philoſophi, cum quibus in præſens congredimur? Quid ex procreatis rebus deſigendam in ſe mentis aciem laceſſere valuit illuſtrius Homine preclarè ſe ipſum, Domum, ac Rempublicam temperante, natoque ad exercendam Virtutem, & acquirendam Fœlicitatem, ad quem finem obtinendum quid cætera omnia conferre poſſint, noſtra facultas inquirit? De Diis verò tam ſtolida commenti ſunt, ut ea præſtiterit ignoraſſe. Sique nonnulli aliquo veræ Divinitatis fulgure perſtricti ſunt, (4) quam Cauſarum Cauſam Indagatores Naturæ ſuſpexerunt, eamdem Inſtitutores Morum compererunt eſſe Regulam honeſtatis, Legum Originem, Supremum Bonum, & Hominis eam contemplantis Fœlicitatem. Quæ igitur noſtra rimatur Facultas, nihil decedunt aliis, quæ cæteris diſciplinis addicti venati ſunt: ac proinde verborum phaleras jactat, qui fruſtra indultam vitam affirmat non ingreſſuris in Sacrarium Speculantis aliarum rerum Naturam Sapientiæ. (5) Numerus ne fuit, & fru-

(1) *Fœlices illos exiſtimant.*
(2) *Sed Peſſimi ſunt Sapientum Errores.*
(3) *Sapientes potius dicti Morales Philoſophi.*

(1) *Non eſt illuſtrius id, quod alia Philoſophia contemplatur.*
(2) *Plurima Theologi mutuantur a Morali.*
(3) *Inepta erat Ethnicorum Theologia.*
(4) *Morales aſſequuti cognitionem Dei.*
(5) *Impugnatur Seneca extollens inutiles Scientias.*

Digitized by Google

fruges conſumere natus Seneca ipſe, quouſque aurea documenta Virtutum in Epiſtolis ad Lucilium, aliiſque Moralibus Libris congeſſit, ac tunc ſolummodo Vir cæleſti animari flamma dignus evaſit, cum ſcribere Naturales Quæſtiones incepit? Num contra in ſtipitem degeneravit Socrates, cum profeſſus cæterarum rerum inſcitiam perpetuò de Moribus diſputavit? Stipites habendi ſunt, quotquot de Materia prima, ejuſque Appetitu, de Modis, de Vacuo, de partibus Animalium, de lineis, & angulis, non altercantur; ſed Moralem, Oeconomicam, Politicam egregiè callent? Inter Belluas referendi, qui nil conferentium ad publicum bonum inſcii doctrinarum mirificè tamen Exercitibus, aut Regnis præſunt?

(1) Verùm enimverò Servi ſolummodo ſors hujuſmodi hominibus contigit, aut demum, ſi malimus, Oeconomi, abjectam quorum indolem repræſentat Scientia utilis operi perficiendo, cum aliæ ſibi tantùm ipſis natæ, ac uſui nulli aptæ, Domino comparentur? Siccine? Non ego reſponſionem mutuabor ab iis, qui ex diſcrimine inter Bonum, ſeu Finem, qui appetitur, ac Perſonam, cui Bonum, ſeu Finis idem optatur, quædam expiſcantur, ut ſervilem a noſtra Facultate conditionem excutiant; ſed alia multiplici, eaque regia manifeſtiſſimæ veritatis via eamdem aſſequar metam. (2) Quæ proportio hinc Servum inter, aut Oeconomum, ac Dominum: inde Moralem inter, ac alias Scientias intercedit, Deus immortalis? Domum illi non incolunt in gratiam ſui, ſed tantummodo, ut Domino famulentur. Ut Domi hæreant, formati non ſunt a Natura, & optima ſine illis haberi poſſet Oeconomia. In ædes ad arbitrium Domini ſtipendium ſolventis excipiuntur, dimittuntur ad ejuſdem nutum: illis demum a Domino imperatur. At Morum Scientia eo regali cultu induit prætorium Animi, ut illud incolere promereatur gratiâ ſui, & non aliarum ſolummodo inutilium doctrinarum. Naturæ Auctor cum florere honeſtatem in hominibus velit, profectò iis ineſſe amat, unde honeſtas germinet, Diſciplinam. Morali aditum ad mentem aliæ Scientiæ minimè pandunt: earum illa ære non vivit: exilium illi præſcribere nequaquam poſſunt: adeo demum illi non imperant, ut potius eadem præcipiat homini (quemadmodum ipſe Ariſtoteles cap. 2. lib. primi Ethicorum animadvertit) ut uni, vel alteri, vel nulli potius ex inutilibus Scientiis addiſcendæ ſtudium adiiciat, ideoque eſt Arbitra cæterarum. Si ergo inter ſe Scientiæ conferantur, mortalium commodo nata Moralis apertè præſtat reliquis Utilitatis nihil parituris.

(1) Porrò ſi expendatur id, quod ſolummodo contemplandum aliis, noſtræ verò Scientiæ opere ipſo complendum obiicitur, inficior, hinc ſequi noſtram reliquis ideo ſubiiciendam. Longiſſimè primùm abeſt a vero, quod Morum Doctrina expeti ſolùm queat, ut ſerviat operi perpetrando, perinde ac Famulus, & Oeconomus, tantummodo quæruntur, ut Domini voluntati obſequantur. Cum præclara ea ſint, in quæ ampliſſima hæc Facultas tendit, & eorum plerumque Cauſas, & Proprietates certò decernat, conſentaneum eſſet ejuſdem dignitati, ut ad illam animo penitus hauriendam ſumma contentione, ac nervis mentis omnibus nos ipſos intenderemus, licet nihil collatura eſſet ad opus ullum implendum. Speculationem igitur quoque, atque adeo ſe ipſam, neque Praxim tantùm, ſuum veluti Finem, ſpectat Morum Scientia; ideoque nihil illi cum Servo, aut Oeconomo commune eſt.

(2) Neque verò cæteras diſciplinas in ſe ipſis hærere, ſicut in ſe quieſcit Dominus, & ad opus non dirigi, umquam indulſerim. Niſi ſemper ipſæ in ſejunctum a ſe ſcopum collineantur, at ſemper in illum jaculantur earumdem Profeſſores. Quæ aliarum dicitur Janua, certè ut ad alias viam aperiat Scientias, molitur Logica. Laborat non rarò Phyſica Medicinæ, vel Theologiæ poſtmodum adipiſcendæ, cui pariter Sacræ Scientiæ animum præparat, & quodammodo ſolum mentis ſubigit Metaphyſica. Militari frequenter, ipſique Mechanicæ, Matheſis operam ſedulò navat. Pontificii, ac Cæſarei notitia Juris Forenſibus Cauſis enodandis, ac Populorum Regimini: Theologia, quæ Mores inſtruit, iis juxta Dei, Eccleſiæ, Pontificum leges conformandis: quæ pugnat cum Hoſtibus Fidei, eiſdem ineluctabiliter coarguendis: atque ipſa Scholaſtica, divinarumque Interpretatio Literarum, cognoſcendæ melius, & ardentius amandæ Divinitati.

(3) Neque ſubtexere omiſerim, quod ipſi aliarum Tractatores diſciplinarum (quamvis aliquando cavere plurimùm videantur, ne operis quicpiam, ac fructus ex ipſis

(1) *Injuſtè Moralis comparatur Servo, aut Oeconomo.*

(2) *Summum inter hæc Diſcrimen.*

(1) *Etiam noſtra Scientia contemplatur.*

(2) *Aliæ quoque Scientiæ diriguntur ad opus implendum.*

(3) *Et hoc inquirunt earum Profeſſores.*

Digitized by Google

ipſis manet, dum tot inanes agitant controverſias, præſertim de iis, quæ in alia Providentiæ ſerie poſſent contingere, aut omnino non poſſent, quaſi eò præclarior futura eſſet, quò inutilior, eorum ſedulitas,) ut ſibi tamen labor ſuus proſit, ſtudioſè curant, & diverſum aliquem ab ipſa ſuæ acquiſitione Scientiæ Practicum, ut dici ſolet, finem præfigunt ſibi: ſive illam nobilibus in Exedris edocendi: ſive, quæ præclaram Doctrinam conſequuntur, Lucra, & Honores. Oppidò paucos demum reperies, qui ſaltem non opinentur, veriſſimè dictum fuiſſe:

Scire tuum nihil eſt, niſi, te ſcire hoc, ſciat alter:

quique Scientiis, quæ appellantur inutiles, eo ſolùm ſtudio potiri contendant, ut earum Poſſeſſores evadant, nec ullius alterius humani, aut Divini compendii deſiderio incendantur. Quare ſi reliquæ facultates Domino, ac noſtra Servo, aut Oeconomo conferenda erat, eò quòd cæteræ inquirantur, aut quærendæ certè ſint, ſui tantùm gratiâ, noſtra verò ſolummodo in gratiam operis, proportionem omnem evanuiſſe apertè videtis.

(1) Acquieſcam in repulſo probroſæ comparationis dedecore? Affirmo a Morali Philoſophia referri Principem, ab aliis verò Scientiis, quas lucro nulli verti poſſe Adverſarii gloriantur, eos e Populo repræſentari, qui nullo in opere deſudant Reipublicæ profuturo. Pronuntiantis fiduciam admiramini? At quæ natura Principatus eſt, niſi ut, qui in ſe ipſo nimium quantum appetitur, idem ſit optandus ad publicum bonum, atque ad hoc Divino conſilio inſtitutus, ac neceſſarius: idem cæteris omnibus imperet: Leges, ac Jura cunctis diſtribuat: Artes foveat, atque Scientias: his excolendis quoſdam, Militiæ alios addicat, prout magis cenſeat expedire: ea demum omnia præſtet, quæ ad Moralem in ſingulis hominibus pertinere oſtendimus, meritam per ſe ipſam rapere omnium amores: deſtinatam, ut in hominum animis regnet, ab Auctore Naturæ, ac neceſſariam, ut, quibus aliis facultatibus cura ſit impendenda, præſcribat? At, qui ſuas inutiles eſſe doctrinas jactant, (cum e dominanti, quem inſederant, gloriæ curru fuerint excuſſi,) qui conquerantur, eò quòd illos cum Populi fucis publico nihil bono collaborantibus comparaverim? Cæterùm quid officiat dignitati noſtræ Scientiæ optimè regendorum ſolicitudo Morum, ſi Principis præſtantiæ ſupra omnes adimit nihil triplex illa præclara Servitus, qua famulatur primùm Reipublicæ, tum Tempori ad aliorum commodum inſumendo, ac Negotiis perpetuò, ac laborioſiſſimè accurandis?

(1) Atque hic Univerſitatis mihi ſcenam aperiri video ad demonſtrandum uberrima quidem Inductione, ſed perbrevi, quò nobiliores ſunt res, eò plus illis Utilitatis ineſſe, ut proinde ſpecies omnis veri detrahatur Argumento, quo Stagyrita, & Cordubenſis, Philoſophi conficiebant eas eſſe Scientias illuſtriores, ex quibus fructus, ac præſidium nullum redundat in hominum genus. An non præſtantiſſimæ inter res inanimas, eædemque percommodæ ſunt, Aurum, Margaritæ, Sol, Sydera, ipſique Cæleſtes Orbes? Erit verò, qui ſomniet nobilius cenſendum fuiſſe Aurum, ſi fulgeret ſolummodo, neque tot præterea humanis eſſet uſibus opportunum? Pulchriores, majorique habendas in pretio Margaritas, niſi tot medicis, & cor exhilarantibus virtutibus inclytæ eſſent? Suſpicienda magis, ut majoribus prædita dotibus, Solem, Sydera, Cæleſteſque Globos, niſi plurimùm influerent in ea omnia, quæ infra Lunam jacent, vel progignenda, vel conſervanda? Sterilibus, (ut, quæ infimâ vitâ vegetantur, attingam) quis umquam poſthabuit fœcundas Arbores? Inter ſenſu verò, aut etiam ratiocinatione pollentia, cæteris Animantibus mirificè præſtans Homo reliquorum pariter eſt Utiliſſimus, imò aliis omnibus neceſſarius; niſi enim condendus ipſe fuiſſet, neque procreata fuiſſent Elementa cæterorum Animantium ſedes. Deus ipſe immenſus infinitæ perfectionis Oceanus non ſolùm fons eſt Utilitatis omnis, quæ vel ab ipſo tantùm, vel a procreatis rebus in alias proficiſcitur, ſed iiſdem penitus neceſſe eſt Divinum Numen exiſtere. Affirmet nunc aliquis eas eſſe præclariores Scientias, quæ nihil afferunt lucri, ſi neque Doctrinæ hujuſmodi inveniuntur: ſique reperirentur, oſtendimus, committendo noſtram facultatem cum aliis, cæteraque omnia percurrendo, augeri Nobilitatem, ac Præſtantiam rerum ab emolumento, quod procreant.

(2) Atenim illæ cæteris præſtant Diſciplinæ, quæ afferre mortalibus poſſunt Fœlicitatem. Eæ verò ſolummodo ſunt Scientiæ hominum commodo minimè proſpicientes, nam quæ tamquam Finem inquirunt Bo-

(1) *Princeps, & non Oeconomus, exhibetur a Morum Philoſophia.*

(1) *Nobiliſſimæ ſunt res, quæ Utiliſſimæ.*

(2) *Moralis præ aliis Scientiis ducit ad Fœlicitatem.*

Digitized by Google

Bonum aliquod a ſe diſtinctum, videlicet Facultates opportunæ ad illud aſſequendum, minimè ſufficiunt ſibi, adeoque nequit earum partus eſſe Fœlicitas, quæ in ſe ipſa conquieſcens extra ſe nihil venatur. Hiccine eſt argumentorum Achilles? At Heros hic frequentiſſimè ab Homero apellatur, rectiſſimis pedibus velox πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεὺς; cum contra pedibus omnibus claudicet, & penitus corruat, quam audiviſtis, argumentatio. Verè ſolummodo dictum, a Fœlicitate numeris omnibus abſoluta nihil extra ſe ipſam optari. Sed hanc in volucri mortalis vitæ periodo reperiri quis umquam Sapiens affirmavit? (1) Quis non aſſenſus potius fuit diſertè ſtatuenti nihil hic eſſe ab omni parte beatum: ac particulam solùm hic poſſe Beatitudinis delibari? Cum hac porrò non pugnat, ut bonum requirat aliquod præter illud, quod experitur; imò neceſſariò quærendum eſt ab exoptante completam, qua nondum exultat, Fœlicitatem. Ne ipſos quidem Stoicos, atque Cynicos, ſuam Alexandri, aut Auguſti Fortunæ ſuperbiſſimè anteferentes adeo ſtolida inceſſit opinio, ut ſe undique beatos cenſerent, eò quòd egregiè ipſis judicibus contemplarentur rerum omnium, ipſorumque Deorum Naturam, & menſores animo eſſent maris, ac terræ, numeroque carentis arenæ. (2) Nec Ariſtoteles ipſe in una Contemplatione ſtatuit Fœlicitatem, ad quam alia plurima requirit adjumenta, præter eximium cultum Moralium Virtutum. Adeo ergo nihil obſtat tenui parti Fœlicitatis in hoc exilio indultæ Mortalibus, quod noſtra Facultas tendat ad Exercitationem, Uſumque Virtutum, ut potius hinc eadem ducat incrementum: cum prætèrea fruatur nobiliſſimarum, quas evidenter plerumque demonſtrat, contemplatione rerum, ipſiuſque Dei Normæ Honeſtatis, Legum Parentis, & Finis Ultimi completam allaturi Fœlicitatem. Cum igitur Beata Vita ex definitione Auguſtini ſit *Gaudium de Veritate*, eaque videlicet Suprema, & in ſe ipſa mentis oculis uſurpata: atque Gaudium hujuſmodi ſolùm interea ſperari queat; præludio ſaltem oblectatur aliquo Beatitatis optimorum Magiſtra Morum, cui vera interim, atque pulcherrima obiiciuntur de rebus illis, quibus opere impletis (ſi præterea Theologicas Virtutes divinitus infuſas animo excipiamus) ad vitam beatiſſimam enitamur.

(1) Perpetua ratiocinatione confecimus majorem affundi ſplendorem Morali Philoſophiæ ab iis ipſis, quæ ad ejus pulchritudinem nebulis involvendam Viri alioqui Sapientiſſimi excogitaverant. Jam verò cum conſtet pulchriorem illam fore, quò uberiorem utilitatem ſit paritura, indicandæ ſunt artes, quas ad eam copioſè aſſequendam inibimus.

Tres porrò hæ ſunt, quarum duas adhibere cum poſſent, antiqui Philoſophi prætermiſerunt. Tertiâ verò nequivit uti Veterum Sapientia. (2) Mirum primò videtur, quod Ariſtoteles contemplatricibus Moralem Scientiis non accenſuerit, cum eam ita tradiderit, ut ad cognoſcendos potius, quàm ad regendos Mores, ac Motus animi humani, prætulerit facem. Ut appoſito exemplo utar, docet Philoſophus Liberalitatem eſſe mediam inter Prodigalitatem, & Avaritiam, ejuſque munus in eo ſitum, ut expenſas juxta Prudentiæ Leges moderetur, ſed plerumque non recenſet, quę ſint hujuſmodi Leges, & licet aliquando innuat, quænam res ad opus deducendæ ſint, dum expendit aliarum naturam Virtutum, perparcus tamen in eo eſt, & Jejunum dixit, ex animadverſione Adovardi Gualandæ, Antonius Querengus apud Sfortiam Cardinalem Pallavicinum. Quamvis fateamur omnes penè Divinum fuiſſe acumen illius ingenii ſolertiſſimè generatim notantis innumera circa naturam ipſam rerum, de quibus diſſerit; ad eas tamen non deſcendit, quarum recenſio maximè opportuna, imò neceſſaria fuiſſet ad optimis homines moribus inſtituendos. Quæ igitur omiſit, ſedulò indagabimus, & poſt reſeratas Affectiones Animi, Virtutes, Vitia, cæteraque ad noſtram Diſciplinam ſpectantia, gradum faciemus ad ea, quæ opere ipſo amplectenda, vel vitanda ſint, uberi enumeratione explicanda.

(3) Alio quoque artificio prodeſſe conabimur raro a cæteris uſurpato, qui poſt oſtenſam Virtutis Honeſtatem, Turpitudinem Criminis, vix umquam progrediuntur ad demonſtrandam illam, quæ ab eadem Virtute in hujuſce quoque Vitæ lucra profluit, Utilitatem, ac Damnum, quod permanat a Vitio. Nos autem hoc plerumque præſtabimus; non tamen venditantes Paradoxa Stoicorum negantium perituræ

ipſi

(1) *Fœlicitas requirit aliquod bonum præter præcipuum, quod experitur.*

(2) *Nec Ariſtoteles in una Contemplatione ſtatuit Fœlicitatem.*

(1) *Eò pulchrior erit, quò utilior, noſtra Scientia.*

(2) *Quid deeſt Morali traditæ ab Ariſtotele.*

(3) *Aliud, quod deſideratur in pleriſque ejus Tractatoribus.*

Digitized by Google

ipſi ætati utile quicpiam eſſe umquam poſſe, præter honeſtatem. Paucis prætervolantis Vitæ Luſtris prodeſſe aliquando Crimina non inficiabimur, ſed rarò admodum hoc contingere decernemus, ac plerumque, & ferè ſemper, humana ipſa commoda promoveri a Virtute, a Vitio labefactari. Cum ex ea Philoſophorum claſſe minimè ſimus, qui nullum agnoſcebant Bonum, præter Honeſtum, ſibique ſufficiens Præmium cenſebant ipſam Virtutem Fortunæ inſultantem;ſed Utile quoque ac Jucundum adiiciamus partitioni Bonorum, hæc ipſa plerumque Stipendium eſſe Honeſtatis manifeſtis argumentis evincemus, non tenue ad eamdem Honeſtatem calcar Auditorum noſtrorum animis infigentes.

(1) Tertia demum ſolertia impendenda, ut maximè ſalutaris Reipublicæ noſtra Facultas evadat, erit Pugna frequenter ineunda cum demente hoſte Virtutum, quæ tentari non potuit a Veterum ullo Philoſophorum, quia Ethnicus, aut Atheus nemo in arenam prodiverat hoſtilem in eamdem Virtutem animum apertè profeſſus, & affirmare auſus humanis illam emolumentis plerumque officere. Dedecoratum ſolummodo fuit evolutum proximè Seculum ab hoc noſtri generis Portento, Nicolao videlicet Macchiavello. Suis hunc, ideſt humani commodi, armis adorti non Impium, (quod egregiè alii ſunt exequuti,) nihilque perpetuæ ſolicitum Fœlicitatis, ſed Ineptum, ac Delirum oſtendimus, ejus devicti ſpolia, veluti Corollaria, & Coronidem, identidem Diſſertationibus attexentes. (2) Ne nimiâ fiduciâ efferri cuipiam videamur,præter Specimen hujuſmodi pugnæ Sacris e Roſtris, atque ex hac ipſa temperante Mores Exedra jam datum, interrogare libet, an non ineptire dicendus ſit, qui Leges profert prima ipſa fronte puerilem quoque riſum aliquando laceſſentes? Qui ſibi frequenter, inque rebus graviſſimis contradicit. Qui, cum petulantiſſimè pronunciet Dogmata, quorum puderet ipſos nulli addictos Religioni Scriptores, ea tamen plerumque in præcipuo ſuo Libro de Principe (nam hunc præſertim expendemus) ne facta quidem in ſpeciem ratione probare nititur, ſed fidem velut Oraculo haberi præcipit ſibi? Qui dignatus aliquando ſuos argumento aliquo fulcire Aphoriſmos ſolvendis a Dialecticæ Tyrone deluditur Paralogiſmis, & frequenter affert non Cauſam pro Cauſa? Qui communem aliquam Vitæ Regulam conſtabiliri a ſe putat uno, vel altero Exemplo, quod peculiaria multa, & rariſſimè in unum confluentia, circumſtant: vel cujus etiam eventus illi contrarius fuit, quem ſpondet, veluti perpetuò ſequuturum: vel quod plurimorum contra ſe pugnantium Inductionem habet Exemplorum? (1) Qui Moralem univerſam, atque Politicam refingere aggreditur nullo ſolidæ Doctrinæ præſidio munitus, flocci faciens adverſa ſuis illorum præcepta, quos fuiſſe Prudentiſſimos elapſa omnia Secula putaverunt? Qui, ſi verum aliquando aſſequitur, arrogat ſibi Veterum Pronuntiata, vel illa ipſe pronuntiat, quæ nulli ſunt incomperta? Qui novam inſtituit Militiæ artem contemptam ab omnibus, cum poſt annos ab editione Centum ac ſeptuaginta nullus ex ea Dux quicpiam decerpſerit, nedum univerſam referendæ Victoriæ crediderit expedire? Qui Tria ſtatuit Exemplaria fœliciter adipiſcendi, & conſervandi Principatus, a quo ſui Heroes omnes infœliciſſimè ſunt devoluti? Qui omnium contra ſe odium exacuit incredibili omnium contemptu, cum, præter Principes, affirmet omne genus Mortalium eſſe Vulgum faciliimè decipiendum, ipſoſque deinde Principes præſumat non rarò ſtoliditate maxima laborare: barbaros nuncupet Populos omnes, præter Italos, atque hos dicat Civili nunc omni, ac Militari Virtute deſtitutos: inque ſuos ipſos egregios Cives audaciſſimè debacchetur? Qui nulla demum ratione aſſequitur id, quod unum præfigit ſibi, perbrevem ſcilicet in hac Mortalis Vitæ ſcenâ Utilitatem, Æternâ poſthabitâ, cum diurna in luce poſituri ſimus Leges illius omnes humanis quoque commodis obeſſe quàm maximè? Hujuſmodi ne homo inſipientis, & inepti appellationem queat excutere? Imò ejus Defenſoribus optandum eſt, ut excuſatione ſummæ Stultitiæ odium ſummæ Improbitatis deprecetur, quod de Fidiculario Falcula dixit Cicero in Oratione pro Cæcina.

Ab ingreſſuro ſingulas, quas indicavi, ſemitas exigitis, opinor, experimentum interim aliquod eorum, quæ deinde ubertim afferentur. Extant Paginæ omnino duodecim, & Columnæ quatuor, ac viginti Indicis jam editi Propoſitionum, vel primo ipſo aſpectu abſurdarum, vel invicem pugnantium, vel aliâ ex indicatis probroſâ notâ inuri promerentium. (2) Quia infinitum nunc

(1) *Pugna ineunda cum hoſte noſtræ Scientiæ.*

(2) *Ineptiæ Nicolai Macchiavelli.*

(1) *Aggreſſi blaterare contra Monaſticam, atque Politicam:*

(2) *Inſana illius Axiomata.*

Digitized by Google

nunc eſſet ire per cæteras, & contrahenda jam ſunt orationis vela, pauciſſimas accipite ex innumeris oſtentantes illico ſuam ineptiam, aut inter ſe decertantes. Penè pueriliter affirmat Capite Quinto de Principe triplici poſſe conſilio a Principe in officio contineri Provinciam aliquam vetuſtæ ſuæ ditioni adjectam, videlicet, ſi vel eam deſtruat, vel eò transferat Regni Sedem, vel ſi paucorum Dominatum inſtituat. At quem, rogo, e ſubverſa Regione referet fructum? Num verò Maximis Europæ Regnatoribus antiqua Urbs Regia deſtituenda erat, ut eam in Alſatia figerent, aut in Inſubria? Quis paucorum Principatum non infra cæteras omnes Dominationis formas abjecit? Quàm inſcitè Capite Tertio præſumit minus lædendam gentem redactam nuper in poteſtatem, ſi miſſis eò Coloniis orbetur agris, ac domibus, quàm ſi Militum Præſidio firmetur? Exarmandos numquam eſſe homines, inquit Capite Undecimo, quibus jugum nuper impoſitum fuit. Quàm præclarè nugatur, dum Capite Vigeſimoquinto Fœminam dicens eſſe Fortunam, ex eo colligit verberandam, ac impetendam eſſe, ne ſubiici nobis detrectet: ac preterea infert amicam enimvero Sortem, cum Fœmina ſit, Juvenum fore? Quid, cum hortatus Capite Vigeſimoſexto nobiliſſimum Juvenem nulli adhuc Urbi imperantem ad univerſam juri ſuo Italiam aſſerendam, ſpondet apertum certiſſimumque ad victoriam iter, ſi Equitatum ex Italicis Militibus illico inſtruat Gallico parem, ac Peditatum non imparem Hiſpano: perinde ac fabuloſus aliquis, velut e ſatis a Cadmo Serpentis dentibus, eſſet Exercitus erupturus poſt humum aratro proſciſſam a Tauris ignem ſpirantibus? Quid, cum totam novi Regni ambitu correptam Italiam, ipſis etiam in ea florentibus Rebuſpublicis in hoc votum conſpirantibus, tamquam rem exploratam, aſſumit?

Stipant ſe, premuntque ſtulta mendacia. Vel permulcendi lenociniis homines ſunt, vel iis, inquit Tertio Capite, injuriis profligandi, quæ non metuant ultionem: perinde ac fumi hæc nequeat ab extinctorum Amicis, aut Conſanguineis, aut a Populo ipſo non abſimilem ſibi ab efferato Tyranno perniciem formidante. Nulla propria Principis Ars, inquit Capite Quartodecimo, præter Bellicam. Omitti potuit a ſe Principum Inſtitutore tractatio Legum, has enim neceſſe eſt optimas eſſe inter arma. Sic ait Capite Duodecimo.

Quidni autem mendaciorum loquaciſſimus, ut de alio Tertullianus ait, ſæpiſſimè ſua ipſe dicta deſtrueret? (1) Ut cum, poſtquam in præcipui ſui Libri Epigraphe profeſſus fuiſſet a ſe agendum de Principe, non hunc deinde, ſed Tyrannum Tartareis præceptis informat. Minatus, ad Principatum ſpectantia omnia in lucem a ſe proferenda, ex his deinde nulla, & pauciſſima exequitur ex iis, quæ ipſi Tyranno conducere opinatur. Singulis quoque Capitibus Titulos præfigit nullatenus reſpondentes pertractandæ in iis Materiæ. Vigeſimo tertio acturum ſe ſpondet de modis vitandi Adulatores, ex quibus deinde modis enucleat penitus nullum. Suum aperit in Præfatione conſilium tradendarum Principi Legum, affirmans a Vulgo jacente in Valle facillimè introſpici naturam, & Acta ſedentium in Monte Principum: ac deinde Capite 18. & frequenter alibi, inculcat ignotos Vulgo penitus eſſe Principis Mores, ac Vulgum hebetiſſimum cenſendum eſſe univerſum genus mortalium. Unus videlicet ipſe de cunctis Animantibus cor habebat, veluti a Martiali celebratus hircus. Statuit Capite Tertio a Novo Principe peragenda plurima commune odium neceſſariò provocantia, eaque duodevigeſimo enumerat, ſimul cum aliis in ſummum contemptum trahentibus. Undevigeſimo autem fatetur Principem omnino e Solio ruiturum, ſi commune odium, & contemptionem incurrat. Capite Tertio ſæviendum non eſſe abſque juſta, & præſertim Rebellionis, Cauſa decernit. Sed Duodevigeſimo tollendos eſſe docet e medio cunctos ex olim Regnante Familia, & quoſcumque demum jugulari privatis Principis rebus expediat. Natos ex tempore, ac ſolida carentes radice Principatus citò areſcere queritur Capite Septimo. Sed ſtatim in ſui Cæſaris, veluti Principum Ideæ, præconium erumpit, cujus laudes mirificè identidem auget, ac mox eaſdem imminuit: arduam nunc illi fuiſſe ait, mox facillimam breviſſimi Regiminis fundationem, quam ejus aliquando induſtriæ, alienæ deinde tribuit ſtoliditati. Scelere partum appellat Capite Octavo Principatum illum, ad quem Oppreſſor aliquis Patriæ ſuorum favore Civium enititur: & Virtute comparatum paulò ante dixerat a ſuo Cæſare Valentino Duce, qui ad illum per innocui, & vel fraterni, effuſi ſanguinis alveum fuerat velificatus. Cum improbaſſet Capite Vigeſimo, ut ſemper noxias, Diviſiones in Populo ſatas a Principe, ſtatim ſubdit, eaſdem eſſe florente pace maximè opportunas fœlici Regimini. Æquitati, gratoque animo indulgendum a Victore aliquid eſſe innuit Capite Vige-

(1) *Sua Pronuntiata frequentiſſimè deſtruit.*

Digitized by Google

Vigeſimo primo, ſed duodevigeſimo apertè prędixerat proprii ſolummodo compendii rationem habendam eſſe. Mitto ſexcenta, quæ invicem componi poſſent prodigialiter inter ſe pugnantia, præſertim, ſi, (1) quæ dixerat in Libro de Principe, committantur cum iis, quæ deinde ſcripſit in Animadverſionibus ad Primam Decadem Livii, quas quidem aliquantò uberius ditavit eruditionis floribus ipſi relictis a Marcello Virgilio: quod ſibi diffiteri non auſum Paulus Jovius diſertè affirmat. Furtivis his, aut certè alienis, pennis induta cornix eorum ferè omnium Palinodiam cantat, quæ prius effutiverat; ſed ea inſipientiæ ſtrenuitate hoc præſtat, ut interim putet novum a ſe illis adiici robur, quæ antea ſtatuerat, novoque frequenter veneno paginas imbuit. Hiccine ſuæ ipſius Babilonicæ Turris everſor nebulo noſtris non eſt ſibilis appetendus?

(2) Quandoquidem igitur Scientiæ Mores inſtituentis dignitas incrementum ſumit a præſtantiori, quam parit, Utilitate, audiviſtis Artes, quibus illam conſequi pro virili ſatagemus. Ultima præ cæteris jucundius vellicabit adoleſcentes habituros tela, quibus famoſum Virtutis hoſtem confodiant, & aranearum ſubtegmine contextum eſſe demonſtrent Clypeum ab ejus Alumnis prætendi conſuetum. Hoc verò, & aliud quoque geminum, quo utemur, artificium, licet aliis dotibus non exornandum, commendabit ſaltem gratia Novitatis, quam precipuè conſectari debent tenues illuſtrium Doctrinarum cultores. Expedit recentem ſaltem hunc conatum in illis expendi, cum alii omnibus affluentes laudibus iraſcantur, ſi, eiſdem non animadverſis, toti ſint Auditores in celebrando novo aliquo illorum invento. Lepidiſſimè de hoc conqueſtus Lucianus in Dialogo, quem inſcripſit Zeuſim, ſive Antiochum Regem, in iis Pictorum, ac Ducum coryphæis ſuum quoque infortunium repræſentat. At ego nil altum ſpirans libenter acquieſcam in eo, quod Recens aliquid, ac Rei tamen publicæ profuturum, tentaſſe perhibear.

(1) *Præſertim in Libro de Principe, ſed etiam ubique.*

(2) *Conabimur, ut creſcat Utilitas, ideoque Præſtantia noſtræ Scientiæ.*

PROLUSIO XIII.

Heroicam Fortitudinem in ipſis quoque Terræmotibus fulgere poſſe.

Superioribus diebus cum plurimus eſſet de Terræmotu ſermo, & faterentur (1) plerique fruſtra ad hæc infortunia vitanda a Tarquinio primùm Priſco Rege, & Auguſti deinde Cæſaris Genero Marco Agrippa immanes ſub Urbe cloacas effoſſas fuiſſe, ac egregiè concameratas, ſi Provincias concuſſurus multas cuniculus a pluribus ſub terram milliaribus ſuſcitandus erat, ut impetu tanto quateret ſolum ab uno ad alterum mare porrectum, ipſiuſque præſertim latus Apennini ſuffoderet, ideoque deſperandum erat, ut ſulphurei exitiales ſpiritus vel per attritionem accenſi, vel concitati ad modum venti, innoxio egreſſu a ſubterraneæ Romæ januis in apertum aerem proſilirent. Cum de his, inquam, aliiſque diſceptaretur, ſuborta una poſt aliam quæſtione, fuit, qui extolleret Stoicum illud Horatii Pronuntiatum: *Juſtum, & tenacem propoſiti virum, ſi fractus illabatur Orbis, impavidum ferient ruinæ*: non pertimeſcendum videlicet eſſe a viris fortibus Terræmotum. Interrogatus tunc ego, utrum, cum inter alias Virtutes (2) de Fortitudine opportunè diſputarem, & ea quidem heroica, cenſerem, eamdem in hujuſmodi quoque terribilium rerum eventibus exerceri poſſe? Si ſtandum, inquam, eſſet Ariſtotelis Sententiæ, ad hos Fortitudo minimè protenderetur; Philoſophus enim 3. Ethicorum cap. 7. ſecernens mala triſtia, quæ ſuperant humanas vires, ut Fulmina, Terræmotus, Inundationes, ab illis, quæ humanas eaſdem vires non antecellunt, negat, in tolerandis primis oſtendi Fortitudinem poſſe. Plurimùm autem in hoc deferendum videtur ejuſdem auctoritati, tum quia nullus illo præclarius Virtutem Heroicam definivit, & nos in ejuſdem natura explicanda illius penitus veſtigiis inſiſtimus; tum quia non ab aliis Virtutibus, ſed ab ipſa Fortitudine deſumpſit Ariſtoteles Heroum exempla, ſubiiciens, tales haberi poſſe Hectorem, & quoſdam Lacedæmonios, viros Divinos a ſuis Civibus appellatos. Hi porrò Fortitudine præſertim inclaruerunt. Quis igitur opinetur, intimè a Philoſopho penetratam non fuiſſe hujuſce Vir-

(1) *Roma exempta non eſt a Terræmotuum periculo.*

(2) *Num in his exerceri poſſit Fortitudo.*

Digitized by Google

Virtutis naturam ? Cui proinde cum cenſuerit locum non eſſe in Concuſſionibus Terræ, id ipſum ab omnibus affirmandum videtur. (1) Sed veritatis amor, quo unico incendimur, recedere nos jubet a Sapientum omnium Magiſtro, & Paradoxa plurima afferre ad unum fulciendum. Sic Stagyrita de Fortitudine philoſophatus eſt, ut eam intra breviſſimos fines coarctet, vixque ulli mortalium eamdem indulgeat, ac nulli profectò Heroicum ejuſdem gradum. Idcirco hunc inquirentes multa Magiſtri, alioqui Sapientiſſimi, effata cogimur impugnare. Tot autem illa ſunt, ut ſummæ brevitati conſulentes eadem potius indicare velimus, quàm congeſtis argumentis impetere. Quamvis ejuſmodi, opinor, futura ſint, ut, licèt Paradoxum cenſeri poſſit quicquid contra Philoſophum affirmatur, uniuſcujuſque tamen ex illis veritas ſit illico in omnium mentes ultro incurſura. (2) Poſtquam igitur oſtendero, in Terræ quoque motu fortes eſſe nos poſſe, plurimos alios circa noſtram Virtutem Philoſophi lapſus enumerans contrariam ejus Auctoritatem elevabo: tum a Ratione, qua uſus in nos pugnat, probari nimis, ideoque nihil, evincam; & eamdem demum in illum facili negotio retorquebo.

(3) Ut aggrediar a primo, de quo quæſtio inſtituitur, nego, Fortitudinem, etiam heroicam, in ipſis quoque terræ ſucceſſibus fulgere non poſſe. Quamvis enim contra mala hujuſmodi humanas ad iis obſiſtendum vires ſupergreſſa pugnare non poſſent homines, cur Fortitudo exhiberi nequeat in illis tolerandis, quando divinitus inferuntur ? (4) Certè, ſicut inſanus haberetur, qui ſe ultro illis obiiceret, qui ſcilicet abſque graviſſima, & honeſtiſſima cauſa ſe ſponte conferret ad loca, quæ ſciret terræmotibus concuti, vel frequentibus fulminibus, vel inundationibus obnoxia eſſe; ſi tamen hoc præſtaret ad ſolatium incolis afferendum, vel opportunum conſilium, vel ad illos muniendos præſidiis ad iter Immortalitatis, fortiſſimus exiſtimandus eſſet. Irrideri ſolent, qui non prudenti ſolùm, ac ſancto, ſed fatuo quoque, ac puerili malorum hujuſmodi metu percelluntur. Ergo ſervari etiam quò ad hæc poteſt Mediocritas illa inter Audaciam, ac nimiam Timiditatem, in qua Virtus Fortitudinis ſita eſt.

(1) Perperam quoque Ariſtoteles inficiatur, reperiri Fortitudinem poſſe in aliis plurimis rebus, ut proinde mirum videri nequeat hallucinatum fuiſſe in iis, quæ de telluris tremore decrevit. Eodem Capite 7. lib. 3. Ethic: ait, Fortes minimè cenſendos, qui ſtrenuè perpetiuntur jacturam pecuniæ, morbos, exilia. Sed cur tales habendi non ſint, qui nec audacter, nec timidè ferunt diuturnam ægrotationem, acutiſſimos dolores, expulſionem a Patria; licèt hujuſmodi mala cum imminentis mortis diſcrimine nequaquam conjuncta ſint ?

(2) Negat ibidem, ferri fortiter poſſe Ignominiam, & Contumeliam, quæ nobis, ac noſtris immerentibus irrogentur: Calamitatem itidem, vel Excidium Patriæ, Religionis Everſionem, & id genus alia, quæ ultro aſſumit contemni non poſſe abſque improbitate, aut impietate. Sed hæc quoque, cum accidunt, num ferenda fortiter minimè ſunt ? An tunc animus deiiciendus nimium eſt per timiditatem, vel per audaciam inflandus ? Diſplicere quidem debent, præſertim quatenus alienâ culpâ inficiuntur, & opera danda eſt ad Patriæ, vel Religionis exitium ab Urbe avertendum aliqua, vel Provincia; nam Religio interire ubique non poteſt. Immeritò autem ſibi Philoſophus arrogat, ullam apparere in ferendis contumeliis, & ignominia improbitatem: aut in acquieſcendo Divini Numinis conſilio qualeſcumque ærumnas non prohibentis, impietatem ineſſe.

(3) Abs re coarctat Ariſtoteles Fortitudinem ad ſola belli diſcrimina. Quod eam invideat omnibus non conſecrantibus vitam martis arenæ liquet ex pluribus ejus Textibus, ex quibus illum ſeligo lib. tertii Topicorum cap.2. ubi apertè dicit *eam magis neceſſariam tempore Juventutis, quàm Senectutis, quia cum labores bellici ſpectent ad juvenes, hi magis indigent Fortitudine, quàm ſenes*. Neque hanc Philoſophi limitationem negat ejus gloriæ ſtudioſiſſimus P. Sylveſter Maurus, qui præclara ſua in Paraphraſi cap. 19. Lib. primi Magnorum Moralium, in quo cætera de Fortitudine alibi pertractata in compendium rediguntur, ita ſermonem claudit: *Qui igitur in periculis bellicis non timet, ſed audet, is dicitur fortis*. Sed cur Fortitudo non amplectatur

(1) *A Sententia hoc negantis Ariſtotelis recedere cogimur*.

(2) *Quid oſtendendum ſuſcipiamus*.

(3) *Fortitudo, etiam heroica, in Terræ ſucceſſionibus fulgere poteſt*.

(4) *Summa virtus urget aliquando ad inquirendum hoc diſcrimen*.

(1) *Immeritò negat Philoſophus Fortitudinem aliarum rerum perpeſſioni*.

(2) *Ignominiæ, Contumeliæ*.

(3) *Abs re coarctat Fortitudinem ad ſola Belli pericula*.

Digitized by Google

ctatur alia plurima, præter bellica diſcrimina? (1) Enimvero illius Definitio ab ipſo Ariſtotele allata congruere poteſt non ſolùm Militibus, ſed cuilibet etiam hominum claſſi; nam unaquæque temperare poteſt metum, & audaciam ex honeſto fine circa ea, quæ terrorem poſſunt incutere. Cur igitur alii, præter milites, ſpolientur hac virtute pulcherrima? Profectò demonſtratur illam floruiſſe in multis Sanctis Viris, qui procul ab armis perpetuò ævum agitaverunt.

(2) Cur præterea Fœminis, dimidiæ videlicet humani generis parti, Fortitudo negetur, ut certè illam eis adimit Ariſtoteles, cum ad illas militia minimè ſpectet, & fabuloſæ putentur Amazones, aut ſiqua ex ipſis virum ſimulans in armis exercuit ſeſe, rariſſima fuerit? Sed Fortitudinem etiam in Fœminis adeo reperiri, ut illà ſe pulcherrimè integant: *Fortitudo, & decor, indumentum ejus*: conſtat ex Divinis Oraculis Proverbiorum cap. 31. ubi eadem illis tribuitur non ob militares labores, ſed domeſticos, & ob animum omnia ſedulò proſpicientem, & cujuſcumque incommodi penitus impavidum.

(3) Quid, quod ex Ariſtotelis doctrina liquet, in ipſis quoque Militibus vix dari poſſe Fortitudinem veram, quæ ſcilicet oriatur a ſolo amore honeſtatis. Quinque ille hujuſce Virtutis tantummodò apparentes enumerat ſpecies lib. 3. Ethicorum cap. 8. primo Magnorum Moralium cap. 19. ac 3. ad Eudemum capitibus 2. ac 3. quas expendendo patebit, vix unquam aliam, quàm unam ex hiſce fictis, eſſe militibus aſcribendam. Quotus enim quiſque ex illis eſt, qui ſolo amore honeſtatis impulſus feratur ad prælia? (4) *Plerique*, inquit Philoſophus, *ab experientia fortes ſunt, veluti Milites, qui didicerunt, in hujuſmodi loco, vel tempore, vel rebus ita habentibus, fieri non poſſe, ut malum ſubeant: & proinde, qui hoc noverit, & ea de cauſa ingruentes hoſtes ſuſtinuerit, non fortis*. Hæc ille contra Veteranos.

(5) Contra Tyrones autem inſurgit dicens: *Rurſus ſunt quoque fortes ab experientiæ contrario; inexperti ſiquidem eorum, quæ evenient, ab ea rerum nulla experientia*

Tom. IV.

(1) *Definitio fortitudinis ab ipſo allata pugnat contra eumdem.*
(2) *Excludit Fœminas omnes ab exercitio Fortitudinis.*
(3) *Ex ejus Doctrina vix unquam in ipſis Militibus Fortitudo reperiretur.*
(4) *Non in Veteranis.*
(5) *Non in Tyronibus.*

ſunt intrepidi: & ne hos quidem fortes eſſe dixerim.

(1) Subiicit. *Neque fortem ob perturbationem dicere convenit.* At plerique Milites ſunt hujuſmodi; ab Ira enim, aut alio concitatiſſimo animi motu, incenduntur. Hos autem Philoſophus non fortes, ſed *lymphaticos* appellat.

Stipendium præterea, vel Gloriæ amor ferè omnes ad pugnam rapit. Pauciſſimi omnino ſunt, quos unica Honeſtas emicans in ipſa Fortitudine laceſſat ad exerendam bellicam ſtrenuitatem.

(2) Lepidiſſimum præterea eſt, quod ne ipſum quidem Hectorem, quem ſtatuit tamquam Heroum Exemplar, quique ſi ulla virtute, certè Fortitudine illuſtris fuit, verè fortem fuiſſe Ariſtoteles fatetur; imò Politicam ſolummodo eidem concedit apparentem Fortitudinis ſpeciem, per quam quis fortiter ſe gerit non ex amore Honeſtatis, ſed ne incurrat Ignominiam, vel Supplicium præſcriptum ignavis a Legibus. Talem fuiſſe, inquit, Fortitudinem Hectoris egregiè pugnantis, ne ab Æmulo ſugillaretur, & inducit illum ſic loquentem apud Homerum:

Polydamas, vereor, me carpat in agmine primus:

ſibique plaudens ob hanc animadverſionem, eam tribus in Libris inculcat.

(3) Neque tueri Philoſophum poſſumus affirmando, quod eidem ſufficiat ad veram alicui Fortitudinem vendicandam, præcipuum ejus finem eſſe Honeſtatem, licèt alii quoque veniant in ejus conſortium. Si enim hi accedant, præſumit, fortem cenſeri bellatorem minimè poſſe. Quis enim in dubium revocet aliquo ſtudio creditæ ab illo in defendendo Patre, ac Patria, Honeſtatis impulſum Hectorem fuiſſe ad ſtrenuè decertandum? Quia tamen aliquid contulit ad ejus robur exacuendum metus, ne ab Æmulo Polydamante carperetur, veram in illo Fortitudinem viguiſſe Ariſtoteles in animum nequivit inducere.

(4) Sed quomodo inter ſe cohærent ea, quæ ſubteximus? Cum ſolam honeſtatem in ipſa Fortitudine ſitam proponi Philoſophus bellatoribus velit, atque hoc repetat frequentiſſimè, nihilominus libro primo Magnorum Moralium cap. 19. affirmat neceſſariam eſſe Iram ad Fortitudinem generandam;

Q dam;

(1) *Neque in accenſis iracundiâ.*
(2) *Neque fuiſſet in Hectore, quem alioqui proponit ut Heroum Ideam.*
(3) *Refellitur Ariſtotelica Ratio.*
(4) *Eadem evertitur ab iis, quæ alibi pronuntiat.*

Digitized by Google

dam; inquit enim: *Neque tamen prorſus citra perturbationem, impulſumque, gignitur Fortitudo*.

(1) Si autem huic Virtuti non repugnare Iram Philoſophus opinatur, cur eamdem extingui putat a Spe? cum dicat eodem capite num. 6. *Sunt item & aliter fortes exiſtimati propter Spem, bonique expectationem. At ne hos quidem dicere fortes poſſis*. An non Spes multò nobilior eſt animi motus, quàm Iracundia, quæ in Militibus efferata eſſe plerumque ſolet? Ad hæc multò faciliùs rationi, & honeſtati conſentanea eſſe poteſt Spes ipſa, quàm militaris Iracundiæ furor.

(2) Videtur præterea Philoſophus confundere Spem evadendi a periculo cum Spe Præmii a virtute referendi; exulare enim juſſit a fortium virorum cohorte Veteranos Milites, quia propter experientiam ſperant ſe a diſcriminibus incolumes evaſuros. Utcumque autem illis hanc ob cauſam permittendum non eſſet Fortitudinis decus, hoc certè non caret, qui honeſtiſſima ſpe Præmii ſuos labores conſecuturi ad certandum erigitur.

(3) Non qualicumque ſolùm veræ Fortitudini nihil obſtat Præmii ſpes, ſed nec Heroicæ Fiducia præmii Immortalis per fortia contra ſe, vel alios geſta referendi, cum ipſa Spes alas animo aptans ad fortia perpetuò agenda, & toleranda, ſit cauſa honeſtiſſima, nobiſque divinitus commendata, & Sacro fulmine nuper impetiti fuerint, qui eam ſpernere non perhorruerant.

(4) Præterea, qui totus eſt Ariſtoteles in unica Honeſtate celebranda, neque hanc tantùm, vel illam, honeſtam cauſam, quæ mutari queat, ſed immutabilem ipſam Honeſtatem ſpectandam decernit, aliquando deinde recurrit ad Gloriam, inanem videlicet illam, quæ mortalium animis lenocinatur, ut perennem ſui Famam relinquant, & ad poſteros uſque protenſam prælongam quodammodo Nominis umbram proiiciant.

Et ab ejus, qui differens de Fortitudine lapſus adeo frequenter eſt, auctoritate deterrebimur ab ea concedenda in iis quoque triſtibus malis, quæ humanas exuperant vires? (1) At expendamus, quæſo, quo fundamento nitatur hoc negans admirabilis alioqui Vir. Non alio profectò, quàm quia humanis eadem viribus nequeant propulſari. Præſumit ergo, nullo alio pacto exerceri Fortitudinem poſſe, quàm hoſtibus obſiſtendo, non verò etiam conſtanter, & abſque audaciæ redundantia, vel defectu timiditatis, tolerando incommoda, quæ vel divinitus ingruunt, ut Fulmina, & Terræmotus, vel undecumque proveniunt. Sed communis aliorum Sapientum omnium perſuaſio eſt, fortes eſſe non eos tantùm, qui agunt, ſed illos quoque, qui ſtrenuè tolerant infortunia. Vetus erat Proloquium: *Et agere, & pati fortia Romanum eſt*. (2) Ne ad Angelicum confugiam Doctorem, qui hanc Virtutem decernit eſſe; *Firmitatem animi in ſuſtinendis, & repellendis his, in quibus maximè difficile eſt firmitatem habere*: (3) ipſa Fortitudinis Ariſtotelica Definitio hoc idem evincit, nam etiam in ferendo dari poteſt Mediocritas inter audaciam, ac timiditatem: & abſurdiſſimum eſt, quod hujuſmodi malorum tolerantia nequeat ad Virtutem aſſurgere: neque ad aliam certè illa, quàm ad Fortitudinem, revocari poteſt.

(4) Cæteris omnibus antecellit heroicum illud Fortitudinis experimentum, quo Martyres Veram Fidem profuſo magnanimo ſanguine conteſtantur. Si autem inſiſtendum eſſet Ariſtotelicæ opinationi, nullus, nedum heroicus, illius gradus concedi poſſet egregiis Teſtibus integerrimæ Religionis; Philoſophus enim ad Fortitudinem requirit ſtrenuum cum hoſtibus Congreſſum, qui quoniam dari nequit cum cauſis Tellurem de ſuo ſtatu commoventibus, deſperandam præſumit in Terræ trepidationibus Fortitudinem. Cum igitur in Martyribus nullus emicuerit conatus repellendi vim ſibi ab aliis illatam, (qui præterea in pleriſque fruſtra exarſiſſet, ſi ferè unam demas Thebæorum Legionem) fortes iidem Ariſtotele Judice non haberentur. Et nihilominus illis omnium primis aptari cæpit ab Eccleſia, tamquam heroica Fortitudine inclytis, Heroum nomen, prius tantùm ab Ethnicis immeritò uſurpatum, ut notat S. Auguſtinus

(1) *Cur Spes repugnat Fortitudini, ſi hæc foveri poteſt ab Ira per Philoſophum?*
(2) *Confundere videtur Spem evadendi a periculo cum Spe Præmii*.
(3) *Spes Præmii conjungi poteſt cum Fortitudine, etiam Heroica*.
(4) *Solam Honeſtatem quærendam a viro Forti Ariſtoteles affirmat, & negat*.

(1) *Solvitur ratio, propter quam negat Fortitudinem in malis, quæ humanas ſuperant vires*.
(2) *Præclarè Fortitudinem definit Sanctus Thomas*.
(3) *Ipſa quoque Ariſtotelica Definitio nobis favet*.
(4) *Manifeſtum eſt exercitam fuiſſe Fortitudinem a SS. Martyribus*.

Digitized by Google

nus lib.10. de Civitate Dei Capite 21. Nihil igitur probat Ariſtotelis ratio, quia, ſi aliquod ipſi robur ineſſet, probaret nimis, videlicet ipſos quoque ſtrenuiſſimos obita ſponte morte Fidei Propugnatores Laureâ Fortitudinis viduandos eſſe: multòque proinde magis aliis illam mortalibus omnibus ſubtrahendam.

(1) Invaluit tamen Sacra deinde conſuetudo Heroes etiam reliquos appellandi, quos præſtanti Sanctimonia nobiles non tamen cruenta mors intulit Cælo. At ne hos quidem in fortium virorum numerum referret Ariſtoteles, præter paucos fortaſſe, qui ſtrenuam contra Fidei hoſtes gladio pugnam conſeruiſſent. Ille quippe inter hoſtes ipſos fortiter impugnandos non recenſuit unumquemque hominem, qui contra ſe certare jubetur, ſi veræ Fortitudinis laudem nanciſci amat. Oſtendit enim ſapientiſſimè S. Joannes Chryſoſtomus, quod *nemo læditur, niſi a ſe ipſo*. Si ergo Fortitudo aliqua ſplendet in eo, quod leves, &, ſi rectè animus comparetur, non veras ab aliis inferendas læſiones fortiter repellamus, multò major habenda erit Fortitudo illa, qua majores, quibus a nobis ipſis peſſumdari poſſumus, injurias, & ærumnas prohibeamus. Hæ porrò innumeræ eſſe queunt in hoc exilio in pœnam criminum, & horrendæ in ævo immortali. Præclariſſima igitur erit Fortitudo exercita contra ſe ipſum in cruciatibus ſponte ſuſceptis ex Honeſtate ſumma Victoriæ de ſe ipſo referendæ, ac de furentis animi motibus contra Divinam alioqui legem, niſi a ſuppliciis illis frænentur, inſurrecturis.

(2) Clypeum Philoſopho aliquis fortaſſe prætendet, quia inteſtinæ hujus pugnæ cognitio illius mentem non illuſtraverit. Sed ipſum Naturæ lumen, & experientia intimorum horum certaminum illum impulit ad præcipiendum Libro 3. Ethic. cap. 12. num. 3. ubi diſputat de Temperantia, ut unuſquiſque contineat intra debitos fines cupiditates ſuas, quas extra eoſdem æquitatis terminos rapi frequenter poſſe pro certo ſtatuit. Et invehitur in eos, qui anſam non arripiunt continuas haſce palmas adipiſcendi, quibus temperantes præſtare fortibus poſſunt; his enim, inquit, rarò obiicitur vincendi occaſio. Agnovit ergo Ariſtoteles inteſtinam pugnam Appetitum inter, atque Rationem. Progredi autem debuiſſet ad videndum, quod Temperantia frequenter metere nequit palmas illas abſque conſortio Fortitudinis, egregiè per voluntarias corporis afflictationes rebellem Appetitum compeſcentis. (1) Nullus igitur umbo tutari Philoſophum poteſt nihil penitus innuentem de Fortitudine contra ſe a ſingulis hominibus armanda: neque diſtinguentem certamen, quod contra ſe ipſum ſuſcipitur ex prænobilis Iræ fervore, a tolerantia incommodorum, quæ naſcitur a Temperantia moderante cupiditatem aliam, quæ fertur ad Voluptates. Recluſimus præcipuos Ariſtotelicorum errorum fontes.

Contra Philoſophum præterea invidentem omnibus, ipſiſque etiam Heroibus, (2) Fortitudinis laudem in ferendis maximis calamitatibus divinitus æquiſſimè inflictis (ut cum concuſſa Terra mortales obruit ædium ruinâ) ſtatutam ab ipſo Ariſtotele Definitionem Virtutis Heroicæ curſim exploro, eamque Fortitudini accommodo. Ut Heroica hæc ſit, exerceri profectò debet in rebus omnibus arduis, in ordine ad quas regi a Virtute poſſit vis, atque natura Iram incendentis Appetitus. Sanctum igitur odium noſtrorum ſcelerum jubetur in his quoque Terræ ſubſultibus Divinam Ultionem venerari. Sic penitus opponetur Feritati, operabitur ex ductu perfectiſſimæ rationis, ſummoque amore honeſtatis, erit ſupra nos, & accedet ad aliquam ſimilitudinem Divinæ pluſquam Virtutis; per quæ omnia Heroicam conſtitui Virtutem ſapientiſſimè definit Ariſtoteles. Illius igitur meremur in gratiam redire, cum ejus auctoritate univerſaliſſimum Fortitudini Objectum vindicemus.

Cæterùm ſi exempla Heroum afferens, & ſingillatim attingens plurima ad hanc Virtutem ſpectantia, infœliciter dormitavit, (3) non in ſingulis hiſce adhærere illi poſſumus, quem præceptorem ſuſpicimus in enodata generatim ab eodem Heroicæ Virtutis natura. An enim ipſos Fidem Sanctiſſimam effuſo Sanguine aſſerentes, alioſque Sanctos Viros amantiſſimo in ſe odio claros, procul a Fortium choro faceſſere jubeamus, ut ſarta ſint, atque tecta, decreta Philoſophi? Mirus enimverò ille eſt, dum res generatim contemplatur; dum verò deſcendit ad ſingula, palmare in illo experi-

(1) *Et ab aliis, qui contra ſe ipſos pugnaverunt.*

(2) *Defendi nequit Philoſophus eò, quòd non cognoverit inteſtinam pugnam Appetitus contra Rationem.*

(1) *Quot res omiſit Philoſophus de Fortitudine diſputans.*

(2) *Definitio Virtutis Heroicæ ab ipſo allata nobis aſtipulatur.*

(3) *Ducem illum ſequimur in iis, in quibus poſſumus.*

Digitized by Google

perimentum habemus infœlicitatis,in quam devolvit defectus luminis ſupra naturam. (1) Elapſo proximè anno cum indagaremus quamnam Divini Numinis imitationem Ariſtoteles Heroi præſcribat, ferè Centum ex omnibus ejus Operibus excerpſimus loca Deum O. M. Divinaſque Dotes mirificè ſpeculantis; ſed alia quoque multa miſerè cœcutientis in iis, quæ Supremus rerum Auctor operatur, quæque illi a nobis rependenda ſunt. (2) Cum enucleaverit præclariſſimè in genere menſuram Heroicæ Virtutis, de ſingulis deinde agens earum nulli Heroicum gradum aſſignat. De hac verò, quam in præſens expendimus, ita ratiocinatur,ut eadem ipſo auctore nequeat eniti ad Heroicitatis faſtigium.

(3) Et illa tamen præ reliquis ipſo Judice ad hunc deberet apicem eluctari, cum in Exemplar Heroum afferat Hectorem, in quo certè ſi virtus aliqua fuiſſet Heroica, talis exiſtimanda eſſet Fortitudo: ac deinde neget, ullam in ipſo veram, multòque proinde magis Heroicam, effulſiſſe. Ecquis porrò, niſi Hector, habendus erit Ethnicos inter bellatores illuſtris Heros? Num Achilles? At perniciosſam ipſis Achivis, neque Trojanis tantùm, illius iram ſuæ Muſæ canendam præſcribit Homerus:

Μῆνιν ἄειδε Θεὰ πηληϊάδεω Α'χιλῆος
Ο'υλομένην;

ideoque non honeſtas, ſed furor, Achillem impulit ad facinora, quæ fortia non cenſet Ariſtoteles; &, quos idem celebrat, Lacones ad aliquam deinde falſæ Fortitudinis claſſem ab eodem amandantur.

Ut paucis rem conficiam. (4) Ut Heroica ſit Fortitudo, protendi debet ad omnia, quæ fortiter fieri, ſeu tolerari queant, cum perfecta oppoſitione Feritati, ex perfectiſſima ratione, ſummoque amore honeſtatis, ſupra nos, & cum imitatione perfectionis Divinæ. Atqui hæc nequeunt contingere ex Doctrina Philoſophi non concedentis Fortitudinem in plurimis jam recenſitis ſtrenuè ferendis, nullam agnoſcentis victoriam ſingulorum hominum de ſe ipſis reportandam, & Fortitudinem coarctantis ad ſolam bellicam ſtrenuitatem, quam præterea inficit cauſis plurimis excludentibus rationem perfectiſſimam, ſummumque honeſtatis amorem: quæque præterea non eſt ſupra nos, neque aſſurgit ad ullam ſimilitudinem Perfectionis Divinæ; imò Feris maximè conformatur e Sententia ipſius Ariſtotelis, docentis lib. 3. Ethicorum cap. 12. nu. 3. (1) *ipſam verſari circa Paſſiones ſpecialiter irrationales, utpote communem brutis*. Ergo per Ariſtotelem nulla dari poteſt Heroica Fortitudo. Sed hoc repugnat aliorum Sapientum omnium Sententiæ. Utcumque igitur reclamet Philoſophus, Fortitudinem Heroibus in ipſis quoque Terræmotibus indulgeamus.

(2) Peroraſſe potueram, cum ſubortum mihi fuit conſilium, eamdem, qua unica nititur, in Ariſtotelem rationem retorquendi: videlicet, quia Telluris concuſſionibus nequimus obſiſtere. Oſtendimus, nihil Fortitudini obeſſe, quod Terram exagitantes Cauſæ a ſuis exerendis viribus prohiberi nequeant. Pernegamus nunc, eaſdem compeſci non poſſe, ideoque viam præcludi ad illis generosè obluctandum. Earum præcipua, & reliquarum omnium origo, eſt Indignatio Divina, vel ſine cæteris procreatis cauſis Tellurem, quam ſuo nutu ſuſpendit immotam, trepidare identidem jubens, vel accenſis, aut concitatis ſulphureis ſpiritibus utens ad ſolum extollendum, ac ſubruenda mortalium ædificia, *pugnante pro ea Terrarum orbe contra inſenſatos*. Contra Divinum porrò furorem, qui ſi detumeſcat, profectò non inſlabitur terra, pugnare quis vetat? Imò ad obſequentiſſimum iſtiuſmodi, amantiſſimumque certamen nos ipſe Deus hortari non ceſſat.

(3) Ut ſtrenuè hoc præſtitit Maximus Heros, atque Sanctiſſimus! Quàm Heroicam in illo ſpectandam dedit Fortitudinem Urbis concuſſio! Ab ea, ſimilem numquam infœlicitatem per ſecula multa perpeſſa, alii ſe fortè Principes proripuiſſent. Et plurimùm Reipublicæ intererat, qualicumque diſcrimini ſubtrahi amantiſſimum, & e Cælo delapſum Populorum omnium Patrem. Aut ſi hæſiſſent alii in Regia, vix conſuetis regiminis curis intendere animum valuiſſent: quemadmodum a ſtudio Literarum, a Negotiis, ab aliis, quibus alioqui urgebantur, ſolicitudinibus, plerique omnes ferali ea nocte abſtinuerunt. At quomodo tra-

(1) *Ex illo excerpſimus Loca Centum, in quibus præclarè loquitur de Deo O. M.*

(2) *Nulli Virtuti Heroicum Gradum aſſignat.*

(3) *Hunc negat illi, quem ſtatuit, ut Heroum Exemplar.*

(4) *Decernimus ad quæ protendi debeat Heroica Fortitudo.*

(1) *Hæc dari non poſſet, ſi Ariſtoteli ſtandum eſſet.*

(2) *Retorquetur in ipſum ejus Ratio, nimirum, quod Terræmotibus nequeamus obſiſtere.*

(3) *Oſtendimus hoc mirificè præſtitum eſſe a SS. D. Noſtro CLEMENTE XI. Pont. Max.*

Digitized by Google

traducta ab illo fuit, Deus Immortalis! Ut parceres videlicet alienis criminibus, (quod enim ſuum Cæleſtis ejus Integritas deploraret?) in Vaticanum illico Templum convolavit, & per plures ibidem horas in flagrantiſſimas effuſus preces, ac lacrymas, mox in conclavia regreſſus, omnibus, quæ juberi poterant, accuratis, ſummo mane in eadem Baſilica religioſiſſimè Divinum Æterno Parenti Filium obtulit: ac mirificam deinde Latinam ad incendendos perfectæ Sanctitatis amore Sacros Principes ex tempore Paræneſim habuit, cui ſi ullam antea cogitationem voluiſſet adiicere, nulla profectò ſomno noctis pars illi fuiſſet aſperſa. Quid hic ego prodigia Conſtantiæ referam in horribili alia Pontificii Sacelli vibratione, inque acceſſu ad Apoſtolorum Sepulchrum, licèt ex faſtigiatæ, ac circumactæ in orbem teſtudinis inferiori parte vis non exigua cæmenti defluxiſſet? Quid Exempla recolam eximiæ Religionis ab illo ſuggeſta? Quid innumeras artes adhibitas, ut placandæ Divinitati omnes inſiſtant? Quid communem, eorum quoque, qui conſenuerant in flagitiis, reditum ad virtutem? Fruſtra commemorem, quæ in ſingulas ferè horas exorta ſunt ejus prope Divinæ ſedulitatis argumenta omnium admirationi objecta. Tria ſolummodo curſim attingo. Et primum quidem, adeo vigentem, erectumque animo viſum nunquam fuiſſe Sanctiſſimum Principem, ut cum obſidetur majori, cum quibus eſt Cæleſtibus armis decertandum, ærumnarum copia, quæ una poſſunt, ingratiſſimum alioqui, eidem Imperium aliquatenus conciliare. Fortitudinis autem enimvero Heroicæ id ſignum eſt. Alterum, perterreri nos minis, *ut fugiamus a facie Arcus*, & Auguſtiſſimi Pontificis vota de revocanda ad Sanctimoniam hac veræ Arce Fidei, univerſaque ſua humana Ditione, impleamus, illud ab omnibus extorquente pavore, quod a multis Exempla, Hortationes, ac Decreta Sapientiſſima Principis Optimi non impetraverant. Tertium, difficillimis temporibus novum nobis Leonem, Gregorium Magnum, aut Septimum eodem Cognomento dignum affulſiſſe, cujus ope poſt infortunia Fœlicitas reditura ſit; redarguto interim Ariſtotele ab hoc Heroum Maximo Terræmotus Cauſas fortiſſimè propulſante.

PROLUSIO XV.

Nullam Improbis ineſſe Prudentiam, & ne ipſam quidem Aſtutiam concedendam Nicolao Macchiavello.

Siccine cum incipiant incendi nimio calore dies, invitavimus Concionem Sapientiſſimorum Virorum, (1) antequam Auditores noſtros vacare jubeamus? An Hippatum Metapontinum ſequimur, & Eraclitum, qui ex igneis omnia corporibus conſtare cum dixerint, ſuo quaſi jure ſtatuere poterant ardentis anni partem conſentaneam maximè eſſe Controverſiis de incenſa natura, & hominum Moribus, inſtituendis? Tanto ne flagrantis auræ amore carpimur, ut cum Empedocle philoſophari velimus in Ætnæ crepidine ab æſtuantis Enceladi anhelitu ſuffocandi? An propius explorandа cenſemus Veſuvii portenta cum Seniore Plinio, cui contra lapidum ignitorum imbrem, & ferventis nimbum arenæ, impar clypeus fuere cervicalia, quibus ſe ipſum protexerat? In Gymnoſophiſtarum nos diſciplinam tradidimus, qui deſerto in littore, & flagrantibus Indiæ arenis contemplabantur? Reponere poſſemus, inſanum profectò æſtum, & ſponte quæſitum incendium non conferre Philoſophiæ, ſed quod cælo delapſus æſtivi Solis calor conducat ſtudio Sapientiæ, ferè omnes Philoſophos ſuo nos exemplo docere. Plato enim, cum ferventius æſtate diſputaret, ſub Platanorum umbra conſidebat: umbroſum Lyceum Ariſtoteles perambulabat: Zeno Stoicorum princeps ſub Porticu æſtiva reſerabat arcana ſeveriſſimæ diſciplinæ. Qui verò prope Hyemalem ignem, vel in Autumnali vinea de rerum natura diſſeruerit, nullus perhibetur. Unus Epicurus, in hortis edocere ſolitus, verno tempore ac ludentibus auris oblectabatur. Sed hujus Mores, ut Sententiæ, improbandi penitus ſunt. Quod ſi non illos naturæ oculos Sapientiſſimos Philoſophorum, ſed ipſam Naturam Litis hujuſce arbitram exoptamus, enimvero cum ignei ſpiritus Hyeme torpere nimium ſoleant, nimis exultare Verno tempore, Autumno ridente ferre ad ruris amœnitatem; Æſtate verò vigeant, ac ferveant, animum excitant ad ſublimium cognitionem rerum. (2) Sed enim reſpondendum video, utcumque

(1) *Æſtate præſertim fervere debet Philoſophiæ ſtudium.*

(2) *Et ingenioſæ pugnæ.*

Digitized by Google

que deceat intra domeſticos lares dare nunc operam ſtudio Sapientiæ, æſtate certè pugnare non decet, multòque minus nova & inſolita bella conſerere proponendo Paradoxa contra magnam Humani Generis partem, contra omnes videlicet Improbos, eorumque celeberrimum Anteſignanum Nicolaum Macchiavellum. Num verò laborioſum, & cruentum hoc prælium erit? An decertabimus voce Stentoris, & gladiatoria laterum contentione? Longè mitior cenſeri poteſt hæc lis ingenii, Pugnæ commoda omnia, & ipſæ deliciæ ſine ullo præliorum incommodo uſurpari queunt. Intorquere tela, eademque retundere, atque hoſtem ſuâ ipſius haſtâ confodere, ſedendo poſſumus. Venatu inſectari Chymeras, & Hircocervos falſæ, dementiſque Politicæ, neque tamen hinc pedem efferre. Percurrere Sapientiæ Regnum, & ad ipſa uſque ſydera explicare volatum ſine ullo metu defatigationis æſtivæ. Probabunt hæc ultro Sapientes Viri, Si autem delicias, deſidiamque ignavorum Adoleſcentium interrogaremus, ingratum ſibi fortè quiſpiam ex illis eſſe fateretur, vice breviſſimæ ultimæ Lectionis illam audire, quæ conſuetam impleat præſcriptæ aliis dimidiæ horæ menſuram. (1) Sed abrumpamus ludicrum Proœmium, & Anacephaleoſim breviſſimè afferamus eorum, quæ hucuſque ſtatuimus, oſtendentes nullam Improbis ineſſe poſſe Prudentiam, & adeo illâ deſtitutum fuiſſe Nicolaum Macchiavellum, ut eidem ne ipſa quidem indulgenda ſit Vafrities, quam in eo inſignem viguiſſe plerique perperam opinantur.

(2) Poſt Diſputationem de Prudentia ſecundùm ſe, ac deinde aliam de ipſa comparata cum Vafritia, & Imprudentia, inter que vitia mediam occupat ſedem princeps illa Moralium Virtutum, demonſtravimus, ab Ariſtotele Prudentiam Improbis omnibus negari, atque hoc evicimus primò in Actu, qui appellari poteſt fons & origo Prudentię, licet ipſam non conſtituat, ſed præcedat: in actu ſcilicet Voluntatis, quæ poſtquam Intellectus per Naturale Lumen illi propoſuit honeſtatem Finis aliarum Virtutum, urget eumdem Intellectum ad quærenda per Eubuliam media opportuna ad talem finem conſequendum.

(3) Decrevimus deinde, in Improbis reperiri Eubuliam non poſſe teſte Ariſtotele, ideſt rectam Conſultationem circa media eligenda. Nullam pariter in illis a Philoſopho agnoſci Syneſim, aut Gnomen, videlicet Judicium, quod fertur circa media per conformitatem ad Leges ordinarias, & communes, vel extraordinarias, & altiores, Ultimum demum Judicium, ſeu Imperium practicum ipſius Intellectus indicentis Voluntati Electionem, nullo pacto Improbis ab Ariſtotele concedi.

(1) Contra ea, quæ decernit Sapientum Magiſter, nihil valere ſtatuimus Exemplum Nicolai Macchiavelli, aliorumque ſceleſtorum, qui prudentes vulgò exiſtimantur. Ad hoc ineluctabiliter efficiendum dilucidavimus primò ex mente Philoſophi, quod quamvis aliquæ partes acquiſitæ Prudentię ſupereſſe poſſent in Improbis, qui aliquando labuntur in Crimen, certè tamen nequit ultima, in qua præcipuè ſita eſt ejus eſſentia. Nulla verò Prudentiæ pars dari poteſt in confirmatis in ſcelere, ac Nequitiæ Præceptoribus, qui non ſolùm deteriora ſequuntur, ſed neque vident meliora, probantque.

(2) Hujuſmodi fuiſſe aſſerimus Nicolaum Macchiavellum, in quo penitus corrupta fuit vis æſtimativa ultimi finis, etiam propoſiti ab Humana Honeſtate, ideoque nullam in ipſo eſſe potuiſſe Prudentiam. Multò minus eidem attribui poſſe Politicam, nobiliſſimam ſcilicet Prudentiæ ſpeciem, cum penitus deſtituatur ipſo genere, ac prodigialiter collocet Rationem Status in unius Tyranni Utilitate cum univerſi Populi detrimento.

(3) Neque vindicare ſibi poſſe veram Prudentiam (ut Philoſophicè loquar) ſecundùm quid: qualis a S. Thoma, repugnante Ariſtotele, dicitur illa Nautarum, & Mercatorum exempli gratiâ, tendens ad peculiaria quædam emolumenta mortalis vitæ. Imò nec adeſſe Macchiavello Prudentiam falſam, & abuſivè dictam, per quam quis præſtituens ſibi aliquem finem pravum, v. g. furandi, excogitat, & invenit media opportuna ad eum finem obtinendum, ac dici abuſivè poteſt Prudens Latro.

(4) Licèt Macchiavellus a Prudentiæ faſtigio excuſſus recenſendus a pleriſque ſaltem cenſeatur inter Vafros, nihilominus verius abiiciendus eſt inter hominum Imprudentiſſimos, cum Vafri rarò corruant in

(1) *Anacephaleoſis eorum, quæ hoc Anno ſtatuimus de Morum Philoſophia.*
(2) *Quid oſtendimus de Prudentia, quæ in Improbis reperiri nequit.*
(3) *Non Eubulia, Syneſis, aut Gnome.*

(1) *Contra veram Philoſophi Sententiam nihil valet Exemplum Nicolai Macchiavelli, & aliorum Improborum.*
(2) *Nequivit in eo eſſe Politica.*
(3) *Et Prudentia ſaltem ſecundùm quid,*
(4) *Et Vafritia.*

Digitized by Google

in eas, quibus ipſe affluit, ineptias: atque illi frequentius, quàm ipſe, ſuorum metam votorum attingant, quia nihil ſuggerit opportunum ad eadem caduca bona, quæ ſola ſibi pro Fine ſtatuit, acquirenda.

(1) Ex multiplici porrò capite liquet Macchiavellum fuiſſe Ineptum, ſeu verius Inſanum in ſuis Regulis tradendis. Et primò ex eo, quod adortus dare Præcepta regnandi contraria iis, quæ veteres Philoſophi, Oratores, Hiſtorici, Poetæ, etiam Ethnici, aut Athei, præſcripſerunt, ferè nunquam ad ea ſtabilienda Rationem ullam affert, ſed in ſuam omnes ituros præſumit Sententiam, velut illam Pithagoræ ultro diſcipuli ſectabantur.

(2) Si momentum aliquod rationis afferre aliquando dignatur, leviſſimum illud eſt, ac ludibrio traducendum: v. g. ut oſtendat induendam eſſe a Principe Naturam Belluarum, ac præſertim Vulpis, ac Leonis, ad probandam inauditam hanc, & bruto dignam Legem, affert ſolummodo Fabulam de Achille, aliiſque Heroibus, quos erudiverit Centaurus Chiron.

(3) Si unquam ratiocinari aggreditur, utitur puerilibus Paralogiſmis, ac præſertim non Cauſa pro Cauſa: v. g. tribuit doloſis artibus incrementa fortunę Ducis Valentini, quæ non ab ejus artificiis, ſed ab aliis mox indicandis diverſiſſimis cauſis, parta ſunt.

(4) Stolidè præſumit, univerſum genus mortalium Simplicitate, imò & Stoliditate maxima laborare, atque hac præſumptione, veluti fundamento, nituntur præcipua Præcepta, quæ Principibus tradit. Ineptè ſperat ab Aula non videnda manifeſta Facta contraria phaleratis Proteſtationibus Principis, nec iis implendam Urbem, ac Regnum. Præſertim cum jubeat non unum ſolùm, aut alterum e medio tolli a Novo Principe, ſed amatores omnes publici boni, quorum immaniſſima ſtrages latere nequit.

(5) Illa, quæ docet, frequentiſſimè inter ſe pugnant, neque ullatenus obtineri ſingula poſſunt: v. g. poſtquam eas tribuiſſet Principi Leges, quæ ipſum conſtituerent portentum ex fraude, ac crudelitate conflatum mortalibus omnibus exitiale, deinde ſtatim præcipit, ab eodem vitari communem Contemptum, & Odium, niſi ſuam venari velit ruinam.

Quæ decernit de Principum Conſiliariis, adeo ſunt abſurda, & inter ſe certantia, ut luce meridiana ſit clarius dejectum e ſtatu mentis omnino fuiſſe nugarum ejuſmodi Scriptorem.

(1) Exempla, quæ ſeligit ad oſtendendum, quod expediat uti doloſis artificiis, ſunt omnium ineptiſſima, quæ decerpi potuiſſent ex Hiſtoriarum monumentis.

(2) Hoc oſtenſuri prius expendimus Naturam ipſam Fraudis, quam noxiam eſſe Simulatori demonſtravimus, quia eſt argumentum magni dedecoris in Intellectu, & Voluntate. Ideo Simulatio trahit in ſummum Contemptum, ſummamque perniciem affert: & inſanit, qui jubet Principi Contemptus horrorem, poſtquam neceſſariam eidem præſcripſit Contemptus cauſam. Maximo præterea eidem eſt damno, quia parit commune Odium contra Simulatorem; ideoque omnium execrationibus neceſſariò exponitur Princeps, ſi ſervet Macchiavelli præcepta.

Præter Incommoda jam recenſita, quæ a Simulatore vitari nequeunt, noxius eidem eſt habitus ſimulandi, quia plerumque fraudat Deceptorem aſſequutione finis ab illo quæſiti: cujus Veritatis multas, & graviſſimas cauſas attulimus.

Solummodo ille, qui cæteroqui habet Famam Veracitatis, conſequi poteſt, ut unus, vel alius actus ſimulandi ſit eidem utilis. Tamen ſi effectus fraudis ſemel adhibitæ ſit inſignis, damnum erit in poſterum majus emolumento.

Notorius Simulator nunquam reperire poteſt homines imparatos. Eidem nunquam relinquitur Pons apertus ad recedendum. Nec illi Fraus eſſe poteſt Clavis ad aperienda aliorum ſecreta. Quamvis multiplices, quia etiam obliquæ, viæ pandi Simulatori credantur, tamen idem omnibus caret, & facilius metam aſſequitur Verax ingreſſus unicâ Regiâ Veritatis viâ.

(3) Inſanit Macchiavellus affirmans patere experimento trium ſuorum Heroum, quod habitus ſimulandi ſit utilis ad magna conſequenda: quodque pueriliter ludat aſferen-

(1) *Imprudentem, & Ineptum illum fuiſſe multipliciter demonſtratur.*
(2) *Vel nullas, vel deridendas affert rationes.*
(3) *Pueriles illius Paralogiſmi.*
(4) *Stolida ejus Præſumptio de Univerſali hominum Stoliditate.*
(5) *Pugna inter ſe illorum, quæ affirmat.*

(1) *Ineptiſſima, quæ ſeligit, Exempla.*
(2) *Damna, quæ affert habitus ſimulandi ab illo celebratus tamquam utiliſſimus.*
(3) *Noxium fuiſſe oſtenditur uni ex Macchiavelli Heroibus.*

Digitized by Google

ferendo, ut innuimus, non Cauſam pro Cauſa, evicimus primò, quia maximus inter ejus Heroes, (1) nimirum Pater Ducis Valentini adeptus fuit Imperium artibus diverſiſſimis a Simulatione, quas ubertim recenſuimus. In Imperio ipſo nihil penitus Fraude lucratus eſt; imò hæc apud omnes notiſſima laudem detraxit cæteris ejus dotibus, quibus Populos in officio continuit. Aliis demum adornata fraus ipſi creavit Interitum, ideoque dementiſſimus eſt, qui ab ipſo petit Ideam Simulationis profuturæ.

(2) Alter Macchiavelli Heros Dux Valentinus ad ſummas Dignitates evectus eſt ab Amore Patris, non ab Artificio ſimulandi. Suam Ditionem auxit aperto bello, ac tantùm ſemel aliquid conſequutus fuit inſigni deceptione. Sed adeo ſtolidi fuerunt Principes fidem ſemel adhibentes notiſſimo Simulatori, ut hoc fuerit Prodigium Divini Conſilii utentis hoc flagello contra alios ad revocandas in unum Eccleſiæ ſuæ Sponſæ Urbes, quarum Raptor citiſſimè iidem ſpoliandus erat. Per ſummam dementiam celebrantur tamquam ſalubres Doli, qui perniciofi fuerunt Duci Valentino, (3) idemque ſtolidiſſimè dicitur peccaſſe tantùm ſemel incogitanter contra Politicam; cum deliquerit perpetuò. Non præviſa a Duce Valentino ſua Ægrotatio in Morte Patris nullus fuit error contra Politicam, quia hujus ipſius eventus Prænotio nihil ejus rebus conducere potuiſſet. Etiam ipſi, quemadmodum ejus Patri, præparata cæteris fraus exitium peperit; ideoque non niſi a demente idem proponi poteſt tamquam Exemplar habitualis Simulationis humanum commodum allaturæ.

(4) Dux alius celeberrimus artificio ſimulandi tertius Macchiavelli Heros proponitur inſaniſſimè, ut ejus veſtigiis inſiſtatur, cum eidem fama Simulationis magno fuerit detrimento in Regimine, quod neque fuit adeptus arte circumagendi mentes hominum. Atque hæc dedecoravit præclaras ejuſdem Dotes. Et demum illum evertit a Dominatu, perpetuoque ad mortem uſque carceri mancipavit. Omnia igitur Macchiavelli Exempla contra illum retorquentur, cum ex illis pateat perniciofiſſimam humanis quoque opportunitatibus eſſe Simulationem.

(1) *Hic nihil fraude fuit adeptus.*
(2) *Nec eadem profuit alteri ejus Heroi.*
(3) *Quàm ſtolidè hic dicatur peccaſſe tantùm ſemel contra Politicam.*
(4) *Tertio Macchiavelli Heroi perniciofiſſima fuit Simulatio.*

(1) Inſanit, qui commune contra ſe omnium odium incendit volens nihil aliud eſſe Regnum, quàm publicam Graſſationem. Et peſſimè ſentit de Genere humano affirmans iniquos ſemper inveniendos eſſe homines, niſi neceſſitas eos urgeat ad probitatem.

(2) Nonniſi furens lenocinari ſibi potuit tolerandas in Principe ab Italis, aliiſque gentibus humanitate, veraque Religione excultis, barbaras imperandi Leges, quibus Turcæ opprimuntur, quaſque ipſe Regnatoribus omnibus indicit. Nec ſolùm falsò, ſed etiam ſtultè, præſumit, nobis humana Fœlicitate præſtare Turcas.

Et magis, quàm Probos, plerumque circumfluere Improbos mortalibus commodis.

Et extinctam a Chriſtiana Religione fuiſſe bellicam ſtrenuitatem. Et illuſtre nihil præſtitum a Prophetis fuiſſe abſque præſidio armorum.

Magnamque Italiæ perniciem allatam fuiſſe ab Apoſtolica Sede, afferendamque Regioni Helvetiorum, ſi hæc eò transferretur.

Ac facili negotio formandum Exercitum Italorum Gallico Equitatui, & Hiſpanico antecellentem Peditatui, quo ſtatim exorto univerſam occupare Italiam poſſit Princeps, cui nullum in eamdem Jus fuerit.

(3) Damnoſas generatim Principibus eſſe Arces. Infidam ſemper & noxiam eſſe conductam ab alienis Provinciis Militiam. Quod ſtulta ſint exiſtimata cætera omnia, quæ Macchiavellus pluribus in Libris de Arte Bellica ſancit, apertè arguitur ex eo, quod Recentiores Duces nihil penitus ex illis in morem induxerint.

Ineptus quoque cenſendus eſt, qui, cum omnia Fraudibus tribuat, nullas ex iis recenſet ſuis finibus opportunas, quæ vel pueris ignotæ ſint.

(4) Neque ullum affert Aphoriſmum pro privata ſingulorum ſorte conſervanda, vel in melius provehenda, vel pro Regimine Familiæ cum proprio dolos adhibentis Emolumento, vel commodo totius Domus.

Vel quibus artibus uſuri ſint in Comitiis,

(1) *Commune Odium contra ſe concitatum a Macchiavello.*
(2) *Idem furit ſperans ab Italis tolerandas barbaras Turcarum imperandi Leges.*
(3) *Quàm inſipienter loquatur de Arte Bellica.*
(4) *Ferè nihil tradit de iis, quæ a ſe reſeranda ſpoponderat.*

Digitized by Google

tiis, qui Rempublicam attigerunt. Vel iidem, ut ſe in Principum benevolentiam inſinuent. Vel Principes ipſi ad vitandas Adulatorum inſidias. Et ad cognoſcendas Dotes eorum, quos expediat in conſilium aſciſcere. Vel ſeligere in Legatos ad alios Principes, vel in Exercituum Duces, & Imperatores.

(1) Cum hæc, aliaque innumera Macchiavello deſint, & ex tot fontibus, (quorum præterea pleroſque non indicavimus) ejus Inſipientiæ ſpecimen permanaverit, Politici famam non ſine quodam veneficio invaſiſſe videri poteſt.

Niſi temporis uſura denegaretur, arduum non eſſet oſtendere, nullum penitus eſſe inter ejus Axiomata in Libro de Principe, quod ineptum non ſit, & perituræ quoque, nedum immortali, utilitati contrarium.

Idemque demonſtrari poſſet de aliis, quæ per cætera ſparſit venenata Opera, niſi ſupervacaneum hoc eſſet poſt everſionem præcipui Voluminis, in quod congeſtam a ſe fuiſſe putavit prudentem cæterorum medullam.

(2) Comparari præterea poſſent inter ſe practici Aphoriſmi Prudentis Viri, Verſuti, & Imprudentis, percurrendo ſingulas Monaſticæ, Oeconomicæ, ac Politicæ Prudentiæ partes, & oſtendendo, ferè ſemper utiles terrenis quoque opportunitatibus contingere primos, aliquando ſecundos, at vix unquam ſalubres eſſe poſtremos.

Ac primò afferri communia Monaſticæ Prudentiæ, ac Verſutiæ Præcepta collata cum cęco agendi modo, quo vitam inſtituunt Sectatores Macchiavelli Imprudentiſſimi Ducis. Et Diſcrimen inter veram, ac ſolummodo apparentem Prudentiam.

Deinde triplex hæc Comparatio fieri poſſet (ſeligendo tamen præcipuas tantùm Leges ad conſulendum neceſſariæ, gratiſſimæque brevitati) circa Regimen ſui ipſius ad illam, qua quis fruitur, Sortem conſervandam.

Et circa ejuſdem Sortis Promotionem huc transferendo Artes alibi a nobis recenſitas, quibus licet ſuæ Fortunæ Architectum evadere.

Et circa uſum bonæ Aſtutiæ. Et conducens permiſſę Diſſimulationis exercitium, pernicioſum autem vetitæ Simulationis. Et Amicitiam comparandam, & conſervandam. Et Modeſtiam retinendam in proſpera, & non deiiciendum animum in adverſa Sorte. Et modum agendi cum Inferioribus, Æqualibus, aut qui nobis præſtant. Et Probitatem tum Indolis, tum Virtute acquiſitam, qua omnium animos demereri queamus.

Poſt expenſa Monaſticæ Prudentiæ Axiomata, generatim inter ſe conferri poſſent Oeconomica Prudentis, Verſuti, & Imprudentis, ſuo ferè ſemper fine fraudati, ſi Macchiavelli Leges amplectatur.

Ingreſſis demum Politicam attingenda primò eſſent generalia Præcepta Prudentis plerumque ſalutaria collata cum iis, quæ rarò Vafris expediunt, cumque ferè ſemper noxiis Imprudentis.

Ac deinde hæc ipſa Pręceptorum Pugna repræſentanda in Principe ipſo quò ad Regimen ſui, ac Populorum. Et diſcrimen ipſius Principis a Tyranno in Conſiliariis eligendis, & audiendis, in cavendis Adulatoribus, in Factionibus, Seditionibus, Turbis, in Mora, vel Negotiis expediendis, in proferendis finibus Imperii, in Plantationibus Populorum, & Coloniis, inque ſuſcipiendo & adminiſtrando bello.

Neque cæteri prætermittendi eſſent, qui Principi adſunt in Minoribus Magiſtratibus eos meritò, vel per injuriam adepti, boniſque, aut malis Artibus temperantes.

Hæc omnia compendio includere moliebamur ad explendam utcumque de Prudentia Tractationem. Sed quamvis a temporis anguſtiis prohibiti ſingula exequi nequiverimus, ex iis, quæ delibavimus, liquet, opinor, Prudentiam Improbis ineſſe non poſſe: ac ex ipſius Ariſtotelis Principiis conſtat de non concedenda Nicolao Macchiavello Vafritiæ laude, ſed eodem ad Imprudentiſſimorum hominum, & dementium Claſſem amandando.

PROLUSIO XVI.

Artem Grammaticam ob eadem nomina, propter quæ deprimi ſolet, extollendam laudibus eſſe.

ADamantinâ tunicâ exutum Apollo Martem intuitus aureos illico crines caſſide preſſit, Muſæque ſui Regis aſſeclæ, ut Bellonam ludentem in ſylvis ſunt conſpicatæ, umbones, haſtas, pharetras ab Heroibus beneficio ſuo immortalitati conſecratis mutuas acceperunt. Cataphractus Pegaſus ferocem ignem ſub naribus volvere, præceps

(1) *Non ſine quodam veneficio invaſit in Politici Famam*.

(2) *Quæ ſtatuenda ſupereſſent pro complenda Prudentiæ tractatione*.

ceps unda Caballini fontis evolvi, Parnaſus, olim pacis aſylum, nunc regia Martis videri cæpit, & arena pugnantium. Miramini profectò, Auditores, improviſam Metamorphoſim, vel potius noſtras irridetis nugas. Cur enim dum feritas ipſa miteſcit, & belli furor a florentiſſimis Europę Regnis exulare compellitur, non perturbet potius Thraces, ac Tartaros, quàm Sedem amœniſſimam Poetarum? Sed quæ demum animo bella agitatis in me ſic inſurgentes? Noxia, cruenta, cladibus fœcunda, quæ Reipublicæ vires atterant,& florem magnanimi vigoris extinguant? Non illa ſcilicet, quæ gliſcunt in Apollinis Regno. Nihil enim iſtis jucundius, nil magis innoxium, nihil ita eruditæ Reipublicæ ſalutare. Excidium illa pariunt populorum, hæc jacentes erigunt diſciplinas: Mortem illa fortiſſimis inferunt, hæc vitam largiuntur ingenio, ideoque tunc invaleſcunt, cum literæ præcipuè florent. Pacis enimvero ſobolem dixerim hæc amica certamina, nam paci debent artes eruditæ, quod vigeant; hic autem vigor otio diffluere, & conſeneſcere non ſinit ingenia, ſed ad bella cogit amabilia. Quocirca convenit militum paci cum pugna literatorum, & florentibus olivis plurima laurus enaſcitur: ac ſicut olim e cerebro Jovis, nunc e cineribus Martis Pallas armata conſurgit, Unam e multis velitationem ingenii, qua plerique Grammatici manus conſeruere cum Seſquipoetis neſcio quibus helleboro coronandis, (1) vobis affero in præſentia, eo præcipuè conſilio, ut illa, quæ vitio huic Arti falsò dantur, ab hoſtibus ipſis excipiatis, ſique non improſperè tela retundere, ac ſe purgare Priſciano contigerit, nobis victoriam gratulari poſſitis; quò fiet, ut nobiles Adoleſcentes alacriter hanc Diſciplinarum Januam penetrare contendant, quam fruſtra quati ab Adverſariis animadvertent.

Cum elapſis Autumni feriis agerem Tibure, hortos Eſtenſes aliquando ſolus obambulans quædam animo percurrebam, quibus modò differerem, novoſque Auditores de more ſalutarem. Sed illa Gratiarum ſedes, pulchrior Alcinoi, & Heſperidum viridariis, ita mentem cum oculis rapuit, ut nil aſſequi cogitatione potuerim Romanis auribus dignum. Pluribus ergo ſpatiis factis, ne artis occurrentia miracula gravioribus a curis animum alienarent, conſedi ſub umbra lauri hoſpitalis, quæ patulis diffuſa ramis viridi me cælo integebat. (2) Hic blanda quies in oculos ſenſim irrepens, in bicipiti fecit me ſomniare Parnaſo; namque ſpecie amœniſſimi ruris iterum excitata in ſomnis, collis ille pulcherrimus leniter, & ſenſim clivo fallente conſurgens Pierii montis imaginem referebat: Apollinis Ædes Regia prætoria videbantur, qui vitam picturæ, marmoribuſque dediſſet ibi ſpirantibus, & jucundo terrore vivere Tygrides lapideas, Leoneſque monſtraret, cum ab hoſpitibus timerentur; idque prodigium exaggerabat, quod ingenium Principis imitatæ poſito rigore vitam belluæ ducerent innocentem, neque morſu ſævirent, ſed improviſa undarum aſpergine quaſi ludicris fulminibus blandirentur. Myrtus, buxuſque erudita ſe in varias hominum, aviumque formas induebat, quin etiam Solis curſum loquacibus in areolis repræſentabat, quæ nil vivis horarum molibus concedebant. Aquam ibi diceres Proteum, ita diverſa ludit in fontibus, ſtagnat in lacubus, ſaltat in ſyphunculis, canit in organis, tonat in voragine, cujus ex anguſtiis eluctata, velut ignis in ſublime ſibi viam aperit impetu tanto, ut vim inferre ſyderibus hoc belli ſimulachro videatur. Prodigia iſthæc negata mortalibus, Poeſis Ovidii ducentis ibi vivens in fontibus, & opes immenſæ, quæ miteſcere coegerunt horridum montem, & invidiam fecerunt aureo colli, quem in Capitolium fracto Mitridate Pompejus invexit, eſſe illam Apollinis Regiam, ibi virere Parnaſum facilè ſomnianti perſuaſerunt. Ergo Caballino jam fonti, quò Poeta repente prodirem, avidus inhiabam,cum clamor ingens in ſubjectis campis excitatus ad collis crepidinem cauſæ noſcendæ cupidos oculos, animumque convertit. (1) Videre erat prominentibus ſaxis hærentes Seſquipoetas quoſdam aſcenſum in ardua montis omni arte moliri, qui cum ægrè pedibus inſiſtere, & locum declivem retinere poſſent, papiraceos funes carminibus ſuffarcinatos conflaverant, quos Parnaſi incolis ad ſpectaculum confluentibus commendaverant, ut illis ſuſtinentibus pendulum corpus in aere ſecurius librarent. Horum plerique fortunam Icari ſortiebantur; cæteri pervia ſibi Muſarum adyta fore ſperantes, quaſi jam Pegaſi ſublimes alis volarent, ſuperbiâ non ferendâ ſibi plaudebant, ſocioſque lapſantes cachinnis immodicis exibilabant. Cumque in altum evadendi labore feſſi aliquando conſiſterent, vexare Grammaticos ad Parnaſi radices agentes

(1) *Proluſionis hujus Propoſitum*.
(2) *Comparatio Eſtenſis Tiburtinæ Villæ cum Parnaſo*.

(1) *Seſquipoetæ conati in Parnaſum eniti*.

Digitized by Google

tes occæperunt. (1) Incolebant hi ſubjectos campos, fertiles illos quidem, nec indecoros; ſed qui plus proventu prodeſſent, quàm odoribus, & florum purpurâ delectarent: conſitos ulmis, non platanis, olivetis, non myrto: lactatos chryſtallinis aquis, ſed quæ in rivos diductæ arentia temperarent arva, non laſcivirent in fontibus. Ædium amplitudinem Domini commodum, non luxus præfiniverat, neque debita aratro jugera inſanæ ſubſtructiones inſidebant: veſtis hominum modica, & membra exprimens, non ſinuoſa, non tumida, ſed elegans, & expedita. Intentos pulcherrimo labori Grammaticos, & poma decerpentes, quibus Muſas munerarentur, conviciis, jociſque occupant Poetæ deſultorii, ex quibus unus:

(2) Non abs re, inquit, valles incolitis, tumidi verborum artifices, cum tardi, jacenteſque, nunquam ingenii alis innitamini, nunquam explicetis per Cælum curſum, ſed inerti ſtupore ſolum moliri, & antiqua Latii rudera ex inferis excitare veſtra ſit gloria. Improbus quidem labor, & plumbeo ſolùm ferendus ingenio; recuſat enim vis ignea mentis erectæ haſce inter ſpinas detineri, ſuique ſecura nobili volatu tendit ad ſydera, abdita naturæ perquirens, ſibique famam concilians edita multiplici prole feracis ingenii, non pluteum cædendo, ut olentia Plautum verba tamdem extundat. Nil adeo velocem animum torquet, ut mora demorſo ſæpius ungue adhibenda vocibus expoliendis, memoriæque mandandis illis, quæ, cum ratione non conſtent, ſed priſcorum arbitrio, hærere non poſſunt vi mentis per ſingula diſcurrentis. Ideo nil mirum, ſi pueros tantùm Auditores numerant arbitri vocabulorum, memoriâ ſcilicet præſtantes, & intelligentiæ viribus uti ab ætate prohibitos.

(3) Ad hæc Nigidius Grammaticus non ignobilis riſu coacto, ac voce illudente, reſpondit. Næ tu, ſi ſaperes, propriæ ſaluti conſuleres, priuſque ſedem in Parnaſo quæreres, quàm dignitatem Oraculi tibi arrogares. Ventoſum caput, ideo ne reprehendimur, quia tuæ cedentes audaciæ malumus in imo ſecuritatem, quàm præcipitia venari fallacibus pennis? Parvo, fatemur, in campo noſtra laborat induſtria, nec Rhetoris gloriam æmulamur; ſed haſce inter anguſtias emicat, ac triumphabit ingenium, ſi leges eleganter ſcribendi velox arripiat: ſi gravioribus aditum diſciplinis aperiat: ſi animum eruditione imbuat: ſi dicendi flores ita excipiat a priſcis, ut novos quoque producat, vel aliò transferat, quos in horto Ciceronis invenit: ſi vividis metaphoris, quaſi ſyderibus, orationem exornet, parvis illis quidem, quæque non Martis ignem, ſed Viæ Lacteæ candorem imitentur, & ſuaviſſimè pungant. An non iſta celeres animi motus exigunt, qui plura ſimul componant, & judicandi vim acrem, quæ debitos intra fines cohibeat alacritatem ingenii? Non ora centum expoſcimus, ut ranam inflemus, nec uno ſtantes in pede carmina ructamus illico moritura. Non id nos agitat ſcribendi cachoetes, quod ſcombris tunicas elaborat: vobis denique non probamur, inclyti Muſarum Antiſtites; ſed Virgilius nos amat, ut pueritiæ inſtitutores ſuæ; ſed Varro doctiſſimus Romanorum hanc artem uſque ad ſummam ſenectutem excoluit; ſed poſt graviſſimas diſciplinas ſe noſtros fontes non otioſè repetere Viri eruditiſſimi profitentur.

(1) Vix deſierat, cum plures ex grege Poetarum vultu caperato, erectoque ſupercilio, & unius altero verba iterante: Vocum, inquiunt, phaleras adornetis, & in verbo uno tornando fortunas Latii ſitas arbitremini. Magnam enimvero provinciam ſuſcepiſtis, qui curioſè dicendi flores expromere, & ſancire leges elegantiæ poſſe vos dicitis. Niſi Priſcianum pronuntiantem, velut Apollinem, literaria Reſpublica veneretur, unum alio nobilius eſſe verbum ratio nulla ſuadebit. Non enim a rerum, quas indicant, ſplendore lux verbis accedit, neque rerum humilitas verbis adimit dignitatem: ſicut ruſticos Therſitæ Mores Regia non obnuberet chlamys, & inter Admeti paſtores vivida Majeſtas ex noſtri Principis vultu emicabat. Quod ſi res expreſſæ nil conferunt ad ornamenta verborum, ſermo caſtigatus erit, quem primi Grammatici eſſe voluerunt; hos autem conſtat nullo duce, nullâ certâ regulâ eſſe uſos, ut quædam vocabula, & ductus orationis expungerent, tamquam ſordidos, & inquinatos; alium verò dicendi characterem terſum, & elaboratum eſſe ſtatuerent, ac veluti civitate donarent. Quid, quod plures florent linguæ, quæ legibus omnino diverſis innituntur, adeoque cogunt ambigere de cujuſque præſtantia, ac ſimul ſuum arbitrium ſequutos eſſe primos Inſtitutores oſtendunt, non certam rationem, quam omnes eamdem fuiſ-

(1) *Subjectos Monti Campos incolentes Grammatici.*

(2) *Seſquipoetæ Grammaticis inſultantis verba.*

(3) *Nigidii Grammatici ſuam Artem celebrantis Reſponſio.*

(1) *Alia Seſquipoetæ jurgia.*

Digitized by Google

fuiſſent amplexi. Et erit apud aliquem tanti Númæ Pædagogus, ut ejus ſomnia de vobis interpretibus plures per annos velit excipere?

(1) Nullius negotii fuit iſta refellere ſpeciei plus habentia, quàm roboris. Eſto enim, arbitraria fuerit inſtitutio legum. Standum fortaſſe illis idcirco non erit? Et in Republica plura ſancita ſunt a Majoribus noſtris, de quorum cauſa non conſtat; nec tamen ſine ingenti diſcrimine violari poſſunt. Nimium quantum deploravit Italia perniciem ſibi illatam a barbaris, qui cum Imperio loquendi decus ademerunt, nihil de religiosè tuendo Grammaticæ jure ſoliciti. Si peregrinæ voces in orationem ſenſim irrepant, ac Probi, & Diomedis placita contemnantur, ſuavius aliquando cum equo ſuo miſcebit homo colloquia, quàm cum Ciceronis alumno. Ideo autem grandia quædam, & nobilia verba cæteris præhabentur, quia in mentem revocant nobiles Latii Patres eiſdem uti ſolitos, quorum ore latinè loqui Muſæ videbantur, & delicias auditori faciunt, qui artificium, curamque adhibitam periodis ad unguem explorandis non ſine jucundo ſenſu voluptatis animadvertit.

Dum iſta Nigidius pluribus explicaret, Poetæ, qui ſua infirmari non poſſe præceperant animo, triumphum adornabant, & mutuam inſuſurrantes in aurem ſibilis explodere confuſos Adverſarios machinabantur. (2) Quamobrem dicentem clamoribus obruentes; At enim, ajunt, iſtorum inſcitiam nullus exagitaret, niſi eorumdem arrogantia faces vel reluctantibus admoveret. Quis enim cælum terris non miſceat, & mare cælo, ſi nugivendi de Generibus diſputantes, arduis ſuperciliis, vociſque, & vultus gravitate compoſita, Oracula Sybillæ interpretari videantur? Digni, quibus Philippus Macedo, Stagyrita poſthabito, filium tradat erudiendum. Quis tulerit aſſerentes, a ſuis ſtudiis vinci Pythagoram, Anitique reum, doctumque Platona? Cum interea ſi vocum non obviam notionem ab ipſis exquiras, vel dehoneſtum, & deculpatum, verbum ſibi non cognitum eſſe pronuntient, vel ſi quæras, quo ſenſu vocabulum *Penus* dicatur? illico reponant, lippis quoque conſtare, *Penum eſſe Triticum*, *Oleum*, *Vinum*: quo pacto ſi Equi naturam velles addiſcere, Bucephalum, & Pegaſum, Equos eſſe doctiſſimè definirent. Quis non vexabit in unius literæ, aut vocis diſcrimine laborantem, cum utilia prætermittat? Hic nimis otiosè ſibi placebit, ſi *ſolæciſmum* Priſcis dictum eſſe *ſtribiligum* ex Turpilii, Næviique lacunis expiſcabitur, cum idem in ſolæci lapidem paſſim offendat. Sed quæ intemperies nos agitat, quod infortunium venamur Grammaticorum odia colligere non formidantes? Profectò licet quidlibet audendi ſemper fuerit Poetis æqua Poteſtas, quamvis tela Jovis innoxia ad Lauri radices procumbant in cineres, licet cum hoſte non contemnendo ſuſcepturi ſint inimicitias collectores iſti vocabulorum, (unius quippe tantùm Poetæ vires trepidare ſe dicit Socrates apud Platonem) tamen ſi grandium verborum fulmina excludant, ſi bullatas nugas, ſi periodos longo ambitu circumductas in aciem producant, ſi nos incognito Veterum ſermone adoriantur, & aliquod *expugnaſſere* Amphitruonis explodant, gens noſtra cum Thelebois funditus interibit.

(1) Talia jactantes, & paucorum culpam in omnes, atque adeo, quod raró inſcius peccat Artifex, in ipſam Artem ſtolidè detorquentes, Grammatici alacriores rationibus evincere ſupervacaneum rati, & inſperatis hoſtium jurgiis altè laceſſiti, etiam ad manus iram promovere, ſeſeque non verborum ſolummodo funditores oſtendere decreverunt. Certatim igitur cucurbitulas, medica mala, aliaqua id genus, quæ affatim ſuppeditabat hortus, in vociferantes, opemque Apollinis Medici implorantes ejaculari, & capitatas braſſicas, ac urticæ vim ingentem, quo coronamento cæſariem emeritam implicarent. Tunc enimvero Nigidius, cæterique Patres, Muſarum indignationem veriti, juvenes exultantes compeſcendi, & Caduceatorem præmittendi ad Regiam, qui ſequuturis Legatis viam aperiret, negotium ſuſceperunt. Lecti ex omnibus Varro, ac Probus, ut tantarum cauſas irarum in Poetarum Senatu exponerent, brevique oratione ſuam Rempublicam tuerentur. Illi aditu impetrato per tramitem collis aſcenſu minus arduum, ſoliſque Poetarum Principibus pervium, magna ſuorum caterva deducente in Curiam Apollineam penetrarunt, exceptique ſunt inibi perhonorificè, cum ſuis olim Magiſtris chorus humaniſſimus aſſurrexerit. Munera primùm Varro prompſit, horti delicias ſui, & pulcherrima ſtamina, quibus indigent Muſæ, ut Dædaleis manibus phrygium opus acu pingant erudita. Tum cauſam aggreſſus, Divina illa

Pare-

(1) *Refelluntur illa a Nigidio.*

(2) *Iterum contra Grammaticos Seſquipoetæ debacchantur.*

(1) *Pugnam dirimunt Seniores Grammatici, & ad Muſas Legationem a' . nant.*

Panegyri ſalutata, in hunc ferè modum incœpit:

(1) SI, veluti Beatæ Mentes inter ſe, ſic alieni cordis Arcana homines intuerentur, vel per optatas Diogeni chryſtallinas fores Veritas emicaret, inutilis labor, & ridenda eſſet Grammaticæ artis induſtria. Tunc meritò in nos inſurgerent Poetices candidati, qui tanta in præſens audaciâ noſtrum allatrant nomen, ut Apollo cum Marſya rurſus altercari videatur. Sed quandoquidem ſine verborum coloribus pulcherrimæ imagines mentis nulli innoteſcunt, ſoluſque oſor hominum Timon colloquia reſpuit amicorum, cur nigro potius illa delineare carbone, quàm purpureis notis arrideat? Cur humilibus, & aliquando barbaris vocibus, non elegantibus, & Donato probatis, nobiles animi fœtus induere? Cur labra ſordido vaſi, non aureo crateri, ut Sapientiam haurias, admovere? Utinam adeo nos eadem alliceret Sapientia, ut Solis inſtar, veſtem verborum, quaſi nubem, recuſaret ſuæ pulchritudini inimicam. Sed nimis in aperto eſt quàm ingratus ſit ſtudendi labor, illumque minuat floridis verbis expreſſa Sententia. Dicendi nobilis character eſt magnes attrahens oculos ad legendum: Cedrus immortalitati conſecrans erudita volumina, qua deſtituta vix unquam temporis tineas effugerunt. Quadrigis invehimur candidè ſcripta percurrentes, cum adhorrere, ac nutare debeamus, perinde ac ſi cænosâ viâ ingrederemur, quando in Libros inquinata oratione exaratos incidimus. Non illos argumenti dignitas, non Sententiarum acumen tueri poteſt: quæ pariter ſententiæ rarò eminent jacentibus verbis, cum ferme idem ratiocinari, ac loqui ſit apud Græcos, qui eodem rem utramque nomine complectuntur. Quæ cum ita ſe habeant, patet, nos quoque aliquid eſſe in Regno Sapientię, noſtroſque conatus aliquid conferre literis, quibus dulcedinem ingenuæ elocutionis aſpergunt: nec injucundam hanc artem dici poſſe, ſine cujus deliciis ipſæ Scientiæ principes torquent ingenia. Rhetoribus quidem altioris elegantiæ laudem, & ea ornamenta concedimus, quæ conſequitur vivida mentis volantis audacia; ſed linguæ candorem, ſed nativos Latii flores amamus, illumque limâ ſtylum terimus, quem illico effingere præſumat auditor, ſed ſtudeat multùm, fruſtraque laboret auſus idem. Fortaſſe non feriet hebetes vulgi oculos minorum Syderum fulgor, qui noſtram orationem illuſtrat; ſed illis pretium copia faciet, neque lyncea Sapientum lumina effugient. Erit, qui ſtudium noſtrum irrideat, cum in venandis propriis Latii vocibus, earumque ambitu nos videat inſudare, ſed ille Priſcorum eloquio, & expedito dicendi genere deſtitutus, ſententiam ſuam multiplici, implexaq; oratione vix tamdem enodabit, non ſine ſtomacho aſtantis coronæ, quæ per ſylvas, & ſenticeta fugientem ſequi cogitur hippocentaurum, monſtrum ſcilicet informe, Latino, & Semiaſro ſermone conflatum: vel ſi verba demum ſingula Tullio ſe tueantur auctore, periodus ipſa a Gothis ducta videbitur, caróque nimium exoptatam rei cognitionem vendet auribus eruditis. Tam inconditè, ineptèque ſua ſenſa deſcribent, ut ad papyri latus, quid ipſi dicere voluerint, interpretari cogantur, primis omnino Pictoribus pares, qui Æliano teſte ſub Turris figura Turrim ſe formaſſe ſcribebant; hoc uno tamen Palladis aves, quod veluti Noctuæ lucem oderunt. Qui nunc faſtidioſo ſupercilio noſtras irridet nugas, ut vile pabulum exultantis ingenii, ſuas ille merces Indis vendere properet, & Garamantibus; hìc enim riſum Auditores tollent impunè, cum peccantem in ſyllabis, cum turpiter in ſolæcos labentem audient, qui grandia quæque ſpirabat. In ſyrtibus hærere ſe dicunt, cum ad legendos orationis floſculos invitantur, nec aliter indignari, quàm Princeps, cui Theſauris incubanti ſingillatim ſervus marinas conchas, & viles echinos oſtentaret. Sed hujus citò divitias abſumet edacitas temporis: hic Mutinam, inquit Catullus, morietur ad ipſam, nec alpes cum Annibale ſuperabit, fruſtraque veſtrum hunc in collem ſperabit eniti, in quo locum nobis aliquem, quæ veſtra, Muſæ, eſt humanitas, eſſe voluiſtis. (1) Tumet illis quidem jecur difficili bile, quòd cæterarum omnium diſciplinarum famulis, (ſic illi Grammaticos vocant,) pateat aditus ad Parnaſum ſibi intercluſus, & hoc ſæpius in nos ſervile nomen, velut haſtam Achillis, intorquent? Vecordes. qui ſe ipſos publicant inhumanos, cum in ſervos demum ſuos inſurgere ſe profitentur. Inepti, qui nobis illud per contemptum obiiciunt, quo unicè ſuperbimus. Servimus enimvero Rhetoricæ, ac cæteris facultatibus: hoc eſt, a nobis Rhetores Tullianum Latini Sermonis leporem mutuantur. Servimus Poeticæ, ſtamina quippe præbemus a Muſis ornanda; ſed ex hoc ipſo liquet, hanc eſſe Artem eruditæ Reipublicæ neceſſariam: ſtare alias abſque iſta non poſſe, cum ipſa cæteris non indigeat;

(1) *Varronis Oratio in Senatu Muſarum ſuæ Artis præſtantiam extollentis.*

(1) *Non eſt hujus Artis dedecus, quod ſerviat aliis Diſciplinis.*

Digitized by Google

geat; quod adeo ſervile non eſt, ut prope ad naturam Divinitatis accedat. Demum, ut leviſſimè dicam, incauti, eo nomine nos accuſantes, quo ſe ipſoſquoque condemnant. (1) Si enim Grammatica vilis habetur, eò quòd ſe fingat in gratiam alterius, & ad illius commodum dirigatur, quid, rogo vos, de Poetica, de Oratoria quid afferemus, quæ nullum non lapidem movent, ut Auditoribus blandiantur? Styli ubertatem comprimunt, ſi Lacones alloquantur; ampullas verò, & ſeſquipedalia verba proiiciunt in Urbibus Aſiæ perorantes; adeoque ſervilem in modum Concionis genium affectantur, ut meritò Coquos Rhetoribus contulerit Plato; utrique enim non ſuo, ſed palato aliorum indulgent. Ut autem hoc ſervile ingenium Eloquentiæ animorum Reginæ non officit; neque nobis contumeliæ detur, quod Rhetoricæ famulemur. Nullus ignobilem hanc Facultatem audeat appellare, qua Patres Romani, imò ipſe Cæſar Auguſtus poſt Orbis regendi curas non erubuit pueros informare. Veſtræ modò ſunt partes, doctæ Sorores, decernere, utrum causâ labi videamur, eorumque compeſcere audaciam, qui, niſi ſe immerita lauro protegerent, profectò experirentur non unum ab Archiloco ad laqueum adactum fuiſſe Lycambem; ſed a nobis etiam, in vocum videlicet diſcrimine laborantibus, homines trium literarum, expilatores alienæ Poeſis, in Jota longum poſſe converti.

(2) Dixit, illiuſque Muſæ in Sententiam abiere, profeſſæ plurimùm ſe debere Grammaticis; Senatus verò conſultum prodiit, quo Seſquipoetis igne, ac fonte Apollineo eſt interdictum, Plautoque imperatum, ut ludicro igne ad funes admoto, eoſdem præcipites e Parnaſo ageret. Hæc fata ſperare poſſunt, qui unà cum pueris Priſciano caput obtundunt.

PROLUSIO XVII.

In Divinarum Explicatione Literarum Paradoxa proponi poſſe: atque hoc præſtandum ab interpretantibus Iſaiæ Prædictiones.

PAradoxa, ideſt admirabiles Veritates, quæ prima fronte præſeferunt ſpeciem falſitatis, utcumque locum habeant in Oratoriis, Poeticis, Philoſophicis, Politicis, & Polemicis quoque Diſſertationibus, excludenda certè videntur a Sacrarum Explicatione Literarum. Omnes huic diſſentaneæ apparent Paradoxorum claſſes, tum quæ demonſtrandam ſuſcipiat Veritatem Propoſitionis, quæ Contradictoriis contexta vocibus videatur: tum, quæ Contrariis: & alia, quæ Diſparatis; & ultima, quæ generatim Expectationi repugnantes res oſtendendas aſſumat. Adeo Novitas omnis, quæ ſemper Paradoxis ineſt, vitanda eſt a Divinorum Oraculorum Interprete, ut idem jubeatur ſequi communem Veterum Patrum Sententiam. (1) Verùm cum primas duas ſpecies ab apparente Contradictione, aut Contrarietate petitas, reiiciam, ut tamen amplectar alias a Diſparatis, & cum Expectatione pugnantibus, ratio mihi ſuadet, & illuſtrium Virorum Exempla, quorum aliqui Concionibus, alii Commentationibus in Evangelia ſuis, Paradoxorum Nomen præfixerunt. Inhærendum profectò eſt Veterum Patrum veſtigiis. Sed cum illi varias in ſententias abeunt, neque ulla eſt, cui plerique inſiſtant, cur non liceat hanc, aut illam ſectari, atque tunc ea proferre, quæ parum eruditis diſparata videri poſſint, aut ſaltem certantia cum iis, quæ plerique præſtolabantur? Auſim igitur affirmare, quod in ipſarum quoque Sacrarum Expoſitione Literarum ſtatui Paradoxa poſſint, atque hoc præſtandum ſit a nobis interpretaturis Oracula Evangelici Prophetæ Iſaiæ.

(2) Sed prius indicamus hoc ipſum præſtitum jam fuiſſe in Divinæ Explicatione Apocalypſis, in qua (relictis infauſtis Præſagiis infligendarum ſceleribus Pœnarum, quæ ab omnibus exponuntur) enucleare tentavimus paucis omnino compertas, ſed a graviſſimis Authoribus detectas, fauſtiſſimas Militantis Eccleſiæ per plurima Secula in univerſo Terrarum Orbe regnaturæ Promiſſiones Cæleſtes. Hæ porrò non tenue Paradoxum viſæ ſunt plurimis.

(3) Evangelium deinde adorti expendere, invecti ſumus in Lutheri, & Calvini dementiam jactantium ſuam eſſe illius Literam, cæterorumque Sacrorum Librorum, Allegorici, Anagogici, aut Moralis Senſus Indagatores plerumque cæteros eſſe, at Literali ſe omnino Senſui addictiſſimos, *Evangelicos* proinde nuncupant ſe per non feren-

(1) *Etiam Poetica, & Oratoria, famulantur alieno ingenio.*

(2) *Muſarum Sententia Grammaticis favens.*

(1) *Quæ Paradoxa proponi poſſint a Sacrarum Literarum Interprete.*

(2) *Quæ propoſuimus explicantes Apocalypſim.*

(3) *Et Evangelia.*

Digitized by Google

ferendam audaciam; ſed eodem videlicet jure, quo ſe ipſos perinde appellant *Eccleſiæ Filios Reformatæ*, uſurpato nimirum hoc vocabulo per Antiphraſim, quia formam omnem Eccleſiaſticæ Diſciplinæ e medio ſuſtulerunt. Utinam grande illi Paradoxum, ideſt inſignem, licet Expectationi contrariam, Veritatem exiſtimaturi ſint Corollaria, quæ adjecimus ſelectis Divinæ Hiſtoriæ locis literaliter evertentibus eorum veſanias. Improviſa eadem accident Orthodoxis plurimis, qui fortaſſe inquient: Si hęc tela nobis ſuggereret Divinum Evangelii Armamentarium, cur illa Propugnatores Veritatis aliunde petere laboraſſent? (1) Cur (ut appoſito exemplo utamur) ad impugnandas Quinque damnatas Janſenii Propoſitiones vix quicquam ex Evangelio Scriptores alii prompſiſſent, nonnulla expiſcati e Sacris aliis Literis, pleraque autem a Sanctis Patribus, cum quibus, cumque ſe ipſo, conciliant Auguſtinum, quem ſuum eſſe per ſummam Magiſtro Sanctiſſimo, Sapientiſſimoque inflictam injuriam Janſeniani gloriantur? Initam ab aliis viam adeo non improbamus, ut nos quoque alteri, diverſæ ab illa, qua nuper tentavimus iter, ſemitæ prius inſtiterimus. Sacræ nimirum Tridentinæ Synodi Definitiones tantummodo adhibuimus in alio certamine contra Janſenianos ſuſcepto, demonſtrantes nullum eſſe inteſtinum ſubterfugium ex tot illis, quibus Apoſtolicæ Cathedræ fulminibus deinde ſe ſubducere conati ſunt, quod illis prius Tridentinum Concilium non pręcluſiſſet. Nuper autem, Patribus, & Synodis, imò & Sacris aliis Libris, vix unquam attactis, petita ſolùm ex Evangelicis Oraculis Argumenta in illos intorſimus. Novum hoc, & Paradoxum pugnæ genus minimè hucuſque aggreſſus fueram, quia cum cæteris inquiſiveram apertè repugnantes Janſenianis in Evangelio Propoſitiones: v. g. *Quod Præcepta omnia Divina ſervari poſſint*: *Quod, præter Efficacem Gratiam, ſufficiens quoque divinitus conferatur*: aliaſque hujuſmodi. Sed ſi contradictoriæ Theſibus omnibus Hæreticorum Propoſitiones ſemper extarent in Eloquiis Divinis, quo pacto Veritas aſtipularetur Apoſtolo dicenti: *Oportet & Hæreſes eſſe, ut, qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis?*

(2) Quoniam igitur non ſemper inveniri queunt Propoſitiones oppoſitæ illis Eccleſiæ Hoſtium, explorandam animadverti vim, & Emphaſim eorum, quæ a Divina Sapientia proferuntur, quæque ex illis vel antecedentia præſumuntur, vel ex iiſdem conſequentia manant. Porrò non minus Præſumptionibus, quàm apertis Propoſitionibus, pondus ineſt, quando loquitur Infinita Sapientia, quæ falſi nihil præſumere poteſt, aut neceſſariò inferendum offerre. Ideo ſi ea, quæ Verbum Divinum Humanitate indutum, vel divinitus afflati ejus Vitæ Scriptores eloquuntur, ejuſmodi ſunt, ut ex iis aliæ Veritates præſumantur, aut neceſſariò emergant, hæ ipſæ, quæ a primis eliciuntur, omnino ſunt, tamquam certiſſimæ, in animum admittendæ. Introſpicienti Pręſumptiones arduum non fuit plurima Evangelii loca contra ſingulas Janſenii Propoſitiones afferre, ac ferè Octoginta, ſi omnium ſimul ratio ineatur. Cum de Literali, hiſtorico, germano, & nativo Locorum eorumdem Senſu apertè liqueat, nulluſque inveniri queat Antiquus Pater hoc ipſum negans, cur non liceat nova hæc tela intorquere in Eccleſiæ Adverſarios?

Eamdem Præſumptionum vim expendere in Iſaiæ Interpretatione ſupervacaneum plerumque erit, cum apertè proferat ea, quæ ſpectant ad noſtræ Salutis Aſſertorem in quovis ſuarum Prædictionum Capite. At Paradoxum, dices, hoc non erit, quia communis perſuaſio eſt de illo tam disertè tractaſſe, ut ideo Iſaiam non Prophetam ſolummodo, ſed & Evangeliſtam, & Apoſtolum dixerint Hieronymus, & Auguſtinus. Imò hic cum Athanaſio aſſeveret non tam illum res a Domino geſtas prædixiſſe futuras, quàm narraſſe jam opere ipſo completas.

(1) Quid tum? Diſparatum ne proinde nihil, nihil communi Expectationi repugnans a nobis ex illo afferri poterit, quod Paradoxi nomen promereatur? At communis Recentiorum Interpretum Sententia eſt, quod, licet a Quadrageſimo Capite uſque ad Operis finem ferè perpetuò agat de Servatore Noſtro, idipſum tamen non præſtet ex profeſſo in priori, eaque longiſſima, Prophetiæ Parte. (2) Scriptor religioſiſſimus, & doctiſſimus Gaſpar Sanctius in Prologo inquit: *Illud Prophetiæ genus, quod Onus vocatur, ſæpius uſurpavit, quàm alii Prophetæ ſimul, nam a Capite 13. uſque ad 23. ab Onere incipiunt Vaticinia, & in Onere impo-*

(1) *Quæ attulimus Argumenta contra Janſenianos.*
(2) *Expendendo Suppoſitiones factas a Divina Sapientia habentes infallibilem Auctoritatem.*

(1) *Erit Paradoxum, quod Iſaias agat in ſingulis Capitibus de Chriſto Domino.*
(2) *Contrarium Magnorum Interpretum Opinioni.*

Digitized by Google

imponendo Populis, *explicandoque conſumuntur*. Opinatur ergo, nihil in hiſce Capitibus ab Iſaia de Chriſto Domino præſagiri. Diſparata proinde videri poterunt, quæ de clade ſolummodo Babylonis, Ægypti, Æthiopiæ, Arabiæ, vel Iſraeliticarum Tribuum viſa loqui, de venturo quoque Redemptore Noſtro literaliter agere oſtendemus.

Præclarus quoque Author Jacobus Gordonus Leſmoræus: *Pars Prior*, ait, *licet aliqua pariter habeat de Meſſia, & Vocatione Gentium*, *tamen maximè eſt de reprehenſione Peccatorum.* Nec minori Pietate, quàm Sapientia præſtans Cornelius a Lapide ſic eloquitur; *Duæ Operis hujus ſunt Partes principales*: *prior habet Oraculum triſte*, *objurgatorium*, *& comminatorium*, *continetque quinque Sectiones & porrigitur a Capite Primo uſque ad Quadrageſimum*. Paradoxum igitur erit, ſi, contra perſuaſionem Maximorum quoque Virorum, nedum communem cæterorum, ſtatuemus, in quovis etiam prioris Partis Capite actum de Chriſto Domino ab Iſaia fuiſſe, ferè ſemper allegantes Authoritatem Patrum plurimorum, qui eumdem tribuerunt Literalem Senſum locis a nobis afferendis tamquam de Divino noſtræ Fœlicitatis Inſtauratore loquentibus.

(1) Proludamus autem iis, quæ ſeriò in Lectionibus tractanda nunc ſolummodo indicabimus, conferta enumeratione mirabilium rerum, quæ Iſaiæ ipſi contigerunt, & hiſtorica Paradoxa videri poſſunt: nimirum quod cum ſe Filium Amos dicat, & Lib. 4. Regum Cap. 20. prius narraretur: *Venit ad eum* (ideſt ad Ezechiam Regem) *Iſaias Filius Amos Propheta*: Patrem habuiſſe creditus fuerit illum ex Duodecim Minoribus Prophetis, qui paſcebat Oves in Thecue. Sed in Editione Sixti Quinti nunc legitur juxta Septuaginta Interpretum Verſionem: *Filius Amos Propheta*: & compertum eſt genitum illum fuiſſe a fratre Amaſiæ Regis. Quod ignito carbone, aut verius carbunculo, ejus labia non incenderit Seraphim, ſed purgaverit. Quod illius Præconia Deus ipſe dictaverit Eccleſiaſtici cap.48. *Magnum* illum appellans *Prophetam*, *Sanctum*, & *Fidelem*. Quod rem penitus inſuetam, & cui Divina ſolùm Oracula fidem poſſint aſtruere, illi præſcripſerit, nimirum ut nudus incederet, & concionaretur nobiliſſimus Princeps omnium ſibilis expoſitus, ac per tres omnino, ut plurimi exiſtimant, annos. Quod prophetaverit per annos pluſquam Nonaginta, ut conſtat ab inita ratione temporis, quo imperarunt Reges, ſub quibus habitas a ſe Viſiones recenſet. Quod violentas illi manus non intulerint Magnates, & Populus, quos in primo ipſo Prophetiæ Capite graviſſimè objurgans; *Audite*, inquit, *Verbum Domini*, *Principes Sodomorum*: *percipite auribus Legem Dei Noſtri*, *Populus Gomorrhæ*. Quod Solem a peracto per horas decem curſu revocaverit, cujus regreſſus indicium oſtenderit Ezechiæ in Horologio Acaz. Quod Cæleſtis Militiæ Ducem invitaverit ad profligandum Exercitum Sennacheribi, atque ille Iſaiæ obſequutus una, eademque nocte percuſſerit, & extinxerit Centumoctogintaquinque bellatorum millia. Sed illud omnem ſuperat admirationem, quod Sanctiſſimus Senex Centenario longè major, & Prophetarum Princeps ab inſano Juvene Manaſſe Rege, illius Genero, contra cujus crimina exarſerat, interemptus fuerit ex communi contra Abulenſem Sententia, & ex Authoritate Martyrologii Romani, quam aliis omnibus anteferendam meritò cenſet Prudentiâ inclytus, & Eruditione P. Gaſpar Sanctius. *In Judæa* (legitur pridie nonas Julii) *S. Iſaiæ Prophetæ*, *qui ſub Manaſſe Rege ſectus in duas partes occubuit*. Hoc etiam horribile tormenti genus illius gloriam, & rei admirabilitatem auget. Ejus indicium extat in Apoſtolo ad Hebræos cap. 11. ubi de Sanctis ait: *Lapidati ſunt*, *ſecti ſunt*. Et quod ligneâ quidem ſerrâ medium ſecari juſſerit veſanus Princeps, commemorat S. Juſtinus Martyr, & Scholaſtica Hiſtoria. Cæleſti etiam aqua in os ejus influente recreatus fertur. Neque aliud neceſſe eſt venari Prodigium a Fabulis Hebræorum, nimirum, quod ſe ſubtrahentem a furente Manaſſe aperta repentè prægrandis Cedrus in ſuum ſinum exceperit, ſimul cum qua juſſus fuerit dividi in partes, lignum ligno ſecando, quod aſſequi enimvero immanis Tyranni ſævitia nequiviſſet.

Quemadmodum verò Paradoxis affluit Iſaiæ Vita, & Interitus: ita illuſtria ſunt illa, quæ nobis ejus Scripta ſuppeditant. Mirum profectò eſt, quod Propheta ſimul fuerit, & præcognitæ Narrator Hiſtoriæ. Sed hoc admiſſum ab omnibus recenſeri non debet inter Veritates, quæ prima fronte præſeferant ſpeciem falſitatis. Hæreo in illo, quod Sapientiſſimis etiam ſupra recenſitis Viris novum videri poſſet, nimirum, quod in prima quoque Prophetiæ Parte, ac in ſingulis Quadraginta illius Capitibus, Iſaias contexuerit Evangelium.

(1) *Proludimus innuendo Paradoxa hiſtorica quò ad Iſaiæ Vitam*.

Ad

Digitized by Google

(1) Ad hoc demonſtrandum plurimas proponemus Regulas in illius, aliorumque Prophetarum, Sacrorumque omnium Librorum Explicatione ſervandas, præſertim ad Literalem Senſum ſolerter introſpiciendum. Oſtenſuri, quod in Prima quoque Prophetiæ Parte non minus, quàm in Secunda, totus ſit in Redemptoris Noſtri Myſteriis prænuntiandis, decernemus, diverſam plurimorum opinationem natam ex eo fuiſſe, quod præſumant geminum rarò eſſe Literalem Senſum in Prophetis, aliiſque Sacris Scriptoribus. Multiplicem autem frequentiſſimè re ipſa hunc eſſe centena nos exempla docebunt: & ab ejus copia nullatenus imminui robur Textuum, qui vel ad erudiendos pios, vel ad impios impugnandos afferuntur. Loca porrò omnia, quæ in Novo Teſtamento allegantur ex Veteri, dici non poſſe, quod careant Literali Senſu, ſed habeant ſolummodo, quem dicimus Accommodatitium, per quem ſcilicet Sacræ Literæ non exponuntur in Senſu Hiſtorico, & proprio, neque Allegorico, aut Anagogico, ſed per Extenſionem, aut Alluſionem applicantur alteri cuidam rei, quam Sacer Scriptor neque intellexit, neque ſignificavit. Ad hoc autem, ut Senſus aliquis cenſeatur Literalis, etiamſi neceſſe non eſſet, ut ille priùs perſpectus fuiſſet ſcribenti, probabiliſſimum tamen eſſe, quod ab Iſaia prævifi fuerint illi omnes, in quibus ipſum literaliter loqui de Chriſto Domino apertiſſimum erit.

(2) His præjactis innuimus quædam ex iis, quæ in primis Octodecim Capitibus dilucidabimus. Dum initio ait: *Cognovit Bos Poſſeſſorem ſuum &c.* literaliter reſpexit Iſaias ad Præſepe Servatoris Noſtri: neque ſolùm eidem hæc verba accommodavit Eccleſia, ut ſapientiſſimi PP. Sanctius, & Cornelius, aliique recentes Interpretes opinantur, falſi tamen inſanire Calvinum, qui SS. Ambroſio, & Auguſtino, aliiſque Patribus inſultat affirmantibus Prophetam fuiſſe loquutum ad Literam de Divinis Incunabulis. Illa Iſaiæ verba cap. 1. *Væ Genti peccatrici &c. Omne caput languidum &c.* propriè, ac literaliter dicuntur de Chriſti Domini Paſſione, ac de Judæis eumdem blaſphemantibus. Prope finem Capitis Primi prædicere incipit Hominum Fœlicitatem cum Salvatore orituram.

Fundandam ab illo novam Eccleſiam, & ad eam acceſſuras Gentes omnes, palam repræſentat initio Secundi. Aſpectabilem fore Chriſti Eccleſiam contra ſuſcitandam a Luthero, aliiſque Hæreſim declarat. Mirincè ſupra illam aliorum omnium Hominum, & Angelorum, elatam Sanctitatem Matris Divinæ ibidem intuetur. Univerſaliſſimam, & non ſolùm Inteſtinam piorum, ſed & Exteriorem omnium Pacem diutiſſimè in toto terrarum Orbe duraturam apertè vaticinatur. Et Secundum Adventum Judicis Divini cum Majeſtate magna ad Sententiam de Mortalibus ferendam.

Hoc ipſum, de quo agere incipit prope finem Capitis Secundi, egregiè pingit Capitibus Tertio, Tertiodecimo, & Sexageſimoſexto.

Quod Chriſtus Dominus ſit Radix totius Gratiæ, & Juſtitiæ, Caput, & Corona Sanctorum omnium, vidit Capitibus 4. 22. 28. 53. & 61.

Multis nominibus amantiſſimè illum compellat Cap. 5. atque graviter conqueritur de Synagoga contra illum inſurrectura, eique minatur excidium Temporale, ac Sempiternum, ob mortem, quam inferet Authori Vitæ.

Duo Seraphim, quæ aſpexit Capite 6. & aureus Forceps ab uno ex ipſis adhibitus, ſignificant duo Teſtamenta, ideoque hic etiam de novo inſtituendo a Chriſto Domino admonitus Iſaias fuit. Quodque oſtenſa ipſi fuerint Auguſtiſſimæ Trinitatis indicia, adeoque Verbi Divini, a quo ſumenda eſſet caro, graviſſimi Patres affirmant.

Concipiendum Virtute Divini Spiritus, & naſciturum ex Virgine Deum Hominem apertiſſimè prædixit Capite 7. eumque agnovit rerum omnium Authorem, Dominum Omnipotentem, & Solum Altiſſimum.

Plurima præſagit Capite 8. nimirum proprium fore Servatori Noſtro *Emmanuelis* nomen: ipſum a Magis adorandum: ſeligendos ab eodem Diſcipulos pauperes, & idiotas: ſuſcitandas contra ipſum Vera docentem, & Vitia corripientem, inſectationes Phariſæorum, atque Scribarum: eumque piis futurum in Sanctificationem, Impiis autem in lapidem offenſionis, & petram Scandali.

In Bethleem natus pauper Rex aſpicitur manifeſtiſſimè ab Iſaia Capite 9. eique Divinitatem ejus, & Meſſiæ munus ſignificantia Nomina tribuuntur. Rex Iſrael, totiuſque Orbis Dominus appellatur, & Salvator Populi ſui, qualis præterea dicitur Capitibus 63. & 64. inque hoc ipſo Capite 9. expreſsè nuncupatur Verus Deus, & ſpondens Pœnitentibus Regnum Cælorum, ad quod ape-

(1) *Indicantur quædam ex Regulis, quibus Paradoxa ſtatuemus.*

(2) *Percurrendo prima Octodecim Iſaiæ Capita teximus Indicem rerum exponendarum.*

Digitized by Google

aperiendum exhibetur bajulans ſibi Crucem tum hìc, tum Capitibus 22. 46. & 63.

Præparatur Capite 10. via ad ea, quæ pulcherrima referantur in 11. ubi deſcribitur Chriſtus Dominus ut Flos aſcendens de radice Jeſſe, nimirum de Beatiſſima Virgine orta e Stirpe David, & ſuper illum requietura dicuntur Dona Spiritus Sancti, de quo iterum concipiendus dicitur, Verus Meſſias, Spes Unica Gentium, quæ omnes ad illum confluent, quaſque omnes reget, Pauperes præſertim, aliosque Miſeros protegens a Calumniis Superborum, Hypocritas, & ſuperbos Phariſæos ſeverè coarguens, futurus obediens uſque ad Mortem, & perquàm honorificè ſepeliendus.

Poſt expoſitam Chriſti Victoriam, Laus eidem canitur Capite 12. & jubetur ad illum converſa Turba pangere Canticum Emmanueli, cujus Latus Lanceâ percuſſum Propheta veneratur.

In aliis decem, quæ curſim attingimus, Capitibus a Tertiodecimo ad Vigeſimumtertium, quæ *in Onere imponendo Populis, explicandoque conſumi* opinatur doctiſſimus Pater Gaſpar Sanctius, nil agi videtur de Vitæ Noſtræ Authore. Diſparata proinde, ideoque Paradoxa præ cæteris, erunt ea, quæ de ipſo literaliter differere, fulti magnorum authoritate Patrum, oſtendemus.

Quod poſuerit in eo Dominus iniquitates omnium noſtrum, edixit Capite 13. Quodque in noviſſimo die poſt multa Prodigia Finem Mundi antecedentia cum Majeſtate omnes judicaturus adveniet.

Quamvis Capite 14. exponere ſolùm videatur excidium Babylonicum, & Septuaginta Annorum captivitatem, & ſolatium afferre Judæis in Patriam redituris, & præſagire pœnam, & interitum Balthaſſaris Regis, & ruinam inferendam Philiſtæis ab Ezechia; verè tamen prænuntiat quoque pauperes, & indoctos a Divino Magiſtro vocandos ad Apoſtolatum, & ejus Obedientiam uſque ad Mortem ultro excipiendam.

Capite 15. Loqui ſolùm videtur de Clade Moabitarum, quam cum pertractet etiam Cap. 16. extemplo rapitur a Spiritu ſemper ad Meſſiam tendente ad orandum Deum, ut illum mittat de Petra Moabitica oriundum, nimirum ex Ruth Moabitide: ac evincitur prænoviſſe Mortem a Salvatore pro omnibus obeundam.

Dum Capite 17. vaticinatur excidium Damaſci, Syriæ, & Samariæ, atque commemorat ejus Cauſas, Idola nimirum, & Impietatem, plurima innuit de venturo Meſſia.

Prophetiam, quàm Capite 18. de Ægypto ſolùm, aut Æthiopia eſſe plurimi putant, verſari cenſemus etiam circa Novum Orbem ad Chriſti Domini Cultum ab Apoſtolicis Viris invitandum.

Mitto reliqua in ſingulis uſque ad Operis finem inventa Capitibus pertinentia ad Conſortium Divinæ, Humanæque Naturæ. Specimen hoc, ſeu verius noſtri conatus Veſtigium excitavit, opinor, honorarios Sapientiſſimos Auditores ad ſperandum incrementum Eruditionis, ac Pietatis in iis, qui quotidianis addicti Lectionibus animadvertent, quod non alicubi tantùm, ut plerique putant, ſed *Ubique*, ut Divus Ambroſius affirmat, *Chriſtum perſonat, & ad illum perpetuò aſpirat*, Evangelicus Propheta Iſaias.

F I N I S.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS LAURENTII LUCCHESINII

Lucenſis e Soc. Jesu

Sacræ Congregationis Rituum Conſultoris

ORATORIA PARADOXA.

TOMUS ALTER,

IN QUO

PANEGYRICI.

Editio Altera.

Digitized by Google

Digitized by Google

MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS

PRÆPOSITUS GENERALIS SOCIETATIS JESU.

CUM Librum, cui Titulus: *Oratoria Paradoxa: in Duos Tomos diviſum, Authore P. Joanne Laurentio Lucchesinio Societatis noſtræ Sacerdote*, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut Typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur: cujus rei gratiâ has Literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 28. Martii 1713.

Michael Angelus Tamburinus.

Reimprimatur,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

N. Archiepiſcopus Capuæ Viceſgerens.

A P.

Digitized by Google

APPROBATIO

Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini

D. LUDOVICI SERGARDI

Sacræ Conſultationis Ponentis, Signaturæ Gratiæ Votantis, &c.

Reverendissime Pater.

P*Erlectis Oratoriis Paradoxis Patris Joannis Laurentii Lucchesinii (cujus celebre Libris hactenus editis Nomen) Romani Sermonis Nitorem, Sententias, Ingenium, Eruditionem, ac Doctrinam, ſum planè admiratus. Quapropter totius Literariæ Reipublicæ bono Lucubrationes hujuſmodi publicâ lucis uſurâ digniſſimas cenſeo.*

Ludovicus Sergardus.

Reimprimatur.

Fr. Gregorius Selleri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter Ordinis Prædicatorum.

Inſa-

Digitized by Google

Inſaniens hominum Prudentia extincti Numinis rea,

SIVE

DE CHRISTI DOMINI CRUCIATIBUS

ORATIO PRIMA.

Habita in Sacello Pontificum Vaticano ad Sanctiſſimum Dominum

CLEMENTEM DECIMUM

Pontificem Maximum.

IGNORAVIT (1) profectò, quid eſſet Amor, inſaniens Ethnicorum Sapientia, Beatiſſime Pater, cui Stultitia videri potuit, quod Immortalem nobis adepturus Fœlicitatem prodigus vitæ fuerit amantiſſimus Deus. Admiratione potius defigi debuiſſet, ſi a ſe propemodum exul, ut cum magno Dionyſio loquar, Deus ipſe didiciſſet amare ſapienter. Graſſatum ego ad parricidium Hominis Dei Mortalium amentium odium admiror; & carptim, breviſſimèque perſtringens Servatoris noſtri funeſtiſſimam cædem omnium deflendam lachrymis ſeculorum, oſtendo, perpetrari eam ſolùm potuiſſe ab hoſtibus prolapſis in vecordem inſaniam, de quibus ut ſumeret pœnas, ipſa etiam mutato rerum ordine viſa fuit acerbiſſimè inſanire rerum Natura.

(2) Te primùm agitarunt ſcelerum furię, perditiſſime Transfuga, qui cum a Magiſtro emendi tenuiſſimis ſumptibus, & vel unâ lachrymulâ, Cæleſtis Regni copiam fieri audiviſſes, nullo ferè pretio venalem ipſum Regem exhiberi poſſe ſtulta ratiocinatione confeciſti.

(1) Tuus furor, Sociorum fuga, Petri defectio, quem imperterritè olim congreſſurum cum Urbe Regina terrarum, nunc e mentis ſtatu dejectum metus Ancillæ debellabit, magis quàm cæterorum exercitus cruciamentorum, timoris, ac triſtitiæ nubibus Divinę ſerenitatem frontis obumbrat, & ſauciato per ipſum animum corpore, in ſanguinis imbrem Cæleſtia membra diſſolvit.

(2) At vos nocturnos furiarum ſatellites miſerè ne dixerim delirantes, eò quòd facibus quæratis Solem, ad quem talpæ cæcutitis? Furere profectò videmini, qui trepidatis tumultum Populi, neque Ducis hujuſce, qui vos indice Divinitatis voce, veluti fulmine, attonitos repente proſtravit, evocanda e cælo agmina perhorreſcitis.

Vos

(1) *Inſana Gentium opinio de Amore Chriſti Domini ex S. Paulo* 1. *Cor.* 1.
(2) *Inſania Judæ.*

(1) *Aliorum Diſcipulorum.*
(2) *Satellitum.*

Digitized by Google

Vos idcirco, qui omnem penitus mentem abjeciſtis, funibus illis coercendi fuiſtis, (1) quibus velut inſanam & furioſam Dei Sapientiam rapitis ad tribunalia Judicum iniquiſſimorum, qui furiali improbitate gliſcentis invidiæ reum mortis dixerant Authorem vitæ ob perpetrata Prodigia, ob quæ videlicet immortalitate, & cultu divino digniſſimus erat: quique eumdem e medio tollere inſano prorſus conſilio decreverant, ne contra ſe provocarent Romanos; cum iidem in illius interempti ultionem Hebræorum Rempublicam ſint everſuri.

Interim Sapientiſſimus noſtræ ſalutis Aſſertor, quia mirabili confidentia cauſæ modeſtiſſimè tacet, dum empti teſtes invicem pugnant, impudentiſſimè adjuratur; quia prudentiſſimè reſpondet, crudeliſſimè verberatur. Hæccine pro collatis in te muneribus Deo reddis, Popule ſtulte, & inſipiens?

(2) Jam verò dum Hebræorum Principes ſui criminis conſortes ambiunt Romanos arbitros juris, & æqui, artem quærunt, qua cum ratione inſanire videantur. Religioni ſibi ducunt Prætorium ingredi? At Sacris addicto die Divini Numinis Templum evertunt. Profitentur, vetitum ſibi quemquam e conſortio mortalium expellere? At gladio linguæ feralis interimunt.

(3) Hiccine tributum ſolvi prohibuit Cæſari? At univerſæ Paleſtinæ comperta ſunt prodigia, quibus pecuniam eduxit e piſce in ærarium Cæſaris inferendam. Perturbatæ Reipublicæ accuſatur? At certè ſubverſo Tartari Regno, expulſa e corporibus lue, ex animis crimine, Rempublicam ordinabat. Ambiti inſimulatur Imperii? Vos appello montes, & nemora, in quæ fugâ recepit ſe, dum certatim confluentium hominum, & Regnum ipſi deferentium perpetuis agminibus obſidebatur.

(4) Incaſſum patet accuſatorum perfidia. Opprimetur profectò innocentiſſimus reus. Non minus Judex inſanit metu, quàm delatores invidiâ. Quid ſit Veritas? inquirit, qui ſedet Arbiter veri. Intemperiis agitur, eum, quem cupit eripere funeri, permittens Galilææ Regis arbitrio, qui vel inter epulas laſcivienti puellæ mortalium Præſtantiſſimi caput indulſit.

(5) Cum atria circumfremant vocibus Chriſtum ad mortem depoſcentium, Prætor ipſius dedecus exaggerat comparatione deterrima cum ſceleſtiſſimo graſſatore, oblata alterutrius optione Populo ferocienti, quem tanta invaſit amentia, ut mori præ infami ſicario, ac patriæ peſte voluerit illum, qui extinctos ad vitam e tumulis revocabat.

(1) *Judicum.*
(2) *Principum Hebræorum.*
(3) *Falſorum Teſtium.*
(4) *Romani Prætoris quærentis quid ſit Veritas.*
(5) *Chriſtum Barabbæ comparantis.*

(1) Præſes a mente, conſilioque deductus, ſævit, ut parcat, & ne interimat, occidendum tribuit veſaniæ tortorum Auguſtiſſimum corpus miſerè dilanianti. Neque verò inſontem te arbitreris, Judicum ſceleſtiſſime, coronæ illius immanis, quam in ludibrium quæſiti, ut mentiebantur, Regni, eidem per ſummum dedecus ac dolorem infigunt. Juſſiſti, quæcumque laſtatus a ſocordia tua eſt auſus crudeliſſimorum militum effrænatus, & amens ſæviendi ardor.

(2) An non agitaris amentiâ, qui cruentans animum abluis manus? Expertem te dicis criminis, dum innoxium ſanguinem tartareæ Judæorum ſiti hauriendum præbes? Qui tunc ſolùm viſi ſunt compotes mentis, cum in ſe ipſos pronuntiatâ ſententiâ ſupra noxia capita procellam fulminum invitarunt.

Tu verò pretioſus emptor humanæ ſalutis, ob inſanientis vulgi clamores damnatus a Præſide, quem iræ Cæſareæ metus in præcipitem furorem penitus impulit, juſſus, inaudito genere crudelitatis, labentibus ac ſemimortuis artubus funeſtum lignum deferre: mox eidem inter latrones affigeris, quia infinitam hominum vim e faucibus Tartarei prædonis avellis: quia ſiti noſtræ ſalutis exæſtuas, ferali potu reficeris: dum inter lethales cruciatus non habes, ubi caput reclines, flagrante meridie amoris tui, niſi vel, altius infigerdas vertici, ſpinas admoveas cruci, vel atrocius aperiendas recumbas in vulnera, e quibus cruor omnis perpetuo fluctu diſtillat: quia optimi Principis munere fungeris, vel ipſis latronibus ingerens Regnum, (3) juberis ab inflammatis inſaniâ Hebræorum Principibus e Cruce, tuo videlicet Solio, delabi Dolorum Rex, ut tuum aſſeras Regnum: perinde quaſi eò vecordiæ non veniſſent hoſtes, ut nullam illi, quod flagitabant, quodque infernis viribus tribuiſſent, eſſent adhibituri prodigio fidem.

(4) Quoniam autem portentis acquieturos ſe pollicentur, perge, diurna nox, eripere funeſto facinori Solem, neque reddas ſydera: mugiens tellus, & inſolitis concuſſioni-

(1) *Sævientis, ut parceret.*
(2) *Manus abluentis.*
(3) *Jubentium, ut e Cruce deſcenderet.*
(4) *Univerſæ Naturæ.*

Digitized by Google

ſionibus labefactata dehiſce: montes mutua colliſione concurrite: erumpite ad arguendam vivorum inſaniam e ſepulchris extincti: graviſſimis ejulatibus vergens ad interitum cum Auctore tuo rerum Natura conquerere.

Nos porrò, qui ab aliorum amentia extremas dejecto in ærumnas Deo parentavimus verbis, multò cæteris erimus dementiores, niſi atroci ejuſdem beneficentiſſimi Numinis cæde vehementiſſimè animo commoveamur.

Suum ipſis quoque Cælitibus eſſe Sanctiorem Annum.

ORATIO II.

Habita in Sacello Pontificio.

SI a Sanctioris,(1) qua in præſentia mortales fruimur, Anni fœlicitate, Beatiſſime Pater, aliquam inſoliti gaudii lucem erumpere Cælitibus affirmet, nimis ad audendum projecta videri poſſit oratio. A quo enim lætitiæ fonte inſolitam Jubilei anno haurire voluptatem poſſint, qui perpetuo innatant oceano gaudiorum? Quod præ cæteris Sanctum, & innocens iis tempus recurrat, quibus immortalem integritatis laudem adeptis clarior innocentia præſtari nequeat? Qui veniæ atque indulgentiæ dies illis affulgeant, qui culpam, qua nulla inquinantur, nequeunt amoliri? At certè ad innuendam hac ipſorum triumpho conſecrata luce Sanctorum beatitatem conferri aliquid poſſe arbitror, ſi novum ab ipſis nunc agitari gaudium argumentis evicero, ſimulque oſtendero, quàm ingentem gratiam Cælitibus debeamus, qui ſuam quodammodo arbitrantur hominum meliorem nunc ad frugem reſipiſcentium fauſtitatem.

(2) Et primò quidem, licet nulla Cælitum lætitię vera poſſit ægritudo intercedere, an non amaris lachrymis Angeli Pacis dicuntur Domino parentaſſe? Cur ergo quæ illatas Juſtitiæ Soli a mortalibus injurias atrata nubibus, rorantia lachrymis beatiſſima Sydera proſequuta ſunt, eadem quodam, ut ita dicam, inſolito fulgure riſus perſtringi nequeant, dum ab hominibus major nunc Divinitati cultus exhibetur?

(1) Ex communi ſapientiſſimorum hominum ſententia, cum a Chriſti Vicario ſupremi Sanctitatis honores Cæleſtibus Heroibus decernuntur, inſolitus ipſis lætitiæ ſplendor oboritur, ac ſtillæ quodammodo adduntur deliciarum mari. Si ergo novâ jucunditate paſcitur animus Beatorum, dum major ipſis ab hominibus honor defertur, quis amplecti verbis poſſit, quæ gaudia Sanctiſſimus hic Annus invehat Cælo, quo redeuntibus ad cor innumeris mortalibus ipſius Dei, cujus laudem præ ſua Divi flagrantiſſimè ambiunt, mirificè honor augetur?

(2) Sed omnem nobis temeritatis ſuſpicionem adimit Sapientiæ Divinæ ſuffragium, quæ inſolita quadam hilaritate identidem conſpergi Cælites docet, gaudium affirmans in Cælo fore ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. An non igitur inſolitâ nunc lætitiâ regnum illud beatiſſimum efferatur, cum ferè omnes Chriſti nomini addicti mortales criminibus ſuis ſuccenſent?

(3) Neque verò Radiis illis veri Juſtitiæ Solis, Rivis ingentis Fluvii ex Dei ſede manantis, Servatoris Chriſti Vitis Palmitibus, Beatis, inquam, Cæli civibus, aptari nequeant ea, quæ Sancto Mortalium Anno tribuuntur, ut videlicet captivi ſolvantur: indulgeatur æs, quo alieno gravantur: uberiores iis fructus terra ſuppeditet. Quidni enim hæc Cælitibus communia videri poſſint, qui licet immortali libertate donati ſint, ob amorem tamen, quo noſtræ Pugnanti Eccleſia Triumphans penitus immiſcetur, ſolvi quodammodo ſibi videntur a vinculis, quibus nos ipſi olim obſtringebamur: ſua deleri nomina putant, dum delentur noſtra: novis ornari fructibus ſuum cæleſtium deliciarum hortum arbitrantur, dum iiſdem nos uberius locupletamur?

(4) Qui plauſus ab univerſo Cælitum Concilio datur, dum recluſo ærario illo ditiſſimo in nos Reparatoris Chriſti, Deiparæ, ac Divorum omnium promerita copioſè redundant! Quæ gaudia proveniunt munificentiſſimis illis Regibus, dum comparato ab ipſis auro coronas nobis effingi, quæſitis plurimo ipſorum labore margaritis nobis ornari chlamydes intuentur! Gliſcunt lætitiâ Virgines, dum ipſarum nos candor illuſtrat: explent animum jucunditate forti-

(1) *Falſa proponere videmur.*
(2) *Veritas noſtri Argumenti probatur primò.*

(1) *Secundò.* (2) *Tertiò.* (3) *Quartò.* (4) *Quintò.*

tiſſimi Fidei Teſtes, dum effuſi ab ipſis purpurâ ſanguinis decorâmur : lætior ex noſtra fœlicitate univerſæ Cælitum curiæ dies illucet.

(1) Quot nominibus maximis illis Principibus obſtringimur, quos non modò in ſumma ſua beatitate noſtri non cæpit oblivio (quemadmodum amicorum memoria iis ſolet excidere, quos ſupra communem ſortem evehit fortuna mortalis) ſed etiam noſtram uſque adeo ſitiunt fœlicitatem, ut ex ipſa lætitiæ apicem quemdam ipſorum videantur gaudia præſtolari.

Quin igitur, quæ nunc maximè Cæleſtis Hieroſolymæ Colonia cenſeri poteſt ſanctior Roma, omni ſtudio ſatagit, ut ſedulo cultu virtutis, & ſanctitatis, illius Regiæ gaudio cumulum addat,cui ſe deinde ſociam inferre ambit?

(2) Tu verò B. P. ſummum animi gaudium uſurpa, eò quòd Auctor cùm fueris, & porrò futurus ſis, Cælitibus plurimis ſuavitatis illius, quæ ab ipſis relatis in Album Beatorum exoritur, nunc omnium gaudio plurimùm confers, dum ſanctiſſimè celebras Annum Piacularem, qui nova Cæleſtes Heroes jucunditate perfundit.

Eximiæ D. Joannis Dotes erutæ ex eo, quod cæteri Apoſtoli putaverint illum non moriturum.

ORATIO III.

Agitata dicitur ab Apoſtolis quæſtio de Joannis ævo immortali, Eminentiſſime Princeps, tum quia Veritas ipſa, quæ ſimul eſt Vita, æternos illi viſa fuerat ſpopondiſſe dies: tum ob alia nomina, quæ dum brevi oratione recenſebo Apoſtolorum interpres, eximias Joannis Dotes graviſſima Divinorum Teſtium auctoritate commendabo. Regnas tu quidem jamdudum in Cælo, Vir Immortalis, ac de te fruſtra ſuperbiam quærit ferrea hæc hominum ætas. (3) At nos in altiſſimum tuæ gloriæ faſtigium oculos intendere non auſi, ab argumentis, quibus adacti ſocii te non moriturum crediderunt, tua immortalia merita edocemur,quibus inaudita deberi præmia Judices æquiſſimi ſunt arbitrati. Dum autem animum dubiis rationum momentis conſultò ſuſpendemus, noſtras querelas, & luctum, ob amiſſi tanti Viri deſiderium conſopire tentabimus.

(1) An igitur deficiente ſolùm rerum natura te rapiendum a terris affirmaverunt, quia præcoces delibaveras Cæli delicias Divino Servatoris Amore præ reliquis innutritus, & arcana jam Divinitatis intuitus, dum ſupra pectus Domini oculatiſſimo ſomno vigilaveras?

(2) Vel etiam inter Mortales agentem fruiturum te credidere perpetuæ Regno Fœlicitatis, cum in Chriſto Domino, animi tui parte nobiliori, magis, quàm in mortali corpore, vitam protraheres?

(3) Vel munere cæteris omnibus negato a te mortali defigendum putavere obtutum in Solis inoccidui lucem, cum omnia,quantumvis ardua, tibi ominari ſe poſſe crederent, quem Divinitas Humanitatem induta ad ſingularem Amicitiæ ſuæ dignitatem evexerat: quique ipſo in nomine Gratiam præfers, & munera a reliquis deſperanda?

(4) At qui forſitan præſcii erant futurorum, cum in Evangelio ſecretiora Numinis arcana a Joanne reſeranda cognoſcerent, illumque perpetuò, ut Apocalypſim exararet, Divinitatis alloquio fruiturum, negarunt eximendum a communi cœtu Mortalium, quandoquidem e terris illi patuiſſet Cælum, adeoque nihil ejus fortunis invida ætas potuiſſet officere, quæ cæteroqui mirum quantum fuiſſet hominum Reipublicæ ſalutaris.

(5) Quid,quod par erat e Divinis unum Hiſtoricis ſupereſſe Teſtem oculatum Veritatis a communi ſenſu remotiſſimæ, ac Joannis hæ partes erant, qui Divina magis, & noſtris oculis inacceſſa vulgaturus erat.

(6) Ambire non poterat ſuperba Mortalitas perpetuò frui Reparatoris Noſtri, aut Deiparæ Virginis Vitâ: & magnam idcirco ſui partem in chariſſimo amicorum a Chriſto relictum iri ſperabant: perinde ac Reges a ſua Ditione digreſſi amiciſſimis capitibus tradunt habenas imperii.

(7) Et quis fœlicius recreare poterat deſtitutum Numine Genus Humanum, quam ejuſdem, auſim dicere, Numinis frater? Hoc autem nomine decoratum a morituro Do-

(1) *Paræneſis.*
(2) *Apoſtrophe ad Sanctiſſimum Pontificem.*
(3) *Afferentur rationes multiplices, quæ in errorem Apoſtolos impulerunt.*

(1) *Prima.* (2) *Secunda.* (3) *Tertia.* (4) *Quarta.* (5) *Quinta.* (6) *Sexta.* (7) *Septima.*

Digitized by Google

Domino Joannem ſciebant, adeoque ſuperſtitem illum fore divinabant, ut Divini ſui Fratris, & Virginis Genitricis famam æternaret.

(1) Et quoniam ipſe in Calvariæ Monte Univerſæ partes obiverat Eccleſiæ Deiparam excipiens in Genitricem, immortalem agitare debebat ætatem, perinde ac perpetuo juventutis flore ipſa vernabit Eccleſia.

(2) Non defuere fortaſſe, qui dicerent, quod cum Zebedæi Conjux occupandum a Chriſto terrarum Imperium, & Solium Tiberii Cæſaris arbitrata, pro Joanne Filio ſuo, & Jacobo, nihil tale cogitantibus prima Reipublicæ munera flagitaviſſet, relinquendus ille eſſet a Divino Rege tunc paupere, ut aureo Fidei ſeculo triumphantem de inanibus ſimulachris Crucem intueretur, & inſultans Capitolio Vaticanum.

(3) Vel quia Idola Filius ipſe Tonitrui Fulminis in morem everſurus erat, protrahendum ab illo ævum credidere quouſque in Mundi ſenio terra fulminibus appeteretur, ac Stellæ de Cælo defluerent, ut perpetuo volatu Regiones omnes dimenſus comminueret Signa tartarea, & renaſcentia in dies Hydræ tænariæ capita Divinum Fulmen extingueret.

(4) Sed audis, ut alius illico reponat: Quia Fulmen eſt Tonitrui Proles, ſtatim Aſiam, Europamque, Terraſque omnes pervadet: in Urbe Roma Capitolini Jovis innumera ſimulachra ſubvertet, & Clementi, aliiſque de Flavia Gente Principibus beatiſſimas admovens flammas, ad Imperium Orbis terrarum Veræ Fidei callem aperiet.

(5) Legendus ille eſt, quaſi flos delibatus humani Generis hortis fœlicioribus inſerendus, quorum ſpecimen aliquod capiat pro exule mortalitate. Illinc Tonitrui Filium prope interitum Mundi rediturum putabant ad hominum cœtus, & in Antichriſtum arma moturum; æquiſſimum enim videbatur cum inimiciſſimo Numinis Antagoniſta congredi chariſſimum Numinis Amicorum.

(6) Aſt alius longè diverſa ſtatuebat apud animum ſuum, & ventura præcipiens mente divinitus illuſtrata: Quia Spiritus, forſitan dixit, ſeveriores Eliæ Joannes exuit, poſtquam ſuper amantiſſimum pectus Agni Divini quietem hauſit in Amoris Convivio, & ſuaviſſimo Charitatis igne ſoluta eſt rigida glacies animi, non illum Eliæ fata letho ſubducent, ſed ipſe pietatis ardor, quo colliqueſcet, mortis præcipitis tardabit alas; ſi enim Fortis eſſe dicitur, ut Mors, Dilectio, flagrantiſſimus hujuſce Juvenis Amor præ reliquis æſtuantis, & ſuavius amati a Sole Divino, fortior erit Morte, atque illius ictus eludet.

(1) Et profectò intuemini, ut non procul a vero collimaverit hujuſmodi ratiocinatio. En ut uſque ad Trajani Tempora ſuus amor animat hunc vivaciſſimum Senem, qui luminibus penè captus, & pedibus, jamque funeri præmortuus ſuo, hoc uno Divinitatis conſilio ſupereſſe videtur, ut conſopitas Amoris ventilet flammas hæc ſolummodo verba, *Filioli, diligite alterutrum*, ingeminando,

Non improvidè igitur quicumque demum fuit ille Diſcipulorum ominabatur ab amore perpetuò animandum, quem re ipſa tam ſerò Charitas abire permiſit e conſortio Mortalium.

(2) Perinde ac nunquam excidet Charitas, quamvis linguæ omnes obmuteſcant, & extinguantur lumina Doctrinarum, ita nunquam periturum Joannem, prodigium Charitatis; ſi enim Mortales omnes animat Sol hic noſter, & ab illius igne vel ipſis Vitam inditam fuiſſe Marmoribus fabulantur Poetæ, cur aliquis a Solis igne Divini fingi non poterat Vir Immortalis?

(3) Ut fabuloſi olim ignis cuſtodes Virgines excubabant, ita hunc Juvenem Virgineo Candore pulcherrimum ad cuſtodiam fœliciſsimi ignis, quem ut accenderet, venit in Terras Deus, perpetuò vigilaturum credidere.

(4) An quia Mors Culpæ filia, quamque præcipuè ſtimulant voluptates impuræ, ut celerius involet in Epicuros, Joannem non poterat fatali falce demetere, cum immortalem huic Lilio Vitam donare decreviſſet Arbiter Mortis, ut aliqua eſſet Virginibus Arrha Vitæ non perituræ, quandoquidem ſuperſtites in Filiis eſſe contemnunt, & aliqua ſui parte vitare Mortis Imperium?

(5) An quia, licet audaciſsima, Mors tam charum Chriſto caput lædere trepidabat, cum enim ab illo moriente fuerit ipſa confoſſa, alium propemodum in Joanne Chriſtum metuebat occidere?

(6) At cur numeroſæ tibi tuæ laudes officiant, Vir præſtantiſsime, & Amor efferus

(1) *Octava*. (2) *Nona*. (3) *Decima*.
(4) *Undecima*. (5) *Duodecima*.
(6) *Tertiadecima*.

(1) *Quartadecima*. (2) *Quintadecima*.
(3) *Sextadecima*. (4) *Septimadecima*.
(5) *Duodevigeſima*.
(6) *Apoſtrophe ad S. Joannem*.

Digitized by Google

ferus crudeli beneficio Mortalitatem producens abeſſe te jubeat a Regia Sempiternæ Fœlicitatis? Vivis tu quidem jamdudum in Cælo altiſsimum Gloriæ faſtigium aſſequutus Virtute mirabili, ac te ſolummodo intuebitur Orbis terrarum, cum ſuper indutam Sole nubem in aere fulgebis Arbiter Regum, & Judicis aſſecla fulminantis. Sed nos variis diſtractus ſententiis Apoſtolorum Senatus edocuit, quantus Vir ipſe fueris, cum æquiſsimi Judices Sanctitatis te dignum crediderint, qui forte nulli conceſſa de Morte, rerumque Natura triumphares.

Ex eo, quod omnium primus pro Chriſto Domino S. Stephanus Mortem obiverit, eumdem omnibus Fidei Teſtibus anteferendum eſſe.

ORATIO IV.

Dicta in Sacello Pontificio.

QUi primus truci Pelago ratem commiſit, Beatiſſime Pater, quamvis littori tantùm adnavigaverit, adamantino robore pectus armavit. Quid ſi totum dimenſus eſſet Oceanum, qui primus tentavit iter illud infidum? Quæ tua virtus fuit, Stephane Martyrum Princeps, qui tumulatus in rubro ſanguinis mari omnium primus ad cæleſte littus appellis? Præeuntis exempla Dei frænum homini eſſe, non calcar, & Divina opus eſſe virtute videbatur ad iter vorandum, quò Cæleſtis tantummodo perrexerat Gigas. (1) Et profectò Stephanus adeo ſupra limites mortalitatis elatus eſt, ut Angelum vultu exhibuerit expertem imbecillitatis humanæ. Malè docuerit Plato, diverſas eſſe a communi natura rerum Ideas, nullis finibus coercitas, ac prope Divinas. At Divina propemodum fuit virtus illius, quem obeundæ fortiter mortis, hoc eſt ardentiſſimi amoris, & maximè arduæ Sanctitatis, Ideam ſtatuit Arbiter vitæ millies centenis millibus præſtantium Heroum: ac delatum huic Juveni munus ducendi Exercitus Purpurati oſtendit in illo virtutis ſupra reliquos principatum.

(1) Si omnes mortales dotibus ſuperavit, qui primus ingreſſus eſt Orbem terrarum hominum Pater: quas illi Chriſtus indulſit, qui pro ſe primus interiit? Omnium pulcherrimæ, & candidiſſimæ hoſtiæ primo ſacrificio deſtinantur. Et in Martyrum Duce candor, ac ſplendor animi in vultus pulchritudinem redundavit, illibatæque Virginitatis nives majorem a nivalis Agni ſanguine candorem ducere omnium primæ promeruerunt.

(2) Angelum vultu repræſentat, & florem beatitatis; namque adeo prima hoſtia Cælo eſt in deliciis, ut mortem hanc eſſe nolit, ſed vitæ fœliciſſimæ rudimentum. Primum veræ Religionis Aſſertorem formoſum eſſe decuit, ac fortem: velut ipſa, quam tuetur, Numinis ſponſa, *pulcherrima* eſſe dicitur, ac *terribilis*, *ut acies ordinata caſtrorum*, pulchritudinem ipſo in terrore, belliquę apparatu præſeferens. Solis inſtar moriturus effulſit, quandoquidem ipſe quoque Sol exultans properat ad occaſum.

(3) Irruite in illum, perditiſſimæ furiæ, & auream Juvenis generoſi virtutem magneticis lapidibus explorate. Coronam Infantis Dei, cujus ortum omnium fœliciſſimum mors omnium beatiſſima comitatur, pretioſa ſaxa perficiant. Debuit illibatus cruor purpureis Agni nivibus immiſceri, & eloquenti flumine teſtari Fidem, cujus famam per omnes terræ partes vulgavit Stephanus, congreſſus cum Alexandrinis, & Cyrenenſibus Africæ, cum Aſiæ Cilicibus, & Romanis Europę libertinis. Lapidibus inſternite fundamentum, cui Martyrum omnium turris debet inniti, quæ Cælum petet fronte magnanima. Dulces illi lapides erunt, ac veluti teneris obrutus floribus, vel rore gratiſſimo, in dulcem ſimul, ac fortunatum ſomnum dilabetur. En ut ſolutum in pluviam gratiarum Cælum vobis exorat, qui ſævitis in illum imbre lapideo, quaſi verè fluat mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo.

(4) Ut hę primę ſanguinis voces veniam flagitantis ferè imperant Deo! Patuit enimverò, quod prima munera ſunt omnium maximè gratioſa, nam ſi Martyrum Sanguis ſemen eſt Chriſtianorum, primus hic cruor

(1) *Præſtantia illius, qui omnium Idea ſtatuitur.*

(1) *Multiplex hujus rei probatio.*

(2) *Argumenta alia.*

(3) *Nova petita ex Lapidibus in illum injectis.*

(4) *Ex donato ejus precibus Saulo.*

Digitized by Google

cruor impatientiâ amoris e venis erumpens infregit Saulo cor adamantinum, & virtute mirabili emolliens virum, qui Stephanum omnium manibus lapidaverat, populis innumeris ditavit Eccleſiam, cui nobiles adeo theſauros nulla in poſterum generoſi ſanguinis flumina pepererunt.

(1) Adeo prodigioſa eſt virtus primi bellatoris, ut dum ille ſui cruoris ſyderibus purpuream ſequuturis heroibus colorat ad Cælum viam lacteâ ſemitâ præſtantiorem, ad mirabile theatrum Superi properaverint, & purpuratorum militum Imperatori blanditus Exercituum Deus præcoces impertitur Cæli delicias primo pro ſe ſanguine peroranti: ac dum e ſolio proſiliens aſtare Patri videtur, vel præſtò eſt ad pugnam cum ſuo milite ſubeundam, vel illius prodigioſam conſtantiam, penè dixerim, admiratur.

An non igitur nulli ſecunda fuit virtus Martyrum Principis, quam nulli in poſterum concedendo munere Numen aſſeruit? An non gratiſſimum primum teſtimonium veritatis prolatum a Stephano, cui ſe devinctum crediderit Deus ad illius Divinas dotes illuſtrandas ſerie perpetua prodigiorum?

Evolat tandem ex anguſtiis mortalitatis triplici laurea coronatus futurus ipſe regale Diadema Numinis immortalis. Nunc Interpreti Naturæ crediderim palmatos alicubi lapides naſci, quandoquidem hi fortiſſimum Juvenem ſuo triumpho ſepeliunt. (2) Rurſus generoſi corporis exuviæ triumphabunt, cum Heroum Phœnix Laurentius e nobiliori ſepulchralis urnæ parte reſiliens ſuum Ducem cineribus venerabitur. At quotidie tibi pompæ triumphales inſtaurantur in Regia fœlicitatis, cum purpurea Martyrum agmina recens addita Concilio Beatorum ſuas palmas tuis pedibus advolvunt, a quibus impreſſa veſtigia ſuæ originem fœlicitatis adorant: ac tibi, quod ipſo Coronæ nomine repræſentas, ſupra reliquos Fidei bellatores gratulantur Imperium.

(1) *Ex Chriſto Domino viſo aſtare illius triumpho.*

(2) *Ex honore illi deinde habito a Martyrum Phœnice S.Laurentio.*

Perhonorifica Criminatio, ſive Magni Athanaſii laudes erutæ a congeſtis in eumdem calumniis.

ORATIO V.

Dicta in ejuſdem S.Athanaſii Templo.

Religionis Clypeum, Eminentiſſimi Principes, pugnantis Haſtam Eccleſiæ, Perduellium Malleum, Impietatis Fulmen, Antagoniſtam Arii, Immortalis Verbi Propugnatorem, Mundi Magiſtrum, Fidei Columnam, Veritatis Solem, prope Divinum Oraculum, Athanaſium alii compellaverint; dum, egregiis hiſce prætermiſſis nominibus, in quibus exornandis aliorum eloquentia triumphavit, ex iis tantùm breviſſimum Athanaſii præconium detorquebo, quæ in ipſius dedecus objectari poſſe videantur ab impiorum amentia.

(1) Quem illum fuiſſe dixerimus virum, in quem univerſum propemodum Orbem terrarum ſcimus armatum? Quàm ſententiæ tenacem ſuæ, quem conſpirantia Concilia Patrum flectere non potuerunt, imò totius penè generis humani conſenſus? Quàm æquo jure iniquâ famâ flagraſſe, quem Populorum Paſtores confertis agminibus in Tyrio Senatu graviſſimorum criminum, cumque ipſo Tartaro commercii, palam inſimularunt? Quàm elato intumeſcentem animo, qui Cæſaribus, ipſiſque Magni Conſtantini Filiis, eſt auſus obſiſtere? Quàm dejecto fractum, & perpetuò procumbentem pectore, qui liberam hoſtibus arenam indulgens ferè ſemper extorrem procul ab Eccleſiæ ſuæ ſponſæ amplexibus ætatem egit, inque ipſis ſepulchris inglorius latitavit? Quàm ſapientiæ præſidentem ſuæ, qui veræ Fidei limites decrevit, æternum minatus exitium non annuentibus ſibi, perinde ac ſi plenum ipſius ore Concilium, & ipſa Divinitas Mortales alloqueretur?

Præſtolamini, Auditores, ut effrænatæ orationis curſum inhibeam, & iniqua in hoſtes tela retorqueam? Sed irritus labor fuerit, cum eadem ſponte in ipſos jam con-

vola-

(.) *Perhonorificæ Calumniæ in Athanaſium ſuſcitatæ.*

Digitized by Google

volaverint. (1) Quàm prodigioſus, & homine major Heros, aut a Cælo ſaltem delapſus, ac prope Divinus ille cenſendus eſt, in quem fruſtra totus ferè terrarum Orbis exarſit, qui teſte Hieronymo ſe Arianum eſſe miratus eſt?

(2) Quis ille fuit Sanctiſſimæ Religionis Propugnator, cujus prægloriosiſſimo fato nemo ea tempeſtate Catholicæ rei hoſtis fuit, qui non bellum eodem tempore uni Athanaſio indixiſſe videretur?

(3) Quàm conſtans in tuenda adamantino pectore veritate, qui, cum eadem a Tartareis Conventibus hoſtium ficto Paſtorum vultu Chriſti gregem diſcerpere molientium, impugnaretur, ſuaſque iidem in partes miserè deceptam vim mortalium incredibilem rapuiſſent; Immortalis Verbi Divinitatem ſtrenuiſſimè aſſeruit?

(4) Quàm cæleſtis, & Beatis concolor Mentibus Innocentia Sanctiſſimi Præſulis, cujus lethali odio cum flagraret impietas, nullam tamen illi labem potuit affingere, quæ veri ſimilitudinem præſeferret, in immanes calumnias prolabi coacta, quæ, inſtar erectæ in Cæli ruinam Turris inſanæ, mole illico procumberent ſua?

(5) Quæ regalis generoſitas animi, Cæſaribus imminentis, humanarum rerum Arbitris obſiſtere non perhorreſcens, & Conſtantii præſertim minas irridens, qui, ut ſuam a Conſtantino præſtantiſſimo Parente degenerantem indolem abſolveret, favebat illis, qui tamquam Æterno Patre minorem Divinum Filium vecordes criminabantur?

(6) Quàm prudens, & magnanima fuga, quam Parthorum inſtar eminus in hoſtes armavit, ut, opportunè regreſſus, cominus cum ipſis manus conſereret, vitam interea tutatus, a qua pendebat ſalus & incolumitas Chriſtiani Orbis?

(7) Quod animi robur non ſolùm mortalibus, ſed morti etiam inſultantis, diuturnam in ſepulchris, ipſius regno, trahendo moram, & conflando ibidem cuniculos, qui arcem aliquando impiæ ſuperſtitionis everterent? E ſicco, in quo quinque omnino annis delituit, puteo Divinæ illius eloquentiæ flumina profluxerunt. Sapientior Gymnoſophiſtis eas inter tenebras allatura hominum generi diem Volumina exaravit.

(8) Et Phœnice quidem, ac Sole clarior, alius, & idem, iis ſæpe ab umbris iterum prodivit in lucem; cum, alieno commodo ſtudens, optatam ſibi mortis obitæ pro Catholica Religione gloriam invidiſſet, cujus flagrantiſſimam ſitim compeſcens, maximum, quod heroica magnanimitas immolare poſſet, ſacrificium obtulit Cælo.

(1) Quamvis hac illum palma fraudatum pernego, qui perpetuum innumeras inter ſolicitudines, probra, & ærumnas, pro brevi fato funus protraxit per novem luſtra, quibus Alexandrinæ præfuit, & Univerſæ vigil Eccleſiæ incolumitati excubavit. Quod verò eadem Athanaſii Symbolum, veluti cæleſtia Oracula, certamque Fidei Legem veneretur, maximum eſt egregii Antiſtitis decus.

(2) Tu interim, cui perennes hodierna luce plauſus inſtaurat Concilium Beatorum, nobis, Optime Parens, indulgeas, ſi tuis impares laudibus celebrandis ſolummodo in te congeſtas ab aliorum inſania calumnias enumeravimus: quoſque hìc educas, filiis tribuas, ut ipſi pariter illuſtre impiorum odium promereantur, Romanam Religionem fortiſſimè propugnando.

Divus Athanaſius Exemplar, Auſpex, & Cauſa referendi de Turcis Triumphi.

ORATIO VI.

Dicta in ejuſdem D. Athanaſii Templo.

Immortales Magni Athanaſii Triumphos anniverſaria laudatione proſequimur, Eminentiſſimi Principes; ſed intra breviſſimi ad dicendum præſcripti temporis anguſtias nequeunt coerceri Herois incomparabilis Dotes ambitu ſeculorum omnium celebrandæ. Utcumque nova proferamus ſemper, innumera ſemper dicenda ſuperſunt. Conſuetum ergo vectigal Parenti optimo ſoluturi, quem aliàs Arianæ Profligatorem Hæreſis admirati ſumus, nunc eidem de Mahometica ſuperſtitione palmas auguremur. (3) Contra illam provido conſilio, recurrente Sacra Athanaſii die, bellica expeditio iterum adornatur, quia Exemplar ipſe futurus eſt, Auſpex, & non ultima Cauſa Victoriæ.

Aria-

(1) *Summa ejus laus ex illis orta primò.* (2) *Secundò.* (3) *Tertiò.* (4) *Quartò.* (5) *Quintò.* (6) *Sextò.* (7) *Septimò.* (8) *Octavò.*

(1) *Nonò.* (2) *Apoſtrophe ad Sanctiſſimum Athanaſium.* (3) *Non ſolùm Arianæ, ſed & Mahometicæ peſtis Everſor S. Athanaſius.*

(1) Arianæ partum Hydræ fuiſſe Draconem Mahometicę Sectę, vetus eſt opinio Sapientum, viperino more tunc ortum, cum poſt ſexcenteſimum a Recreato Mundo annum virulenta deficeret parens. Utraque peſtis Divinam Reparatoris noſtræ Salutis gloriam invadit, quem infamis etiam Auctor Turcarum legis præſtantiorem Moyſe Prophetam, Deique Verbum ultro compellat, unam ipſi, ut Arius, invidens Divinitatem.

(2) Arduum videtur hoc Monſtrum confodere, cui Provinciæ plurimæ, ac Regna, vaſtiſſimumque Imperium, ac totus ferè Oriens militat, nimioque caligans in Sole Meridies? Sed Exemplar mirabilis pugnæ Athanaſius eſt, cum, præter prophanorum hominum turbas innumeras, Pręſulum quoque Concilia, decepti Cæſares, ſeſeque miratus Arianum eſſe Terrarum orbis uni ſuccubuerint viro.

(3) A potentiſſimi hoſtis viribus impetiti loco cedere, ac receptui canere noſtri aliquando Principes compulſi ſunt? Sed triumphales etiam identidem fugas adornari, & conflari contra impietatem in latibulis fulmina, nos docuit Athanaſius, e puteis, & ſepulchris proſiliens ad hoſtes fidei fortius invadendos.

(4) Contra hos plurimi ea tempeſtate Cæleſtis cauſæ Propugnatores, & Vindices arma ſtringebant; uni tamen Athanaſio irrigata a plurimis palma tribuitur, ex quo veluti e Turre Davidica mille pendebant clypei ad Religionem tuendam. Ita, licet eximii cum dilecto nunc Superis Cæſare conſpirent Reges, uni tamen Sanctiſſimo Pontifici referetur accepta Victoria, quam perpetua largitione, ſapientiſſimis conſiliis, incredibili ardore animi, & ſuarum exorat ineluctabili eloquentia lachrymarum.

An non ergo ad ſperandam imminentem Lauream ſuo nos Exemplo erigit Athanaſius? Ille poſt certamina, & fugas ubique Trophæis conſignatas Alexandriam reverſus, & in ſua Sede fato triumphali perfunctus, ominatur, quamprimùm poſt ſecunda bellorum Catholicam Religionem in Conſtantini Regia triumphaturam.

(5) Cæleſtis ille Candido inſidens Equo Bellator in Divina Apocalypſi Joanni viſus, humano corpore indutum Deum e doctiſſimorum Interpretum ſententia repræſentat. Arcu hic munitus, & omen Victoriæ Coronam præferens, exivit vincens, ut vinceret: in Rufo nimirum, cruentoque depictam Equo Ethnicam Superſtitionem jam tunc debellans iter ornabat ad portenta Hęreſum ſuperanda, quæ cimmeriis errorum tenebris involuta colorabat Nigra Bellua poſt Rufam in prælium eruptura. Quidni & Pallidum, qui ſubſequutus eſt, Equum extinguat, Turcarum Symbolum, quos plerumque livor, libido, & avarus ardor pallore inficit? Ambiunt certè latus Cæleſtis Ducis in hæc Monſtra pugnantis Heroes fortiſſimi, quos inter Athanaſius arenæ præ cæteris aſſuetus, & in Nigrum Hæreſis Equum ſtrenuiſſimè invectus, quo nunc arcu certabit in Pallidum?

(1) Quas ille, licet mortalibus oculis non ſubjectus, ducet acies in Barbaros, non lingua ſolùm, & calamo, ſed enſe quoque falcato armatus, & flammis? En ſui Græci Ritus Sectatores, fortiſſimos in Lithuano Exercitu Ruthenos, Moldavos, Valachos, cultoreſque Morlachi montis Illyrios rapuit in campum, perque Coſacchos Pontificia Vexilla penè Adrianopoli ingeſſit. Eadem Epirotas, Servios, Boſnios, Bulgaros in Turcas pugnæ ſitis incendit, eorum ſanguine reſtinguenda, cum primùm propius accedent caſtra Chriſtiani Herculis, ter Maximi videlicet Polonorum Regis, quem Græco pariter Ritu admotum Sacro Baptiſmatis fonti fuiſſe meritò gloriamur. In partem verò laudis venturos pro certo habeo quotquot Græciæ Continentem, & Inſulas, ipſamque Tyranni Urbem incolunt, Chriſti aſſeclas.

(2) Neque ſine Athanaſii Numine accidiſſe reor, quod Alexandria, & Babylon, Ægyptus, & Aſſyria, vicinæque Aſiæ Provinciæ, ut ut minis, & præmiis laceſſitæ, in nos pugnare detrectent. Impletum jam fatentur fatalem ambitum, quo poſt decem jam evoluta ab ipſius exortu ſecula funerandam (3) Mahometis Sectam ipſi quadringentis ab hinc annis Turcarum Vates ominabantur. Idem Leonis Philoſophi ſapientiſſimi Imperatoris, an Sybillæ verius, oracula diſertè confirmant. Inſcripta idem Conſtantini tumulo, dum Athanaſius agitabat ævum, eo præſertim nomine illuſtria, quod Mahometem, & Paleologum Cæſarem appellent, ſub quo amittenda erat Orien-

(1) *Inter utramque proportio*.
(2) *Prima Cauſa, propter quam eſt Exemplar referendæ Victoriæ*.
(3) *Altera*. (4) *Tertia*.
(5) *Auſpicium ex Equis a S. Joanne viſis in Apocalypſi*.

(1) *Sui Græci Ritus Sectatores S. Athanaſius armat in Barbaros*.
(2) *Idem influit in detrectatam a magna Turcarum parte contra nos pugnam*.
(3) *Præſagia de quamprimùm delenda Secta Mahometis*.

Digitized by Google

Orientis Regia, tempuſque deſignent, quo eadem a Flavis in unum conſpirantibus, illiſque finitimis populis recuperanda eſt.

(1) Sed propiori nos fulgure cæleſtis auræ perſtringunt illa divinitus afflati Stridonii verba, tot aliis ab ipſo prænuntiatis, ac mox impletis eventibus vera ſemper comperta, qui, ante annos ferè quinquaginta, pueros, & adoleſcentes frequentiſſimè hortabatur, ut Græcæ hauriendæ linguæ ſedulam operam darent, qua brevi eſſent Catholicam Fidem in expiatis Conſtantinopolis fanis ſeminaturi referentes ſanctiſsimis Græciæ Patribus gratiam, quam ab illis, arcana Divina nos edocentibus, accepiſſent. Præcepit ergo animo recipiendum brevi a Chriſtianis Principibus Orientis Imperium, viditque Sanctos Eccleſiæ Græcæ Doctores pulcherrimo conſilio, & facinori immiſtos: quos inter profectò eminet Athanaſius, præcipuus Chriſti Divinitatis Aſſertor in Arium,ejuſque ſobolem Mahometem. Quis ergo dubius animi pendeat, an Exemplum, Auſpex, & Cauſa ſperatæ de Turcis Victoriæ futurus ſit Athanaſius, cum hoc ipſum fuerit divinitus præmonſtratum?

Heroica Divi Athanaſii Magni Acta Chriſtianorum de Turcis Triumphos augurantur.

ORATIO VII.

Dicta in ejuſdem S. Athanaſii Templo.

UT Beatæ Mentes, (2) Eminentiſſimi Principes, in Optimo, Maximoque Deo non ſolùm infinita contemplantur ipſius ornamenta Divinitatis, ſed etiam velut in ſpeculo intuentur procreatarum rerum, quæ fluxerunt, quæque venturæ trahuntur, imagines: ita & nos figentes obtutum in grandia, & præclara Cæleſtium Heroum Acta, præter inclytas eorum dotes, Divinam in totius Eccleſiæ Regimine ſuſpicimus Oeconomiam. Cum igitur evoluto proximè anno in præcipuis Magni Athanaſii Virtutibus Exemplar, Auſpicium, & Cauſam imminentium Chriſtianis Principibus Victoriarum introſpexerimus, nunc in iiſdem delibemus impleta partim noſtra præſagia, & ſpem partim quotidie magis vigentem illuſtriorum, quos ope Athanaſii, neque ſine ipſius Græci Ritus Sectatorum auxilio, referendos auguramur, Triumphorum.

(1) Si conſecravit Ægyptum, ubi exortus in lucem fuit,egregius hic Divinæ Cauſæ Aſſertor, & Vindex, Regiamque Alexandri Urbem moderatus eſt ſanctiſſimâ diſciplinâ, & ex illa Sacras ipſi etiam, quâ latiſſimè patet, Africæ præſcripſit leges: detrectavit Ægyptus barbaro contra nos Tyranno præbere ſuppetias, quas etiam a Lybia minis incaſſum, & precibus laceſſivit.

(2) Si totum in ſe conſpirantem Orbem invicta Magnanimitas Athanaſii provocavit ad pugnam, ipſoſque miſerè deceptos potentiſſimos Cæſares, ſua nullo habens in pretio diſcrimina, dummodo eadem ab Eccleſia propulſaret: qua generoſi animi ſtrenuitate tot gentes Athanaſii ſpiritu imbutæ contra totius Aſiæ, magnaque ex parte ipſius Oppreſſorem Europæ, frontem erexerunt? Ea etiam tempeſtate, qua contrarium ſuadere humana prudentia videbatur, cum videlicet magnorum Exercitus Principum procul erant: veluti cum in Theſſalia, & Epyro elapſo anno ferè triginta hominum millia Turcarum cædem anhelantia, totidemque nunc in Laconia, in unum confluxere: præter Moldaviam, Valachiam, Dalmatiam, Arcadiam, & Achajam, profeſſas addictiſſimum nobis animum, cum ultimum ab illius Draconis unguibus poterant exitium formidare, qui centum caudarum volumina ſecum trahit, tot videlicet famulantium ſibi Regnorum, ut deteſtabilis Solimanns dicere conſuevit.

(3) Si cæleſti ſolertia ſua identidem Magnus Athanaſius conſilia diſſimulabat, in puteis deliteſcens, ex quibus limpidiſſimi Sapientiæ ipſius rivi pullulabant: & in paternis ſepulchris, ex quorum cineribus ad recentem vitam, & pugnam immortalis Phœnix renaſcebatur: plurimi etiam nunc populi magnanima conſilia occultant, quò facilius eadem, cum ſe occaſio dederit, implere poſſint: ut Cretenſes, Chii, & omnium, quibus Ægeum mare ornatur, Inſularum incolæ, arma ſub humum ſuis procul a domi-

(1) *V. P. Martinus Stridonius vidit Sanctos Eccleſiæ Græcæ Magiſtros nobis adfuturos.*

(2) *Sanctorum Acta oſtendunt Divinam Oeconomiam in Eccleſiæ Regimine.*

(1) *D. Athanaſius influit in detrectatam ab Africa pugnam contra nos.*

(2) *Et in totius Græciæ votum excutiendi Turcarum jugum.*

(3) *Et in prudenter occultata Chriſtianorum conſilia.*

Digitized by Google

domibus, quas perpetuò ſcrutantur Emiſſarii Turcarum, infodientes, ut ea in ipſos opportunè perſtringant. Quin ipſa etiam in Urbe Regia Conſtantini, præter Pelopponeſum, Eubæam, & ubicumque gentium vitam agitant Græci, jam nunc in hoſtes Cæli pugnatur animo, & votis.

(1) Si defeſſus nunquam poſt exantlatos labores Athanaſius hìc in unum cogebat Præſules aſſeclas ſuos, ibi alios a Tartareo Arii fœdere detorquebat, hìc linguâ, alibi calamo decertabat, hìc doctrinam, prudentiam alibi armans in Tartarum: an non & noſtrorum aliqui Principum collaborant ad abſtrahendos plurimos ab hoſtilium armorum conſortio, alii ad alliciendos cæteros ad Sacri fœderis partem, in quam venturos quamprimùm Moſchos illuſtri ſpe fovemur: conſiliis aliqui, auro cæteri, ferro plerique, bellum capeſſunt?

(2) Unus, idemque Athanaſius Clypeus erat, & Haſta Religionis: ipſius lingua fulmen erat efficacius exercitu gladiorum, ad impietatem delendam: Athanaſii Fides Catholicam Fidem prẹnotabat, quẹ aliam qualemcumque credendi Regulam, & Menſuram recuſat, præter tributam ab ipſo ſeculis omnibus, qua non exortos tantùm, ſed etiam uſque ad Mundi ſenium exorituros errores confodit: Vox ipſe erat publica Conciliorum: Interpres ipſe Divini Spiritus, ad quem in dubiis omnes confugiebant: ipſe Columna, Vita, & Spiritus veri cultus Divinitatis: eminus, & cominus, clam, & palam, & ubique gentium ab ipſo defenſæ, nunc in Orientis Regia, nunc in altera, quæ ad Meridiem vergit, in Occidente nunc ad Antiquam Romam flectendo iter; præcipua enim, quam Athanaſius aggreſſus eſt, via ad conformes in ſyncera fide retinendos animos Catholicorum, fuit obſequium amantiſſimum erga Chriſti Vicarium, ad quem, iniquiſſimè acceptus ab impiorum Antiſtitum Cætibus, velut ad Aram perfugii, ſe recipiebat.

(3) Quis autem in præſentia nobis alterum exhibeat Athanaſium centum artibus præliando in immanem illum Trifaucem ex Boſphoro Thracio latrantem in Superos, quantumvis Auguſtiſſimo eum Nomine compellare nequaquam auderem, me omnes præverteretis obſequentiſſima in Magnum Innocentium Chriſtianorum Patrem inductione animi, iis in Cælum plauſibus elatum a noſtra, cæteriſque gentibus, quæ noſtrum in Sacris Ritum conſectantur, ut facillimo allici negotio poſſint ad Paſtoralis ejuſdem Muneris Divinitatem adorandam, quæ jam nunc erga eximiam illius Morum Sanctitatem mirificè afficiuntur.

(1) Suaviſſima, Maxime Athanaſi, ſpe lactamur, fore ut, quemadmodum olim, qui non ſine horrore ſe Arianum evaſiſſe mirabatur Orbis Terrarum, quamprimùm ope tua peſtem hominum generi afflantem hæreſim vidit in Tartara devolutam: ita eadem univerſitas rerum, quæ horrida cum admiratione nefariam Mahometis Superſtitionem ſpectat undecumque graſſantem, quamprimùm exultans viſura ſit penitus extinctam, & in Inferis conſepultam Hydram illam verè Lernæam, cui Tuis auſpiciis plurima quotidie truncanda capita geſtientibus animis auguramur.

(1) *Et in Fœdus conſpirantium contra Barbaros.*

(2) *Mirificæ illius Dotes.*

(3) *Quas imitatur SS. Pontifex Innocentius XI.*

Manifeſtæ Divi Athanaſii Maximi ſupra reliquos Eccleſiæ Divinæ Doctores Dotes.

ORATIO VIII.

Dicta in ejuſdem D. Athanaſii Templo.

INquirimus, (2) Eminentiſſimi Principes, cur Gregorius Tertiusdecimus Pontifex Sapientiſſimus Deo in honorem Maximi Athanaſii præ cæteris Eccleſiæ Divinæ Magiſtris nobile hoc Templum erexerit. Audax videri conſilium poſſit explorandi pretium, ac pondus Diadematum, quibus ornantur frontes Cæleſtium Regum: ut olim dubia lance ſuſpendiſſe Coronas mortalium Principum, qui minora ſunt in terris Numina, ſagaciſſimus Hetruſcæ Reipublicæ Arbiter perhibetur. (3) Sed utcumque divinæ, a qua præcipuè pretium accedit, Charitatis Aurum, ſingulorum Coronas conflans, Archimedes nullus aſſequi valeat, proſtantes tamen, auroque inſertos adamantes nemo non videt: Quæ ſci-

(1) *Apoſtrophe ad Sanctiſſimum Athanaſium.*

(2) *Cur potius in honorem D. Athanaſii, quàm aliorum, erectum fuerit Romanum Græcorum Templum.*

(3) *Quæ ſpectari queant, ut Sanctus unus alteri præferatur.*

Digitized by Google

ſci licet coram Orbe univerſo geſta ſunt, animadvertere licet, ideoque ſtatuere, unum ex iis, qui nunc regnant in Aula Beatitatis, aliis, dum ætatem agerent, præſtitiſſe in Dotibus, quæ in hominum oculos incurrerunt. Extimas igitur Divi Athanaſii, eaſdemque manifeſtas ſupra reliquos Eccleſiæ Doctores Prerogativas curſim enumeremus, quem dum Syderum Principem eſſe decernimus, nihil interim in animo deliteſcens, & incompertum nobis aliorum decus atterimus: perinde ac in unius commendationem effuſa Cæleſtia Oracula, dum *ſimilem illi non fuiſſe inventum* affirmant, nihil tamen ex laude cæterorum decerpunt.

(1) Quis ab ipſa Pueritia tantam excitavit expectationem ſui Sacro plurimos Fonte perluſtrans, ſacroſque Ritus, ac Veſtes uſurpans, in Præludium, ac Rudimentum Gratiæ Magnum effingere Præſulem molientis? Quis nondum Sacerdotio initiatus publica fuit Vox, ac penè Animus Conciliorum? Athanaſium certè, quia omnium eloquentiſſimè invectum in inſaniam Arii, Nicęnæ Synodo præſediſſe Calvinus effutivit: ſtolidè ille quidem detrahens Romanorum gloriæ Legatorum, ſed fateri coactus fulgorem, quo in magno illo Senatu Cæleſtis hic Heros inclaruit.

(2) Et nullius quidem etiam poſt ſuſceptas Infulas in Univerſalibus Eccleſiæ Conventibus lingua detonuit, præterquam Nazianzeni in Secundo, a quo non optimè fuit acceptus eximius ille Vindex veritatis. Si fortuitò hæc contigiſſe dixeris, quia, dum ſacris illi præerant, celebrata non fuere Concilia, equidem non ſine Divino conſilio ſubmiſſum e cęlo fuiſſe opinor Athanaſium in maximis Eccleſiæ diſcriminibus ad illa propulſanda fortiſſimum veræ Fidei Propugnatorem, illa, quam nomine præſeferebat, immortalitate digniſſimum.

(3) Quis porrò cæterorum cum tot, ac tam validis congreſſus hoſtibus fuit? Quis in adeo decretoria pugnæ cauſa? Quis pares tulit ſuppetias Eccleſiæ laboranti? Quis non uni tantùm, aut alteri, ſed omnibus ex æquo ſeculis profuturos Triumphos reportavit?

(4) Si huic fuit Hæreſis impugnanda, non idem cum Ethnica Superſtitione pugnam conſeruit. Cui ſceleſti Cæſares, non eidem optimi negotium faceſſiverunt. (1) Quem ſinguli adorti ſunt, non illum deceptorum ConventusAntiſtitum exagitarunt. Magnum Baſilium Arianus Valens, Gregorium Theologum cultor Simulachrorum Julianus, Chryſoſtomum violentiâ Uxoris impulſus Arcadius impetivit. Latinorum verò nulli Doctorum moleſtiam Imperatores intulerunt, præter aliquam Magno Gregorio allatam a Mauritio. In Athanaſium infremuit fautor Arii Conſtantius, Idololatra Julianus, ipſe dolis Athanaſii hoſtium implicitus, cæteroqui religioſiſſimus, Conſtantinus.

(2) Cæſares expendo? Sed atrocius fuit ab uno Athanaſio ſuſceptum cumAntiſtitum Cętibus pro ſyncera fide certamen. Tyrium, alioſque prætereo; at quos turbines Antiochenus, & Ariminenſis in illum excitarunt, quos Univerſales fuiſſe Ariani jactabant?

(3) Ignobiles aliis Errores profligandi fuerunt, ſi cum iis conferantur, quos Maximus Athanaſius evertit, acerrimè vindicans Immortalis Filii, Sanctique Spiritus Divinitatem.

(6) Quod ille præſidium Eccleſiæ contulerit, liquet ex eo, quod cum Catholici omnes, ipſique Religionis illibatæ Cuſtodes in Athanaſii verba juraſſent, eadem exiſtimata ſit vera, quæ eſſet Athanaſii Fides. Hinç ejus Innocentiæ plaudendo, ſatis a ſe definiri, quid de Divinis Arcanis ſentiendum eſſet, Julius Romanus Pontifex, & Sardicenſes Patres putaverunt.

(5) Cui unquam hic honor fuit habitus, Deus Immortalis! ut, cum Eccleſiæ Hierarcha nequaquam eſſet, ipſius tamen Sententia cenſeretur Lex, & Norma credendi? Cui, ut ſcriptum ab illo Symbolum Univerſo proponeretur Orbi Chriſtiano velut Apoſtolicum, ac Nicænum?

(6) Labefactaverint alii exortos eò uſque Errores. Non ab Ario ſolùm, Eunomio, aliiſque hominum Portentis, plurima in capita effuſam Hydram ferro & igne perdidit Athanaſius; ſed orituris etiam deinde peſtibus præſcio futurorum animo primus oc-

(1) *Prorſus inſolita Divi Athanaſii Pueritia, & Juventus.*
(2) *Nullus illo efficacius exarſit in Sacris Conciliis.*
(3) *Nemo congreſſus cum tot, ac tam validis Hoſtibus.*
(4) *Cum Ethnicis, & Hæreticis.*

(1) *Cum Cæſaribus.*
(2) *Cum Hæreticorum Antiſtitum Cætibus.*
(3) *Maximos evertit Errores.*
(4) *Summum attulit Eccleſiæ præſidium.*
(5) *Ipſe habitus Lex, & Norma credendi.*
(6) *Impugnavit etiam Errores deinde exorituros.*

Digitized by Google

occurrit. Monſtrum certè opinionis non inficiantis Sanctiſsimi Spiritus Divinitatem, ſed eumdem a Filio procedere abnuentis, nondum e Tartaro eruperat. Hunc tamen Pythonem tot aureis telis Sol hic veritatis confodit, ut vix aliis, quàm ab Athanaſio depromptis, pharetram ſuam ſcribens in Schiſma Sanctiſsimus Thomas Aquinas armaverit.

(1) Quid de Sacra dicam Maximi Pontificis in Univerſam Eccleſiam Præfectura, quam non Verbis tantùm, ut alii, vel etiam Confugio per Literas, ut Baſilius, & Chryſoſtomus, ſed etiam Acceſſu non ſemel ad Urbem Romam coram aſſeruit? Atque illud in Athanaſio præcipuum fuit, quod unus ipſe inter utriuſque Eccleſiæ Doctores primus poſt Romanum, utpote Alexandrinus, Præſul haberetur: quodque ad Julium a Synodis, quæ Generales nuncupabantur, ab Antiochena videlicet, appellaverit.

(2) Quis igitur etiam in præſens, poſt Tredecim ab ipſius deceſſu ſecula, Schiſmaticos, alioſque Divini Proregis hoſtes tam validè impugnat? Leve ſit nunc intueri diuturnius, quàm a cæteris, ab Athanaſio, dum viveret, conſertum cum Emiſſariis Tartari bellum fuiſſe, cum illud ab adoleſcentia ſuſceperit, perque annos deinde ſex, & quadraginta, vel ab Alexandrina Cathedra, vel ab exiliis, puteis, ac ſepulchris, pro cæleſti cauſa pugnaverit.

An non igitur ad incomparabilis commendationem virtutis, ad grati monumentum animi, ad nos Apoſtolico Spiritu imbuendos, Divino planè conſilio illuſtre hoc Deo, in Athanaſii præ cçteris honorem, Templum Sapientiſsimus Pontifex conſecravit?

Tom. IV.

(1) *Mirificus fuit Vindex Romanæ Cathedræ.*

(2) *Etiam nunc validiſſimè pugnat contra Schiſma.*

D. Gregorium Nazianzenum perpetui Latinos inter, & Græcos fœderis Conciliatorem eſſe.

ORATIO IX.

Dicta in Baſilica Vaticana.

Celebrandis pro dignitate Gregorii Nazianzeni dotibus, (1) Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Præſules, par unus Gregorius eſſet, qui Athanaſium, & Baſilium Divinâ eloquentiâ commendavit: vel ipſe Baſilius, qui *Vas electionis*, *profundum ſapientiæ puteum*, *& os Chriſti*, Gregorium dixit: vel qui eodem Magiſtro Hieronymus gloriatur: vel qui ejus Auctoritate perduelles Fidei confodiunt Auguſtinus, Gregorius Pontifex, Gelaſius, Leo: vel qui a Cælo petitum *Theologi* nomen, poſt Joannem corporatæ Divinitatis delicias, uni Heroi noſtro tribuit Eccleſiæ plauſus. Sed quid ex immenſo ipſius laudum campo, breviſſimi ad dicendum præſcripti temporis anguſtiis incluſa, nòſtra delibabit infantia? Illud certè, quod præ reliquis flagrantiſſimè deperit, Gregorium videlicet fore perpetui Latinos inter & Græcos Fœderis Conciliatorem.

(2) Superbiâ inflatus animus præcipua fuit cauſa diſſidii? Quis illo efficacius magnanima demiſſione ſuos imbuet cives, qui a Sacro Urbis Cæſareæ Solio ſponte deſcendit, ad quod illum conſpirans Orientis Preſulum Cœtus evexerat? Cæleſtium arcanorum Inſcitia plurimos a veritatis calle detorquet: alios Ignorantiæ mater, aut proles Corruptela morum excæcat? Quis illo fœlicius hæc elidet portenta, ad quem viſendum ſub ſpecie Divinam indolem ſpirantium Charitum Sapientia, & Integritas convolarunt?

(3) Muniendum eſt adamante pectus, quo Religionis impugnatoribus obluctemur? Ineluctabilis Exemplar conſtantiæ

V 2 Gre-

(1) *Par D. Gregorio Præco inveniri nequit.*

(2) *Ejus animi Demiſſio auferet primam diſſidii cauſam.*

(3) *Aliæ illius Virtutes ſecundò in Fœdus influent.*

Digitized by Google

Gregorius fuit, obſiſtens errorum Coryphæis, Eunomio, Macedonio, Ario, cumque propugnatoribus Tartareæ Cauſæ Cæſaribus Juliano, & Valente congreſſus.

(1) Minor ſynceram, quàm infectam, in Oriente fidem profitentium numerus horrorem incutit? Oppidò paucos aſſeclas veri Conſtantinopoli Gregorius invenit, & ferè omnes Cœleſti luce perfudit. Divinarum Scientia rerum ſagittas ſuppeditat ad corda ſalubriter ſaucianda, eaſdemque amentatas eloquentiæ arcu intorquet? Hæ porrò, quæ ſparguntur in alios pro Cælo pugnantis ingenii dotes, in Gregorium miſtæ fluxerunt.

(2) Pacem Eccleſiis redonarunt Sacra Concilia, & ſæpius in iis ſoluta ſunt Religionis certamina? Præfuit Conſtantinopolitano Gregorius, & ab Oraculo Romani Pontificis illi robur adjecit. Certa credendi Regula ſunt, quæ divina Reſponſa non a Delphis, ſed a Vaticano petuntur? Confugit ad Damaſum ſæpe Gregorius, quamque ſuperſtes obſequentiſſimè venerabatur, etiam nunc in Simulachro fulcit, Cathedram Petri.

(3) Enimverò cum Cauſas disjunctionis omnes ſuo Gregorius exemplo interimat: cum ea, quæ paci moram objiciunt, e medio tollat, quæque animos nectunt, uberrimè ingerat, præcipuus erit nunquam ſolvendi Fœderis Inſtaurator.

(4) Latum eidem animorum conſortio Chriſtianorum Principum Triumphi callem aperient, quos noſtra fortaſſe in unum, aut pauca certè luſtra protrahent crimina, ſed illis orbari non poſſumus, quos everſa ſpondet bellica diſciplina Turcarum, fractæ vires, lapſus obtemperandi ardor, & incaſſum decuplo militibus geminata ſtipendia. Quin ipſa ultro promittunt Divina Preſagia noſtris perpetuò mentibus obverſata. Pronum nunc nobis erit metere palmarum ſylvas, quas Romani Parentis ad pedes deferamus. Illum omnes ſuſpicient ut Vicarium Divinitatis, qui verè ſe mortalium Patrem exhibet rebellium etiam filiorum jugum excutere mirificè ambiens.

(5) Ad ſubvertendos Agarenos vota jam & arma Græci conſociant. Ipſos etiam in adhibenda Cælo fide animos fœderabunt. Flagrabit amor erga Latinos ſuæ Libertatis auctores. Suo malo edocti ſuperbos iterum ſpiritus minimè induent. Poſt ſæpius ſopitas lites delabi rurſus ad rixas potuerint olim, quia nondum palmares contumaciæ pœnas viderant irrogari. Nunc verò poſtquam a Sacroſanctis Florentinæ Synodi Legibus deficientes ferè ſtatim occupatam a barbaris Regalem Urbem experti ſunt, ſui cauſam exitii perhorreſcent.

(1) Adſis e Cælo, Sanctiſſime Gregori, & noſtra tuis auſpiciis vota ſecundes. Qui errorum in tua gente gliſcentium oſor tuos illi Sacros Cineres eripuiſti, ex hoc cum Latinis ſepulchri conſortio (ut pacem conjunctus in nuptiis ſanguis parere conſuevit) perpetuum Fœdus enitere. Ut Semen Chriſtianorum eſt Martyrum ſanguis, ita Seminarium amoris ſit Cinerum miſtura. (2) Qui noſtris laboribus uti dignatus Timotheo, Cyrillo Berrœenſi, ac Raphaeli in Sacro Conſtantinopolis Throno Succeſſoribus tuis mentem indidiſti, ut Romam obſequii ſui teſtes Literas, aut Nuntios hoc ipſo ſeculo mitterent; antequam ſeculum idem claudatur, omnes allicias ad pedes in Regali Sacerdotio ſuccedentium Petro, prope cujus tumulum deliteſcis in argumentum pulcherrimi Augurii quamprimùm implendi.

Multiplici de cauſa Sanctum Gregorium Theologum in Vaticano Templo tumulari voluiſſe.

ORATIO X.

Dicta in Baſilica Vaticana.

Divina ſolùm illa, Præſules Illuſtriſſimi, (3) qua Gregorius Theologus Athanaſium, & Baſilium celebravit, par Eloquentia eſſet ad ipſum Gregorium merito præconio laudis ornandum. Oceanum cæteroqui concha metiri ambit, quiſquis innumeras Cæleſtis hujus Herois dotes breviſſimæ finibus orationis molitur includere. Projecta igitur ſpe illum pro dignitate laudandi, quia non ejuſdem e conſortio mortalium abeuntis, & in Cælum recepti, ſed hujus Auguſtæ Baſilicæ Sacras

(1) *Tertiò*. (2) *Quartò*. (3) *Quintò*.
(4) *Præſagia Victoriarum, quæ Fœderi viam aperient.*
(5) *Et amoris Græcorum erga Latinos.*

(1) *Apoſtrophe ad S. Gregorium, qui Sepulchrum elegit in Vaticana Baſilica.*
(2) *Ejus Succeſſores nuper Catholicam Fidem amplexi.*
(3) *S. Gregorius Theologus laudari pro dignitate nequit.*

Digitized by Google

cras ejus Exuvias primùm excipientis, (1) Triumphum hodierna luce recolimus, cur hìc hærere ſua membra, vivum ſcilicet illud olim Templum Divinitatis, huic omnium Sanctiſſimo includi geſtiverit, curſim expendamus. Gratulati aliàs Vaticano ſumus eximias, quas in Gregorio gazas accepit. Cauſas nunc intuemur, quæ ad hunc optatæ quietis portum Præſulem ſapientiſſimum impulerunt.

(2) Miro quodam hujuſce Urbis amore incenſus perpetuò Gregorius fuit. In ejus ſemper commendationem effuſus, *integram illibatamque ſervatam a Veteri, non item a Recenti Roma fidem*, affirmavit, quam Vetus ab Apoſtolorum Principibus accepiſſet. Atque *hoc quidem decere Urbem*, dixit, *quæ toti præerat Orbi terrarum*. Sacro nimirum animorum Imperio, nam ea tempeſtate, ſublato jam e vivis Valentiniano, atque ad unum Theodoſium, tunc in Thracia imperantem, devolutâ Reipublicæ curâ, humani Regia Principatus Conſtantinopolis erat.

(3) Mitto, quæ de Petro, Sacræque illius Cathedræ inſidentibus, plurima ſcripſit, atque palmaria. Quæ verò juvenum, & miſerè ſuperbientium Antiſtitum illi cauſa conflavit invidiam, niſi afferta Romani Decreti gloria in fulciendo Paulino, quem Lucifer Calaritanus Damaſi Pontificis Nuntius Eccleſiæ Antiochenæ præfecerat?

(4) Quis, præter Gregorium, ad celeberrimam illam condendam Legem impulit Theodoſium, ut ſublatis, quæ tunc gliſcebant innumera, de Religione diſſidiis, ea certiſſima colendi Numinis haberetur forma, qua Chriſti gregem inſtituebat Romanus Antiſtes, quem ſcilicet errori nulli obnoxium in ſancienda Fide probè compererat?

(5) Neque Concilia quidem, utcumque Sacroſancta, expedire ſæpe Chriſtianæ rei temporibus Gregorius opinabatur. Teſtis incomparabilis illa, quam ad Centumquinquaginta Patres habuit, Oratio.

(6) Non modò autem certam putavit Maximi Pontificis ſupra ipſas Generales Synodos Authoritatem, ſed neque præſumpto illi Canoni ſubſcripſiſſe Gregorium Schiſmatici jactant, ut Conſtantinopolitana Sedes eſſet poſt Romanam Secunda.

(1) Ipſum *Occidentalis, & Orientalis Eccleſiæ* nomen horrebat, cum hæc unica ſit Regina illa eodem induta Fidei, Spei, & Charitatis auro, licet Rituum varietate circumdata. Præſcio ſiquidem futurorum animo videras, Gregori, cum primùm ſe tibi, ſub Cæleſtium Charitum ſpecie, Sapientia, & Virginitas ſpectabiles exhibuerunt, quæ ab hoc multiplici nomine oritura eſſent animorum diſſidia. Illorum ſemina, ſuperbâm in arborem eruptura, cum primùm ſpargi vidit a detrectantibus, probatum Damaſo, Præſulem Antiochenum, a ſua magnanimus Exul Conſtantinopoli ſponte diſceſsit.

(2) O te infœlicem, quam Gregorius deſtituit, & a qua deinde Chryſoſtomus fuit abactus, cæteroqui nobiliſsimam Urbem, fruſtraque Cæſaream! Et dubitabimus, eo præcipuè conſilio utrumque ex Græcæ Magiſtris Eccleſiæ, qui Conſtantinopolitanas Infulas illuſtrarunt, Romæ conquieſcere voluiſſe, quia ſingulari amore fontem hunc ſynceræ Fidei proſequerentur, ſuoſque docere vellent, nonniſi a fœderatis Romæ beatam Corporum Anaſtaſim expectandam?

(3) Quoniam ab Orientis præcipuè Regia infœlix Rebellio coorta eſt, illius eam Antiſtites deteſtati Romam confugerunt, ad quam, niſi ſuis in Cineribus, in ſuis certè Alumnis etiam Baſilius, Athanaſius autem, dum viveret, coram acceſsit.

(4) Exoriatur, Sanctiſsime Gregori, Sacra illa ex Urna Cæleſtis Amoris flamma, quæ tuorum omnium corda corripiat. Luſtret eadem Sacrum Illud olim, nunc a Barbaris profanatum, Conſtantinopoli Sapientiæ Divinæ Templum. Aliud, quod Anaſtaſiam a revocata ibidem per te ad vitam Catholica Fide nuncupaſti, fœliciſsimo iterum nomine liceat inſigniri. In his votis, quæ implenda quamprimùm eſſe, Sanctiſſimi, & Græcos beneficentiſsimo amore dignati Pontificis præſidio, non inani ſpe lactamur, conquieſcat Oratio.

(1) *Ideo ſolùm innuimus Cauſas Sacri ejus Corporis hìc tumulati.*
(2) *Ipſe fuit Romæ amantiſſimus.*
(3) *Cathedram S. Petri ſummoperè celebravit.*
(4) *Infallibilem cenſuit Sancti Damaſi Definitionem.*
(5) *Synodos rarò expedire putavit.*
(6) *Illis præſtare credidit Apoſtolicam Sedem.*

(1) *Horruit nomen, ex quo multiplicis Eccleſiæ ſuſpicio poſſet oriri.*
(2) *Apoſtrophe ad Conſtantinopolim ab ipſo, & a Chryſoſtomo derelictam.*
(3) *Quia ab illa præcipuè nata Rebellio.*
(4) *Fœderis iterum ineundi Votum, ac Spes.*

Innu-

Digitized by Google

Innumera in uno Gregorio Theologo collata dona Vaticanæ Baſilicæ gratulamur.

ORATIO XI.

Dicta in Baſilica Vaticana.

PRæclarè (1) Magnus de Magno Baſilio Gregorius Nazianzenus affirmavit, Arduum illius viri Præconium, ac diſcrimen ſubeſſe, ne ſuis eidem laudibus inferret dedecus, Eminentiſſime Princeps. Si pronum tibi non fuit, eloquentiſſime Gregori, amiciſſimi capitis, adeoque tui penè ipſius, dotes in longum producta oratione complecti, tuaſne prope Divinas prærogativas breviſſimo elogio perſtringere pro dignitate poterit infantia noſtra? Eaſdem, nec ſine incremento, quibus Baſilium ornaſti, laudes ſapientiæ, ac virtuti tuæ deberi, facili negotio poſſet oſtendi; adeo tuis te pulcherrimis coloribus illum pingendo delineaſti: tibique tu tantùm ipſe, & a Cælo quidem redux, par eſſes Orator. (2) Deſperans ergo Præconis munus, huic tantùm Auguſtiſſimo Templo gratulabor exceptas gremio, & multiplici nomine ipſi debitas, Sacras Exuvias tuas. Quod tamen præſtare non audeo, niſi divinis e cineribus exortus radius tua nos cæleſti luce perfundat.

Quot in uno Gregorio, quàmque illuſtria, & multiplici a dextera ſibi indulta, (3) Urbs hæc Regina terrarum dona ſuſcepit! Tibi Cappadoces illuſtriſſimi generis florem, patriæ ſpem, ſuum decus, & præſidium contulerunt. Quin plurimos in uno tibi Cæleſtes Heroes, eidem ſanguine conjunctiſſimos, & germanum amore Baſilium, qui magis in Gregorio, quàm in ſe ipſis, ætatem agitaverunt.

(4) Tibi ſuæ Academiæ Solem Athenæ, cujus luce magis, quàm veterum omnium Philoſophorum, Poetarum, Oratorum, Syderibus effulſere; ſparſa enim per alios, & multiplici fœnore aucta, in illum Divina Pallas dona congeſſit.

(1) Tibi per Græciam, imò per univerſum terrarum Orbem diffuſa ſuum Eccleſia Magiſtrum, Vindicem, Propugnatorem, largita fuit: renaſcentis Arianæ, ac certè Lernææ, Hydræ, Erimanthii Apollinarii Apri, Eunomiani Leonis, Macedoniani Cerberi, Ethnici, neque tricorporis tantùm, ſed pluſquam centimani, Geryonis, Everſorem Divinum.

(2) Suas tibi ſervandas tradidit Cælum delicias, ad quas in Gregorio inviſendas Virgineus candor, ac Sapientia, pulcherrimarum Divarum ſpecie, inaudito prodigio delapſæ e cælo fuiſſe perhibentur. In illo exceptum ſinu Virginum decus: in ipſo ætatis flore vernantis Prophetam, qui futurum incendiarium Romani Imperii Phaetontem, ſeu verius Furiam, Julianum ex vero fuit ominatus: humani generis Præceptorem eximium, qui omnes, ut Eccleſiæ verbis utar, *orationis gravitate facilè ſuperavit*: ante ipſum funus ſaxorum turbinibus, exiliis, fuga, & frequenti mortis diſcrimine laureatum Teſtem Sanctiſſimæ Fidei: ejuſdemque Tubam Apoſtolico ſpiritu reſonantem, tibi Superi donavere.

(3) Ab ipſa regali Conſtantini Urbe ſuum tibi Principem Patrum oblatum fuiſſe non dicam, quia muneri datus alteri non videtur, quem illa ſtudioſiſſimè amplexa non fuit. Huncine Virum ſuis emota ſedibus abire feſtinantem non compeſcuit, quem religioſiſſimi Cæſares ipſi tribuerant, qui ejuſdem ſedaverat ſeditiones infauſtas, qui nefarios errores cæleſti luce diſpulerat, cujus divinæ facundiæ nexibus toties fuerat irretita, cui ſuperſtitiones extinctas, cui pacem, incolumitatem, Fidem, Religionem, Deum, referre debebat acceptum? O meritò poſt multa ſecula exactas ab inſana urbe hujuſce criminis pœnas, cum ſubire coacta fuit ſuperbiſſimi Tyranni jugum!

(4) Sed hæc non omnes Conſtantinopolis cives impii furoris flamma corripuit. Plurimi admirabantur, ac deperibant Patrem, cujus alii cæleſti virtuti invidebant. Sponte ille ruris exilium magnanimo receſſu prætulit plauſibus urbis Cæſareæ. Tunc in mare proiici, Gregori, flagitabas, qui mini-

(1) *S.Gregorius expreſſit ſe ipſum celebrando S.Baſilium.*
(2) *Quia illum merita laude proſequi deſperamus, huic Baſilicæ gratulamur exceptas ejus exuvias.*
(3) *Quæ dona in illo nobis contulit Cappadocia.*
(4) *Quæ obtulerunt Athenæ.*

(1) *Quæ univerſa Eccleſia pugnans.*
(2) *Quæ Cælum ipſum.*
(3) *Dici non poteſt donatus ab Urbe Conſtantini.*
(4) *Plurimi ejus Cives excuſantur.*

Digitized by Google

minimè concitaveras, ſed compeſcueras ferocientis populi tempeſtates?

Decuit ergo profectò, incomparabilem Virum, qui regnatricis Urbis luci privati ruris tenebras antetulerat, ab hoc excipi fulgore imperantis animis Regiæ. Cujus fugam Nova non frænaverat Roma, hoc enim Conſtantinopoli nomen inditum fuit, Veteris in ſinu illuſtre perfugium ſortiri.

(1) Decuit hoc in Templo, celebratis mundi Prodigiis inſultante, Portentum Ingeniorum tumulari: huic Cæli Coloniæ deſtinari virum, qui, etiam dum ætatem in terris ageret, Cæli videri potuit Inquilinus, adeo inconniventi oculo hauſit Sapientiæ Cæleſtis arcana. A mortalium, qui Divinas laudes perpetuò concinunt, præſtantiſſimis ambiri perituri honoris contemptorem egregium. Magiſtrum Eccleſiæ Latinæ Doctorum, (nam Hieronymum Gregorius Sacris Literis erudivit) in Principe Latii Templo ampliſſimo cultu decorari. Prope Veritatis Interpretem ſtatui Cæleſte hoc ipſius ore loquute Divinitasis Oraculum. Propè Baſim, ac Petram, cui Divinum Templum innititur, ejuſdem Columnam Tartari viribus ineluctabilem. Non procul a Petro, quem Supremum Theologorum Verticem Dionyſius dixit Areopagita, Gregorium illuſtri cognomento Theologum.

(2) Supereſt, ut, quemadmodum ex vetuſto ritu in Templorum fundamentis Sacri Divorum Cineres collocantur, quæ ſuo Roma ſinu excepit, Oſſa Gregorii magna ex parte fatiſcentis Græcæ ruinas Eccleſiæ compeſcant, ut in unum cum Latina iterum exurgens apicem coaleſcat.

(1) *Conglobatæ Cauſæ, propter quas præclarum hìc tumulum ſortiri debuit.*

(2) *Fælix hoc ex tumulo augurium.*

Cæleſtis Amicitiæ Prodigium, Gregorius Theologus, & Baſilius Magnus.

ORATIO XII.

Dicta in Baſilica Vaticana.

INter celebrata Amicitiæ portenta, Præſules Illuſtriſſimi, par Gregorio Nazianzeno, & Baſilio nullum enituit. (1) Rara illa fuerunt, quia vera, omnibuſque numeris abſoluta amicitia rariſſima eſt. Ex ipſis autem amicis nunquam uterque Magnus inventus fuit, quia rara pariter, & ardua eſt Magnitudo ipſa. Unus plerumque alterius amici alis innixus gloriæ cælum attigit. Non ea fuit Lælii, quæ Scipionis, præſtantia: non ea, quæ Achillem, extulit Patroclum virtus. Si pares fuerunt Pilades, & Oreſtes, at neuter magnus. Omnia demum ſacra pariter, & profana monumenta luſtrantibus hi duo ſolùm occurrent ſanctiſſimo amicitiæ fœdere conjunctiſſimi, ea fulgentes heroica virtute, ut Maximus uterque fuerit, &, uter alteri præſtiterit, nequeat omnino decerni. (2) Hoc autem idcirco perbrevi oratione oſtendere aggredior, quia ipſorum ſolennia ſe hoc anno mutuò excipiunt in hoc Auguſtiſſimo Vaticano Templo, adeoque cæleſte ipſorum conſortium novo quodammodo vinculo videtur arctius implicari.

(3) Si Magni Cognomen Baſilio adhæſit, illo Gregorium pariter compellavit Synodus Epheſina, & aliud Theologi, ab omnium ipſi ſeculorum plauſu tributum, non minorem eidem vindicat laudem.

(4) Quod Patriæ, ac Generis claritate uterque inclytus fuerit, leve dictu eſt; ſed quod utriuſque Parentes, Fratres, Sorores, atque omnes ferè, qui ſanguine ipſos attigerunt, eximia ſanctitate floruerint, & in Sacris illorum nomina Faſtis recenſeantur, enimverò prodigioſum videtur.

In-

(1) *Nunquam inventi Amici, quorum uterque Magnus extiterit.*

(2) *Præter Gregorium, & Baſilium.*

(3) *Etiam Gregorius appellatus Magnus a Concilio Epheſino.*

(4) *Prodigium Sanctitatis in omnibus utriuſque Conſanguineis.*

(1) Ingenii, Doctrinæque portentum uterque viſus Athenis fuit, perque illos primùm Ethnicæ ſapientiæ Chriſtiana Religio inſultavit. Non in Sacris tantùm, ſed & in profanis literis Græciæ, adeoque Mundi, prodigium uterque dici promeruit.

(2) Epiſtolis, quibus mutuum abſentes amorem aluerunt, illuſtrius nihil excogitari poteſt. Quæ carmina panxit Gregorius, Pindaros propemodùm æquant, Sophocles, & Homeros. Divinis utriuſque Orationibus vix quicquam par vetuſta, aut noſtra ætas tulit.

(3) Mirum in illis Sapientiæ, & Eloquentiæ commercium: mirifica explicatio arcanorum Divinitatis, ad quæ ab hoc etiam exilio delibanda incredibili uterque ſtudio rapiebatur, ut æquo proinde uterque amore ſolitudinis incenderetur: in qua licet Sanctiſſimum averſantium ſeculi fluctus virorum Cœtum Baſilius inſtituerit, ad illum tamen condendum, firmandumque legibus ſuam ipſe etiam Gregorius operam contulit, adeout egregiæ prolis Pater uterque cenſeri queat.

(4) Si cæleſtis Integritas Baſilium ornavit, ea fuit Innocentia morum Gregorii, ut ad illius amplexum Sapientia, & Virginitas e cælo devolaverint. Si Eccleſiæ diſcrimina e ſylvis abſtraxere Baſilium, & Sacris Cæſareæ Infulis Divinum pugilem decorarunt, eas illi imponi ſategit Gregorius, qui alias vitare non potuit ipſi a Baſilio collatas.

(5) Terror uterque, & Malleus, & Everſor hæreſum: Impiis uterque formido Cæſaribus, ex quibus cum Valente præcipuè Baſilius, Gregorius cum Juliano congreſſus. Diſcrimen unicum, (ut aliqua veros hos Caſtorem, & Pollucem, fluctuantis Eccleſiæ Sydera, nota ſecerneret) quod ille ſua in Sede vitam fato ſanctiſſimo coronavit, hic ſponte digreſſus a Sacro Conſtantinopolis Solio ruri conſenuit, calamo debellans hoſtes Fidei, quos fulminanti, Pericle fœlicius, ore profligaverat.

(6) Potior Baſilii ſors exiſtimari poteſt, quod illi ſuperſtes Gregorius fuerit; nam erepto terris Baſilio, quem prodigioſa Gregorius oratione laudavit, inventus eſt nullus, qui commendaverit pro dignitate Gregorium.

(1) *Uterque portentum fuit Ingenii, ac Doctrinæ.*
(2) *Mira illorum Opera.*
(3) *Sapientiæ conſortium, & eloquentiæ.*
(4) *Summa utriuſque Innocentia, & Sanctitas.*
(5) *Uterque Malleus, & Everſor Hæreſum.*
(6) *Baſilius tantùm parem Oratorem Gregorium ſortitus fuit.*

Divus Gregorius Nazianzenus Conſtantinopolis Antiſtes præcipuus recuperandæ illius Urbis Chriſtianis Principibus futurus eſt Auctor.

ORATIO XIII.

Dicta in Baſilica Vaticana.

Poſtquam coram intuentur Exercituum Deum, pugnant etiam Cælites, (1) quos animi inductio, dum mortale ducerent ævum, ad Sacra bella non rapuit, Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi DD. Ut olim ſuum curſum inſtituentia Sydera contra Siſaram pugnaverunt, ita qui, cum ad juſtitiam erudiverint plurimos, fulgent ut Stellæ in perpetuas æternitates, contra Tartareas legiones Cæleſti ex arce ſtrenuè decertant. Martium has inter in Turcarum Tyrannum fore Sydus auguror Gregorium Nazianzenum, (2) quem Conſtantinopolis Præſulem ad illam Orientis Regiam libertati Catholicæ redonandam præcipuum ſunt habituri Chriſtiani Principes Ducem. Quia Gigantem palmo, imo conchâ Oceanum, metiri ambiret, quicumque Divini hujus Herois dotes breviſſimæ finibus orationis molíretur includere, eas tantùm ex innumeris innuam, quæ huic argumento conſertæ penitus ſunt.

(3) Singulari curæ illius Urbis expiationem regnantibus in Cęlo Divis eſſe quis abnuat? Horum autem principes profectò crediderim, qui eam Cæleſti doctrina præ cæteris imbuerunt, & Sacras illius habenas pertractarunt: inter quos præ cæteris Gregorius eminet, eò quòd cum pluribus

(1) *Cælites pugnant contra Impios.*
(2) *Hoc præcipuè Sanctus Gregorius Theologus præſtabit.*
(3) *Suadetur primò.*

Digitized by Google

bus illi prælia, dum viveret, gerenda fuerint.

(1) Qui Julianum impium Cæſarem primus detexit, fortiſſimè impugnavit, & impetrato ſuis precibus fulmine extinxit: qui cum Valente congreſſus egregiè fuit: fractos jam penè, aut certè conſternatos Canes formidabit?

(2) Magis arduum fuit auxiliis ferè omnibus deſtituto Gregorio in Ethnicos, in Arium, Macedonium, Eunomium, Apollinarem invehi, quàm futurum ſit ſemimortuum Mahometis Draconem penitus elidere, ac proculcare.

(3) Vix unum Anaſtaſiæ patebat Conſtantinopoli Catholicis Templum, qua tempeſtate illam Gregorius Urbem ſubivit. Recluſa porrò ab illo ferè ſunt omnia: & nubibus antea obſitum Cælum, nebulis aer, ſerenus illico riſit, cum in ſuam Baſilicam ab optimo Cæſare Theodoſio Sanctiſſimus Præſul inductus fuit. Nec referabit nobis Sapientiſſimus Doctor miſerè nunc a Barbaris profanatam Ædem Sapientiæ Divinæ?

(4) Suas ille delicias, quas ſub Cæleſtium Charitum ſpecie ad ſe aliquando viſendum delapſas conclavi excepit, Pudicitiam,& Sapientiam poſt diuturnum exilium in Conſtantini Regiam revocabit.

(5) Neque verò, quòd procellas illius Urbis pertæſus in ſolitudinis portum receperit ſe, non iterum eandem repetet ſuaviſſimus Pater. Cum illum publica ſalus requirit, e Cælo aderit, ut olim e gratiſſimis ſylvis, quas ut Cæli Colonias amabat, erumpere conſuevit, cum illum Fidei diſcrimina ad arenam, & certamen invitabant.

(6) Quis illo efficacius inter Chriſti cultores, qui Latinam, aut Græcam ſequuntur Eccleſiam, fœdus conciliabit, cum inclytus ipſe unius Doctor, & ſingulari prærogativa Theologus nuncupatus, omnes alterius in Hieronymo erudiverit: Latinorum ipſe, ut Purpuratus Hiſtoriæ Pater animadvertit, amantiſſimus, a Sanctiſſimo Pontifice Damaſo contra Maximum paterno ſtudio defenſus, & ſui Corporis exuviis Romam amiciſſimè muneratus?

(7) Quas ille ſuorum ſuppetias nobis in Thraces pugnantibus ultro ſubmiſit! Egregios primùm in Polonorum Exercitu Ruthenos, quos inter, Græcum plerumque Ritum amplexos, nobiliſſimo loco natus eſt Heroum maximus Invictiſſimus Rex: tum ejuſdem penitus Eccleſiæ ſuæ Sectatores, Coſacchos, Moldavos, Valachos, Morlacchos, Cephalenios, Zacynthios, Corcyræos, Peloponneſios? Quid memorem ab Heroe fortiſſimo Georgio ſortitos nomen, & adoratores Chriſti Mingrellios, Perſarum in Turcas armis immiſtos? Quid, noſtrorum adventum præſtolantes Epirotas, Boſnios, Servios, Bulgaros, natos in Gregorii ſolo Cappadoces, ipſoſque Conſtantinopolis incolas? Enimvero, utut Moſchi conquieſcerent, ſupra ducenta Græcorum more Sacra celebrantium Chriſtianorum millia fore ſub ſignis auguror Gregorio Duci.

(1) Si alter Heroi noſtro addictiſſimus, ejuſque Divini in Religione propaganda ardoris æmulus Gregorius Pontifex, ſacris ejuſdem Cineribus Sacroſanctum hoc Templum locupletavit, adornet jam Sanctiſſimus Innocentius, cujus Cæleſtibus Curis, Auro, Lachrymis Victoria præcipuè tribuenda erit, Sanctorum ex Latina Eccleſia Sacra Lipſana, paria Græcis dona reponens, quæ ad fœdus magis alendum Conſtantinopolim mittat.

Quod illi obſequium, & amorem apud Græciæ populos conciliarunt ferè Vicies Centena aureorum millia erogata liberaliſſimè ad eos Tyrannico jugo ſubducendos! Si aureus, quo in noſtro alii Collegio Græciam aſperſerunt, beneficentiæ Rivus, charitatis vinculis plurimos traxit ad cultum optimi Patris, quid parient Pontificiæ Largitatis Regalia Flumina ad fauſtiſſimum ipſi Græciæ in Turcas bellum ſuſcipiendum? Potentius nihil eſt amoris indicibus donis ad nobiles animos alliciendos.

Quid præſtabunt ſub optimis, & Chriſti nomine conſecrandis Orientis Principibus, qui ſub impiis, & oſoribus Romæ, ideoque ſuſpicioſis Tyrannis, veram tam latè Religionem amplificarunt? Liceat mihi in extrema oratione, ad illuſtre, ac verè ſydereum calcar ſponte volantibus ſociorum meorum animis infigendum, Majorum noſtrorum gloriâ nos onerare, ex quibus plurimi paterna domo, patria, & opibus pulſi, vincti catenis, orbati vitâ pro Vaticano, cujus Sacrum Principatum ſupra Quinquaginta editis in lucem Voluminibus exornarunt, recuſatis plurimi, præclarè geſtis aliqui nobiles Infulis: ad Catholicam alii religionem tres Conſtantinopolis Præſules adduxerunt: patefacto alii celebres aditu Sacræ, a qua pietate, & literis informamur, Religioſorum hominum familiæ ad Orientis vineam excolendam: iis verò quidam manipulis divites, ut Ur-

(1) *Secundò*. (2) *Tertiò*. (3) *Quartò*. (4) *Quintò*. (5) *Sextò*. (6) *Septimò*. (7) *Octavò*.

(1) *Nonò*.

bes aliqui , Provincias , Inſulas , noſtro etiam ævo ; unus verò tantummodo parentum noſtrorum ætate ferè Tricies Centena animorum millia in horrea Divina congeſſerit , a Pontificio proinde Oraculo dictus Columna fidei, Atlas Fœderis Latinam inter, ac Græcam Eccleſiam , & Athanaſius Alter .

Utinam , cum locupletior nos meſſis invitet , adeſſent plurimi , qui manus , falcemque conſererent in tanta opportunitate Chriſtianæ Reipublicæ , cujus Tertia pars Græcum , omni penè viduatum auxilio , Ritum conſectatur . Sed idem , qui Victoriæ , Auctor etiam erit referendi ex illa per ſynceræ Propagationem Fidei fructus ampliſſimi .

Ea, quæ prope Orationis finem indicantur de Alumnis Græcorum in Urbe Collegii, probantur

EX Bullis, & Brevibus Pontificiis, Literis Prælatorum, & Principum, aliiſque Originariis, quæ ſervantur in Archivio Collegii Græcorum , ex Hiſtoriis manuſcriptis Petri Arcudii, Tarquinii Gallutii , Dominici Ottolini : ex Catalogis Alumnorum, cum narratione rerum ab illis geſtarum : ex Libris editis Arcudii, Cariophili, Cottunii, Allatii, Piazzæ, Erythræi, &c.

Sequuntur Græcum Ritum, præter antiquam Græciam, omnes Provinciæ ſubjectæ quatuor Patriarchis , Conſtantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Hieroſolymitano, adeoque totus ferè Oriens, & qui Libyam , ac Æthiopiam incolunt Chriſtiani , omnes Inſulæ Jonii , Ægæi, Cretici, Cyprii maris, Macedonia, Theſſalia, Epirus, Aſia minor, Meſopotamia, Cappadocia, Georgia, Mingrellia, Aſſyria, Paleſtina, Ægyptus, Thracia , Bulgaria, Servia, Raſcia, Boſnia, Magna Dalmatiæ, & quædam Hungariæ pars, Valachia, Moldavia, tres Ruſſiæ, & in his vaſtiſſima Moſchorum Regio.

Plurimis de cauſis Agnomen Magni præ cæteris omnibus Profanis, & Sacris Heroibus Divo Baſilio tribuendum fuiſſe.

ORATIO XIV.

RARò mortalibus adhæret Agnomen (1) Magni, quia eam ſupra cæteros præſtantiam pandit, ad quam humana vix unquam virtus enititur. Niſi hæc eximia ſit, & reliquos immenſo penè intervallo antegreſſa, aliis quidem Heroes facilius Agnominibus honeſtabit, quàm eoſdem Magnos Fama perpetuò dicat. Sui quandoque Populi hac Appellatione inclytos Reges illuſtrant, ſed ea non invaleſcit apud exteras gentes. Cum autem perpetuò, & ubique terrarum ab omnibus alicui tribuitur, inſignem patet fuiſſe complexione meritorum, & a Cælo ferè delapſum Semideum illum, quem hoc præclariſſimo Agnomento coronant publica omnium ſuffragia ſeculorum. Hos inter Magnos non Profanos tantùm, ſed & Sacros, perenni plauſu ab omnibus appellatos ita fulſiſſe (2) Baſilium peculiaribus quibuſdam ex cauſis oſtendemus, ut omnium Maximus ex æquo, & jure cenſeri poſſit.

Palmarem hunc nonnullis Titulum vindicarunt bellicæ dotes, relatæque victoriæ, ut ex Græcis Alexandro, ex Romanis Pompejo. Tantopere arduum eſt hoc exaggeratæ gloriæ nanciſci argumentum, ut illud neque Julius ipſe Cæſar fuerit ſortitus, neque alii tot intumeſcentes triumphis Imperatores, ac Reges. (3) Sed quam demum virtutem Macedo, atque Pompejus conſequuti ſunt, ut Magni nuncuparentur? Noxia ſcilicet innumeris mortalibus, & frequenter iniqua, bellica gloria. Ipſe prætera victoriarum ſplendor facilius aperit viam ad has prætumidi Nominis auras captandas. Quid porrò erit Magnum fuiſſe dictum in Toga, & ob eas tantummodo palmas, quæ

nihil

(1) *Agnomen Magni rariſſimè collatum Heroibus.*

(2) *Ob peculiares quaſdam Cauſas Divo Baſilio præ aliis omnibus debitum.*

(3) *Inſultatur Alexandro collato cum Baſilio.*

Digitized by Google

nihil hominum oculis lenocinantur? Hoc Baſilio contigit, qui a ſe ipſo tantùm in inteſtina motuum animi pugna meſſuit lauros. Quamvis nec illi defuerunt Cæſares debellati. Expertus eſt ineluctabiles Cæleſtis Herois vires Ariana Hæreſi lymphatus Valens, qui potuit quidem Exercitibus metum incutere, ſed Baſilium formidavit.

(1) Fulcire Romanam Pompejus nequivit Rempublicam: Regnum, ſed citò periturum, condidit Alexander. Quanto potiori jure Magnus cenſetur Baſilius, qui Chriſtianam contra hoſtes innumeros Rem aſſeruit: & Sacrum addictorum præcipuo cultui Divinitatis hominum inſtituens Ordinem illuſtre condidiſſe videtur Regnum, cum, ex veriſſima Sententia, regnare ſit Divino Numini famulari.

(2) Violento Magni illi fato ſublati ſunt, veneno Macedo, Romanus ferro: ætate nondum devexa Pompejus, in ipſo juventæ flore Alexander: nulla hic relicta prole Regni hærede: ille ſuperſtitibus quidem filiis, quibus tamen grande tantummodo inſtituit patrimonium cladium; adeout ingenioſus deinde cecinerit Vates:

> *Pompejos Juvenes Aſia, atque Europa, ſed illum*
> *Terra tegit Libyæ, ſi tamen ulla tegit.*

(3) Quamvis illibatum perpetuò ſervaverit Virginitatis florem Baſilius, filios tamen ſui Spiritus reliquit innumeros, adeoque ſua, quaſi regali, ſorte contentos, ut Purpuram, & Sceptrum contempſerint plurimi quærentes tutiorem, quàm in Regia, Cæſareaque Aula, in Baſilii Aſcæterio fortunam. Quæ porrò gloria eſt Primum fuiſſe Religioſarum Conditorem familiarum? Multò certè præſtantius hoc decus eſt, quàm Regni molimen aereum perituri. Ultimo præterea ſenio Baſilius deceſſit, nec alienis armis, aut morbo fractus, ſed Amoris igne Divini fœliciſſimè abſumptus.

(4) At funus nequaquam præſtolata eſt Fama, ut illum diceret Magnum; hoc enim paſſim Nomine ſalutari cœpit in ipſo Juventutis vere, quod nulli penitus alteri contigiſſe narratur. Ex Eccleſiæ Divinæ Doctoribus, Maximiſque Pontificibus Magni dicuntur Gregorius, Leo, Nicolaus, horum Nominum Primi. Sed præclaram hanc illis laurea Senium adeptum eſt, & Regale, quo fungebantur, Sacerdotium pronam aperuit ſemitam ad Magna opera perpetranda: quemadmodum etiam terrarum Imperium Conſtantino, Theodoſio, & Carolo. Prodigioſum eſt, quod peculiaris cujuſdam, & ne regiæ quidem, Urbis Antiſtes, qualis Baſilius fuit, Magnus ob præclariſſimas res geſtas, & ferè Divinas Virtutes dici promeruerit.

(1) Si alios prætcrea Magnos Latini appellant, hoc illos fortaſſe Nomine non extollent Græci. Ad illud Baſilio conferendum gens utraque, cum barbaris etiam populis, conſpiravit. Terra demum aliis hanc Appellationem indulſit: Baſilio Cælum attribuit; cum enim Ignea illa divinitus Columna fulſiſſet, mirabilis vox audita fuit dicens: *Hic eſt Magnus Baſilius.*

O ter Magne, imò non triplici tantùm nomine, ſed multiplici Maxime, perinde ac Magnos ipſe alios prætergrederis, ita filiis exora tuis, ut, minimè degeneres a Parente, virtutis apicem flagrantibus votis anhelent.

Tom. IV.

(1) *Et Pompejo.*

(2) *Expenditur utriuſque Mors, & non relicta filiis Paterna Fortuna.*

(3) *Magnitudo Baſilii ex Legibus præſcriptis Religioſæ ab illo conditæ Familiæ.*

(4) *Peculiares Cauſæ, propter quas aliis quoque Magnis anteferendus videtur.*

(1) *Magnus ipſe dictus ab omnibus Gentibus, & a Cælo ipſo.*

Amantiſſimam fuiſſe Beati Aloyſii Gonzagæ ab Amore Divino Fugam, & cæteris ejus dotibus anteferendam.

ORATIO XV.

Dicta in Templo S. Ignatii.

PОrtentum infœlicis amoris viſum fuit ingenioſiſſimo Vati, quod quis abeſſe cuperet id ipſum, quod maximè deperiret, Eminentiſſimi Principes. Sed profectò neque novum hoc votum eſt, neque porrò infrequens, niſi penitus inſaniant ii, quos proximus malè blanditus ignis abſumit. Prodigioſius multò videri poteſt deſiderium amantis, (2) qui non ab oculis tantùm, ſed & ab animo abeſſe velit Amorem ſuum, & innoxium quidem, Cæleſtem, & patrem nunquam perituræ fœlicitatis. Hoc in Aloyſio Gonzaga miraculum amoris ſuſpicimus, qui, cum divina tabeſceret Charitate, juſ-

(2) *Summum prodigium eſt, quod non ab oculis tantùm, ſed & a corde pellatur amor.*

Digitized by Google

ſus eſt ab animi Moderatoribus vitare interdiu Cæleſtium rerum imagines, quæ perpetuo quodam agmine, veluti incendiaria ſpecula, illum aggrediebantur, ne beatiſſimo periret incendio. (1) Eorum dicto audiens cum ab aſpectu ſe Divinitatis proripere vellet, mirum in modum torquebatur; adhibito enim conatu mentem cohibere non poterat, ne improviſa rurſus in divinas cogitationes excurreret: adeo ut pugnans invicem amandi, & obtemperandi ſtudium brevi Cæleſtem Adoleſcentem extinxerit. Amantiſſimam hanc amoris Fugam cæteris Aloyſii dotibus oratione perbrevi antefero.

(2) Quod in amorem vix dum a ſe cognitæ Divinæ pulchritudinis ab ipſa infantia exarſerit Aloyſius, penè antequam radius illi humanæ ratiocinationis affulſerit, non magnopere admiror. An non enim ſibi non cognitum Syderum principem flos adorat? Ignotum Cæli cardinem magnes inquirit? Ad incompertum ſibi Cælum ignis erigitur? Quid ni ergo inſita quadam optimè divinitus temperati animi propenſione Gonzaga feratur in Deum? At, quod ab eodem, qui mirâ ipſum indulgentiâ fovebat, expediat ſe, ac veluti venenum averſetur inundans animum Cæleſte nectar, hoc porrò admirationem parit.

(3) Quod, cum ſtatim mortalia illi cuncta ſordere cæperint, miro quodam æternæ patriæ deſiderio captus in arcano illius intuitu horas identidem quatuor, nec rarò ſex, excepto genibus corpore ſeminudus puer intempeſta nocte perſtiterit, minimè mirum videri poteſt, cum interim quodammodo immigraret in Deum. At quod deinde Cæleſtem hærentem animo voluptatem omni ratione conaretur extinguere ipſa Deum veritus offendere charitate, adeoque omnibus humanis pariter, ac Divinis deliciis carere vellet, mirari me, ac ſtupere confiteor.

(4) Neque verò oculorum modeſtia, qua formoſiſſimam Hiſpaniarum Reginam, qua Parentem ipſam ſuam, qua præclara nunquam haſtiludia dignatus intuitu eſt; ſed Cæli theatra, a quibus oculos avertebat, dum illi maximè obiiciebantur, me in Aloyſii admirationem traducunt.

(5) Quis in ejus commendationem effunditur ob odium, ac faſtidium, quod altè conceperat animo, eorum, quæ apud mortales prima putantur? Quo nuntium remittere omnino decreverat Ditioni pulcherrimæ, quæ ad ipſum Imperii Romani Principem devolvebatur? Panegyricos potius provocat mirabilis victoria ſui, qua, cum in Sacram familiam ſe receperit, eo præſertim nomine, ut procul ab Aulæ ſtrepitu ad beatos Divinitatis congreſſus facilius rueret, ab iis ipſis, non ſine lethali animi angore, ſubduxit ſe.

(1) Superent fidem voluntaria ſupplicia, quibus nunquam admiſſorum criminum pœnas exigebat: prodigioſa inedia: expreſſi ter interdiu, noctuque horribilibus flagellis a virgineo corpore ſanguinis rivi: lateribus infixa calcaria: quibus præſertim artibus propitiato Numine voti compos extitit, & fidem ſuam perpetuo religioſæ militiæ ſacramento obligavit. Sed enim in hac ipſa vitæ aſperitate inerat voluptas mira, quæ omnem ferè ſenſum doloris extinguebat. At quod omni etiam mentis gaudio prorſus exui, nudarique vellet, &, cum maximè exultaret in Domino incredibili a Sacrarum commentatione rerum voluptate delibutus, ardorem animi ſponte reſtingueret, hoc enimvero non admirari quis poſſit?

(2) Ac juſſus Cæleſtes res oblivione interdiu conterere, cum æſtu nimio Cæleſtis ignis torqueretur, vitam protraxerit animo viduatus, dum amantiſſimè Deum, amorem ſuum, averſabatur, ipſorum e Suprema ſerie Cæleſtium amatorum admirationem laceſſit. Idque prodigium exaggerat, quod cæco quodam obtemperandi ſtudio divinas curas a memoria detergere conatus ſit; quamvis animadverteret, majorem ſibi perniciem a medela illa, quàm ab amoris ægritudine procreari; cum enim diſſipare nequiret animum in varias ſolicitudines vitæ mortalis: cumque Moderatorum denuntiatione deterritus ſuaviſſimam illam perniciem, ortam ex Divinis notionibus ſponte occurſantibus exhorreſceret, ex illa pugna, & vehementi fluctuatione animi æſtuantis, in magnum vitæ diſcrimen adductus eſt.

(3) Paulatim exeſo corporis robore languebat flos ille juventæ pulcherrimus. Lilium dixiſſes, cui aquam omnium avaritia nubium, ac rivorum inviderit; cum tamen ob ubertatem nimiam Cæleſtis, a qua mirabili fuga avertebatur, irrigationis areſceret.

(1) *Præferetur conatus hic aliis omnibus B. Aloyſii dotibus.*
(2) *Præſtat mirificæ in ipſa Infantia propenſioni erga Deum.*
(3) *Perpetuoq; orandi ſtudio.*
(4) *Et Modeſtiæ incomparabili.*
(5) *Et contemptui Principatus.*

Hinc

(1) *Et immanibus ſponte ſuſceptis pœnis.*
(2) *Ipſis prope Cæleſtibus Amatoribus Aloyſius admirationi fuit.*
(3) *Ut obtemperaret, in magnum Vitæ diſcrimen incurrit.*

Digitized by Google

(1) Hinc in cordis thalamo indulgere amori prohibitus, agendi ſaltem, ac tolerandi fortia, ut amantes decet, facultatem extorſit: cumque famularem operam adhiberet tabeſcentibus morbo, qui ſingulis ferè adhærebat, eo laborantes ex Alteriorum foro ſuis humeris detulit ad publicum ægrotorum diverſorium per Capitolinum Clivum, qui in nullius unquam triumphi majorem admirationem aſſurrexit, quàm in ejus tunc a Gonzaga relati de mortali ſuperbia, & omnibus inſito vitæ ſtudio.

(2) Hìc verò quis inſimulare me audeat, ſi amantiſſimæ, quam demiror, amoris fugæ hunc ipſum heroicum contemptum vitæ poſthabeam? An non enim illâ præcocem, qua in exilio fruebatur, beatitatis uſuram recuſavit? Ea porrò multò præſtantior eſt diuturniori ævo, quod trahere potuiſſet inter ærumnas mortalitatis.

(3) Idcirco licet nobilis fuerit Martyrum æmulator, cum violentam multiplicis ſtudio virtutis oppetiverit mortem; non tamen extrinſecus illatæ funeris cauſæ, ſed intimus animi tortor, qui lenta Gonzagam tabe confecit, Divinæ illius Sponſæ Magdalenæ de Pazzis illuſtri teſtificatione, innumeris, iiſque fortiſſimis Heroibus, qui profuſo ſanguine Fidem aſſeruere, prætulit Aloyſium.

(4) In hoc autem inteſtino certamine, quo integerrimus Juvenis abſumptus eſt, congreſſum tantummodo fuiſſe crediderim Amorem, & obtemperandi ſtudium; ceteroqui enim nulla fuit ipſi, ut vulgo mortalium, ad pravos animi motus edomandos ſubeunda pugna, quæ ipſa per vim illata Morte fortior haberi poſſet. Utinam qui hoc prodigioſo itinere, ac ipſis Cæleſtibus Heroibus plerumque inaſſueto, amantiſſimâ videlicet Amoris fugâ, Divino pectori ſe inſeruit Aloyſius, nos erudiat, per conſuetam ſtudioſè quæſiti Amoris ſemitam eniti ad amplexus Numinis immortalis.

(1) *Vetitus perpetuò amare optavit mori.*
(2) *Spretam Vitam ſuperat Amoris fuga.*
(3) *Hæc fuit præcipua cauſa inteſtini ejus Martyrii.*
(4) *Illati ab Amore, & Obedientia.*

Brevem Vitæ uſuram indultam B. Aloyſio argumentum eſſe maximè illius Sanctitatis.

ORATIO XVI.

Dicta in Templo S. Ignatii.

INter cætera, (1) quæ religioſo proſequi cultu debemus, Arcana Conſilia Divinitatis temperantis fata terrarum, Eminentiſſimi Principes, illud vel maximè ſapientum animos admiratione ſuſpendit, quod cum omnes ex æquo Mortales in hoc exilium compulſi fuerimus ad mercandam Sempiternam Fœlicitatem, tam diverſa, quibuſdam Diuturni, aliis Breviſſimi Temporis uſura indulgeatur ad negotium maximum tranſigendum. Prope Mille olim annos quamplurimi vitam agitaverunt: at ſi Centum in præſentia prætergrediaris, videberis Phœnix. Cum enim, præter cæteras cauſas, aucta mirum in modum fuerit ſagacitas fraudis, & ſitis Imperii, quæ ſi diuturno annorum curſu foveretur, perpetua ſereret bella, converſioneſque Regnorum aggrederetur, Providentiſſimi Numinis Sapientia, ut hominum ſuperbiam elideret, ſpatia vitæ contraxit. Adhuc tamen poſt coarctatos terminos mortalitatis ſtupore defigit diſcrimen ætatis Sanctiſſimorum Virorum, quos promiſcuè Sera, Cita, Mors rapit: (2) Ac præſertim ſuſpicimus cauſas, quæ Ideam Cæleſtium Adoleſcentium Aloyſium Gonzagam immaturo funere terris eripuerunt. Illas ego dum breviſſima proſequor Oratione, a Juvenili Aloyſii occaſu incomparabilis ejuſdem Sanctimoniæ argumenta conficio.

(3) Ac primò quidem Cæleſtis Indoles Tua, odiumque perituræ fœlicitatis brevi recluſit anguſtias carceris, quo anhelans Regno Immortali ſpiritus includebatur. Quot lenociniis amorem tuum Natura in te ſuorum munerum profuſiſſima venata eſt? Quà ſplendore Generis, Avita, & Paterna gloria, Conſanguinitate Regum, & Exerci-

ci-

(1) *Mirum hominum ætatis diſcrimen.*
(2) *Breviſſima Beati Aloyſii Vita ſummæ Sanctitatis Argumentum.*
(3) *Inanes conatus Naturæ, ac Fortunæ, ad excitandum in illo vivendi ſtudium.*

Digitized by Google

citum Imperio præclariſſimi: quà deſtinata tibi, non ultimo inter Sacri Romani Imperii Principes, pulcherrima Ditione: quà præſtantis formæ, ſuaviſſimæ Indolis caſtiſſimos omnium amores rapientis, eximii Ingenii, Prudentiæ, aliiſque omnibus te commendantibus illuſtribus prærogativis. At non hiſce blanditiis Aloyſii amorem demereri potuit Natura mortalis, qui novercalia, & hoſtilia illius eſſe munera probè compererat. Enimvero cum Aloyſii Vita perpetua ex rebus humanis fuga, & exilium fuerit, mirabimur, ingratiſſimum illi fuiſſe, adeoque violentum, & breve?

(1) Quid, quod ipſemet, Sanctiſſime Adoleſcens, ſummo ſtudio flagitaſti, ut ver ætatis tuæ hortis Cæleſtibus inſereretur. Quid autem non impetrares a prodigioſa, qua in orando utèbaris, Numinis facilitate? Sed enim quis præcipere animo poterit quænam prçcipuè Aloyſium ad exoptandum immaturum funus impulerit cauſa? (2) Ut videlicet excederet, antequam ex recepto apud ſuos more ſacras ad aras operari cogeretur. O demiſſionem animi ſingularem? Quis te fœlicius poterat Cæleſtem exhibere Hoſtiam Divinitati, qui Beatis Cæli Mentibus non invidebas Innocentię principatum? Qui cum perpetuò fuiſſes Numinis Holocauſtum, futurus jure optimo fueras aliquando Sacerdos?

(3) Et hoc quidem ſtudium immolandi te ipſum Patibulato Deo per voluntaria ſupplicia, per flagra, quibus ter interdiu noctuque regali ſanguine pavimentum inundabas, per incredibilem inediam, & unciales dapes, abeunti ad Superos animo beatiſſimo tramitem explicabat. Nec ante diem aſſequeretur metam, ad quam ſe, cæteroqui volantem, calcaribus, quæ lateribus inſeruerat, acrius incendebat?

(4) His acceſſit peſtilens aura, quam in valetudinariis hauſit, cum operam navavit tabeſcentibus ægrotatione, quæ ſingulis adhærebat; ut proinde quoddam a Charitate illatum Martyrii genus eidem optatiſſimum terminum mortalitatis attulerit. Cum enim contentione mentis aſſidua Divinitati adhæreret, neque ad humanas a Cæleſtium cogitatione rerum avocari jam poſſet, perinde ac, quem ipſæ nutriunt, igne colliqueſcunt faces, Divini amoris incendio beatiſſimo conſumptus eſt.

(1) *Mortem flagrantiſſimè optavit.*
(2) *Sacerdotio indignum ſe ratus.*
(3) *Victimam ſe Deo exhibuit per voluntaria ſupplicia.*
(4) *Peſtilentem auram contraxit in ægrotantium famulatu.*

(1) At ego poſt allatas, quæ Aloyſii vitam importunè abruperint, cauſas, in extrema Oratione brevem fuiſſe inficior curſum ætatis, qui ſingula momenta numerat relatis a Tartaro palmis: qui altiſſimum etiam ſupra Laureatos Fidei Teſtes (Sanctiſsimæ Virginis Mariæ Magdalenæ de Pazzis verbis utor) gloriæ verticem eſt aſſequutus: quique etiam inter Mortales præclariſsimi Æternitate Nominis perpetuò ad Poſteros pertinebit. Quod ſi noſtræ jacturæ memores brevi hominibus indultum fuiſſe dicimus Aloyſium, id eo quoque nomine contigiſſe credamus, ut quamprimùm nobis ereptus ſuavius amaretur ab Adoleſcentibus, quibus præſertim exhibuit eximiæ Sanctitatis Ideam.

Beatus Aloyſius Gonzaga, quia Ticinum pluviis intumeſcentem incolumis tranſivit, eximia Sanctitate præſtans.

ORATIO XVII.

Dicta in Templo S. Ignatii.

SI omnia virtutis triumphum, (2) Eminentiſſimi Principes, debellata elementa ſplendido ſatellitio proſequuntur, flumina præſertim, & maria ſibi vindicant obſequii principatum. Hinc illa vel ſciſſa in cornua ſuperbos tumentis alvei ſpiritus frangunt: vel argento rigens dorſum ingredienti Sanctitati ſubmittunt: hæc pallio, veluti nave, tranantur: vel recedentibus in latera fluctibus, & chryſtallinos in parietes erectis liberum ſinum aperiunt. (3) Audent tamen in Aloyſium Gonzagam, cui ſubvertendas pro arbitrio Naturæ leges tribuerat ejuſdem Naturæ Conditor, & Moderator, violentis aquis flumina inſurgere? Quemque Puerum exploſæ bombardæ ignis, Adoleſcentem amplexa cubile flamma venerata fuerat, eundem effræno vortice rapiens, ac disjiciens in partes, quem ipſe currum inſederat, (4) in magnum vitæ diſcrimen Ti-

(1) *Negatur brevem fuiſſe Aloyſii Vitam.*
(2) *Aqua præ cæteris Elementis venerata Virtutem.*
(3) *Mirum, quod in diſcrimen adduxerit Aloyſium cultum ab Igne.*
(4) *Sanctitatis argumenta ex hoc periculo ſuperato.*

Digitized by Google

Ticinus adducit? Sed enim Aloyſii gloriæ aquarum furiæ velificantur, quem perbrevi oratione laudaturus ab hoc tantùm ſuperati fluminis fonte præcipuas ipſius dotes curſim delibabo.

(1) An enim torrentis aquæ furor illum in præceps raperet, qui ſemper obluctatus eſt propenſioni, & curſui labentis naturæ? Qui cum ipſo Parente congreſſus, ſecum illum pertrahere in oceanum mortalium honorum, & ſolicitudinum ſatagente, victoriam retulit, profectus ad cæleſtium munerum fontem, ad Servatoris videlicet optimi Sodalitium?

(2) Qui magis arduo certamine fluminis illius impetum fregit, quod Cæleſtem Hieroſolymam a Regali Vate dicitur exhilarare, a quo ſuum in animum devolutis puris, & uberrimis voluptatibus cum colliqueſceret penitus, & innataret, furari animum cælo carpenti nimiis deliciis ætatis florem juſſus a Moderatoribus ſuis contra Divinum torrentem brachia mirabili niſu direxit? Huncine beatorum, quibus obſidebatur, fluminum victorem cænoſa fluenta terrarum abripient?

(3) Illos aggrediantur ſuperbi amnes, quos, plurimùm auctus lachrymis Auguſtini, torrens humani moris abſorbet. An, quia nondum Aulam transfuga nobilis deſeruit Aloyſius, idcirco jus in illum habere flumina opinantur, quæ rapido effrænatæ conſuetudinis curſu præ cæteris mortalibus Principes agunt, qui opibus, & lenociniis circumfluentes præclarum ſæpe arbitrantur, vehementer ac turbidè, inſtar inſanientis fluminis, per cupiditatis impotentiam in cælum efferri, dum de magnis criminibus glorientur, velut argumento fœlicitatis? Sed cum ab Aula jam exul animo ſit, cumque ipſum nulli perturbationum æſtus, euripi agitent nulli, eumdem ipſa ſeditio fluminis appellat ad littus.

(4) Aquis extingui ſolent improbi amoris flammæ, quæ Noemicam olim eluvionem laceſsiviſſe Divinis in Literis perhibentur? Obrutus aquis intereat Aloyſius, nullis unquam naturæ illecebris, nullis præſtigiis irretitus? Aucta nivibus flumina in cæleſtes ipſius nives impetum faciant? Eadem intumeſcentia pluviis illum adoriantur, cujus ab oculis devolutus lachrymarum imber inſontis animi lilia perpetuò lactavit? Quem flagellis extrahit a Virgineo Corpore, Regalis ſanguinis uberrima vena fœlicius illi naufragium minitatur.

(1) Si violentum Aloyſio fatum illatura ſunt elementa, crudelem hanc Igni palmam Aqua concedat, cum exæſtuans Amoris Divini flamma jamdudum ipſius animum fœliciſsimo incendio depaſcatur. Aut certè ſi cum Igne congredi Aqua decernit, ſuis ut ille alis, hæc fluctibus, cælo inſerat Aloyſium, aliquamdiu nobiles Athletæ præſtolentur, quouſque e ſacro uterque certamine victor evadat. Cum enim ex Oraculo Divino *Aquæ multæ populi multi* ſint, quibus peſtilenti morbo laborantibus impulſus ab Amore ſedulus miniſter aderit Aloyſius, Aqua ſimul, & Ignis eidem adornabunt immortalem triumphum, quo, prælatus innumeris Fidei Teſtibus, ſubire videbitur Regiam Beatitatis.

(2) Interim ipſius Currui Aquæ prænobili obſequio ambiant ancillari. Enimvero cum ex Platonis ſententia corpori, velut Auriga Currui, animus immineat: cumque, licet mitiſsimus, Aloyſius, cæleſtibus tamen flammis exæſtuans fœlicem illum exhibeat Vatem, quem Ignea Quadriga terris eripuit, ipſius Currum aquis extingui non decet.

(3) An non ipſius animus emergens a corpore, nihilque ejus obſequio mancipatus, Beatas Cæli Mentes æmulatur? An non mortali nulla concretione conflatus videtur Aloyſius? An non ſpiritu tantùm conſtat cæleſti fervens indole adoleſcens? At ſuper aquas ferri Spiritus dicitur. At Divinarum Mentium alas non aſpergunt terreſtrium fluminum aquæ.

Quæ cum ita ſint, non modò Ticini vorticibus non hauriendum Aloyſium apparet, atque extat; verùm etiam ex hac, quæ ab irato flumine parta eidem victoria fuit, præcipuæ ipſius dotes exoriuntur.

Bel-

(1) *Primum*. (2) *Secundum*.
(3) *Tertium*.
(4) *Quartum*, *ſeu veriùs multiplex*.

(1) *Quintum*.
(2) *Sextum*.
(3) *Septimum*.

Digitized by Google

Bellicâ gloriâ præ cæteris omnibus Gonzagis Heroibus Beatum Aloyſium inclaruiſſe.

ORATIO XVIII.

Dicta in Templo S. Ignatii.

DUos inter donatos Aris cæleſtis indolis Adoleſcentes, (1) Aloyſium, ac Stanislaum, Eminentiſſimi Principes, alterum mitiſſimo præditum animo, & bellicam ſuorum gloriam averſatò: prono alterum ad bella ingenio fuiſſe, qui Cælo receptus Turcarum Exercitus quotidie profliget, hucuſque perhibuit fama. At ego ſecus opinor, & etiam Gonzagæ aſſero a domeſtico fonte hauſtum armatæ gloriæ quaſi hæreditarium decus. (2) Perperam negas Filio tranſitum ad Divina caſtra, fortiſſime Parens, perinde ac ſi religioſæ domus in umbra metere nequeat ſegetem uberrimam gloriæ militaris; cum potiùs ad eam omnibus Gonzagis Heroibus fœlicius emerſerit, quia nobilis transfuga viſus eſt avitum bellici Imperii lumen aſpernari.

(3) In puero Aloyſio ſpes militaris laudis præclara ſe extulit. Ad illam ab ipſis penè incunabulis correpere incæpit. Nondum primum attigit luſtrum, cum indolis fervor tormenta explodens in maximum diſcrimen incurrit. Quæ cætera fluminum, & ignis pericula bellatorum obſident vitam, penè hauſtum Ticini vorticibus, Caſtilionis flammis incluſum, Aloyſium aggrediuntur. Vera pugna, non umbratile haſtiludium fortiſſimos milites oblectat? Inania idcirco belli Simulachra ſponte adductis palpebris Mediolani dedignatur Aloyſius intueri.

(4) Aſperam plerumque traducunt milites vitam? Clypeis innixi carpunt fugitivum ſoporem: Inedia, & ſiti non raró torquentur? Unciales, Aloyſi, dapes Lucullæa tibi convivia ſunt: tortuoſa, & aſpera, quibus incumbas, ligna linteis inſeris: gelida hyeme per ſeptem identidem noctis horas contemplationi divinarum rerum defixus hæres. Funibus in te, aculeis, catenis, ter interdiu, noctuque crudeliſſimè animadvertens, regali, ac Virgineo ſanguine parietes aſpergis, irrigas pavimentum. Et quamvis in hoc curriculo gloriæ calcaribus profectò non egeas, ærea tamen equeſtrium calcarium ſydera tuo lateri frequenter infigis.

(1) Uſque adeo bellica indoles in Aloyſio exarſit, ut, cum deeſſent hoſtes, quos vinceret, ſuam inſectatus ſit Innocentiam, quæ omnium amores vindicabat ſibi. Nullum ad bella ita projectum ingenium eſt, ut, quod hoſtes, niſi inveniat, conſultò facit. Porrò nullum magis arduum prælium, quàm quod cum illo conſeritur, cujus amorem præcipuè natura fibris ingenuit, quod videlicet contra ſe ſuſcipit quiſpiam. (2) Superbi plurimi incedunt ob profligatos Exercitus, debellata Regna, qui ſub turpi effrænatarum cupiditatum tyrannide ingemiſcunt: perturbationum euripi fluctuant animo: inquies, inconſtans, turbulenta ſeditio mentis tranſverſos agit: & interim inanibus illis Heroum nominibus, gloria, terrore, victoria, fama inflati ſapienter inſanire videntur ſibi. Enimvero niſi cæterorum victores in officio contineant ſe, fruſtra de bellica fortitudine gloriantur.

(3) Quod ſi hanc de ſe ipſis referant palmam animo a corporis obſequio vindicato; tamen cum Aloyſio deſcendere in certamen gloriæ profectò non poſſunt; ipſi enim vix Cæleſtis Militiæ tyrocinium fuit ſuperbos animi ſpiritus frangere, ac turbulentis jactationibus collidi nunquam. Prodigioſa pugna fuit, qua Cæleſtes ipſius Virtutes congreſſæ ſunt: qua invidioſa Beatis ipſis Mentibus Innocentia cum incredibili cruciandi corporis ſtudio pugnavit: qua exæſtuans tormentorum ſitis cum conſtantiſſima obtemperandi Moderatoribus voluntate, cæteræque divinę dotes amanti pręlio ipſius animum lancinarunt.

Penè

(1) *Militaris Indoles in BB. Aloyſio, & Stanislao.*
(2) *Aloyſius bellicâ Gloriâ præſtitit Gonzagis omnibus Heroibus.*
(3) *Ejus Indolis fervor in ipſa Pueritia.*
(4) *Multò aſperior fuit ipſius, quàm Militum, Vita.*

(1) *Perpetuum contra ſe ipſum inivit bellum.*
(2) *Relata de ſe Victoria præſtat illi, qua hoſtes alii ſuperantur.*
(3) *Alia mirifica in ipſo Virtutum pugna.*

(1) Penè obſoletum jam decus ſit multiplex aliud Pugnæ genus, quo Parentem ipſum ſuum, quo Naturam, quo Tartara debellavit. Verebaris, clariſſime Imperii Romani Princeps Genitor Aloyſii, ne a magnanima ſuorum indole degeneraret? Sed adamantino pectore tuam etiam ille conſtantiam ſuperavit, dum lachrymis, & profuſo ſponte ſanguine flagellis educto, omnium videlicet eloquentiſſimo fletu membrorum, exoptatam a te tranſeundi ad Cæleſtis Imperatoris Vexilla facultatem extorſit.

(2) Ut verò Naturæ victor extiterit, conſuetas ipſius leges prodigiosè refingens, dicere ſuperſedeo, ne immenſum orationis campum ingrediar. At fortaſſe, quia illum terris inviderunt Sydera, antequam abſoluto ſtudiorum curriculo in arenam apertè deſcenderet, arbitrabitur quiſpiam, ingentem ab ipſo animorum prædam ereptam non fuiſſe Tartaro ſuperato? (3) Quin potiùs cum interitus in adoleſcentia ſingulare quoddam erga ipſum excitaverit ſtudium in omnibus Academiis, quæ Patronum, & Ducem ad Cæleſtem Sapientiam præ cæteris omnibus Aloyſium optavere, incredibile profectò eſt, quas clades Inferis Divinus hic Bellator intulerit. Quot ille Juvenes naturæ illecebris illectos, & voluptatis præſtigiis irretitos explicuit? quot Adoleſcentibus veritatis ſenſum, & auram divinitus indidit? Profectò non Miles tantùm, ſed Cæleſtis etiam Militiæ Dux extitit Aloyſius.

(4) At omnium maximè ardua fuit pugna, quam cum ipſa Divinitate ſuſcepit, ab ejus ſe amplexu expediens. Cum enim ad cæleſtia tantummodo flexus, ac verſus animus Aloyſii Divina Charitate perpetuò carperetur, ab illis, qui ejus animo præerant, juſſus eſt exire interdum a Sacrario cogitationum ſuarum, & in alias curas effundi; quod ut præſtaret, innocentiſſimas delicias peroſus, cæleſtibus interdiu fontibus noluit irrigari: voluptatibus & puris, & uberrimis renuit colliqueſcere: adeo arcta cum Opifice ſuo familiaritate conjungi recuſavit.

(5) Sui, Parentis, extinctorum in cunis criminum, pugnantium invicem Virtutum, Naturæ, Tartari, ipſius, penè dixerim, Dei Triumphatori ad ultimam militaris indolis palmam referendam ſupererat, ut in Acie pugnando fortiter interiret. Neque hæc profectò laus defuit Aloyſio, cujus flos ætatis, dum tabeſcentibus inſerviret, extinctus eſt: quique innumeros Fidei Teſtes aperto Marte pugnantes, ſi divinitus illuſtratæ Magdalenæ de Pazzis auctoritati fidem adhibemus, ſponte invitatę mortis prærogativâ anteivit.

Quæ cum ita ſint, apparet, atque extat, eximium omnino bellatorem Aloyſium fuiſſe, cujus arcanos Triumphos niſi gloria mortalis admiratur; at certè ipſius ſuſpicit laudes Immortale Théatrum, in quo anni, atque luſtra non dominantur Famæ.

(1) *Triumphus de Patre ſuo relatus.*
(2) *Deque ipſius Naturæ Legibus.*
(3) *Animorum Præda raptæ Tartaro debellato.*
(4) *Certamen cum ipſa penè Divinitate ſuſceptum.*
(5) *Pugnans in Acie interiit Aloyſius.*

Inſtauratorem Mundi potuiſſe cenſeri
GREGORIUM XIII.
Pontificem Maximum.
ORATIO XIX.
Dicta in Aula Maxima Collegii Romani. Anno MDCLXIII.

IMperium Romani Pontificis, (1) Eminentiſſimi Principes, querelas compeſcit præſtantium Heroum quondam cum Alexandro accuſantium avaritiam naturæ, quæ nimis anguſtis limitibus definita par illorum virtuti non panderet amphitheatrum. Superbire in præſentia potes, hominum genus, cum ex mortalibus unus vices obeat Divinitatis temperantis fata Terrarum, adeoque ſurrexerit Principatus, cujus interminati fines arenam explicant parem Heroicæ virtuti, & ejuſdem Herculeis viribus blandiuntur oblata meſſe palmarum per laborem plurimum colligenda. (2) At grande Pontificis onus eſt magna fortuna; cum enim illius Provincia Terra ſit, & Cælum, nequit Princeps tot conſervandi ampliſſimi Imperii curis diſtractus, nova, & ſingularia moliri, quibus nomen ſuum immortalitati commendet, eximendus non ſolùm a vulgo mortalium, ſed & illuſtrium albo

(1) *Pontificatus Maximi amplitudo ſuperat immane Alexandri Votum.*
(2) *Deceſſorum gloriam vincere ſummopere arduum eſt.*

Pontificum, quod præſtaret, niſi Sacri Regni fines adeo protenderentur. Vix opis erit humanæ, ea, quæ a primis Conditoribus parta ſunt, inconcuſſa tueri, & Chriſti Sponſam non decolorem, nec in ſenium vergentem alteri tradere, implendo meritis Principatum, quem olim tenuit Deus humanitatem indutus. Quocirca laus Maximi ſumma Pontificis erit, quod illo regnante nihil detrimenti cæperit Chriſtiana Reſpublica. At Gregorius Tertius Decimus, qui Phœnix Heroum Sabæo in templis thure, & ſecularibus lachrymis Arabiæ opobalſamo pretioſioribus, a veſtræ Purpurę ſole ad immortalitatem famæ revocatur, ultima ſenectute Principatum ingreſſus, conſervandi Mundi curis, (1) quaſi per ludum perfunctus, & hoc labore leviſſimo recreatus, novas cæpit artes extundere, quibus Mundum inſtauraret, & refloreſcentem adderet Eccleſiæ Juventutis vigorem; ſicuti Principes fortunâ ſuâ majores brevibus Imperii finibus coarctari non poſſunt, ideoque recentia bella, novaſque moles erigendas animo complectuntur. (2) Agite, paulisper animo peregrinemur, Auditores, dum ego vix ullam ex aliis præſtantiſſimis Gregorii dotibus innuo, ſolùm illas producens, quibus pateat egregius ferme Inſtaurator rerum Univerſitatis.

(3) At in ipſo orationis veſtibulo ſeſe oculis ingerit funeſta rerum humanarum imago, quæ agitabantur ea tempeſtate, qua Gregorius ad inamabile Regnum fuit evocatus, ut illud diuturnâ ſeculorum injuriâ labefactatum repararet. Heu quæ diſertis coloribus minatur excidia facies iſta naturæ laborantis? Profectò, ſi Mundi ruentis funus compeſcat, præſtantiſſimi Pontificis partes implebit, & Gregorium dicam Vaticani trepidantis Atlantem; at non audeat maligno tempore impoſitus Regnis fata condere meliora. Intueri mihi videor Orbem terrarum exercitibus inundatum, Hæreſis Hydras latè bacchantes, minitantem funera Chriſtiano Soli, capta Cypro, Othomanni Lunam, orbe jam ferme coæquato ſuperbam: Polonos, cui parerent, incertos: Hollandos Philippo, Gallorum magnam partem Carolo rebellantes; ac brevi alia e bellis bella naſcentur: Luſitani Rege viduati turbas ciebunt: Poloniam Rodulphi terror invadet; Alenconius Hiſpano, Bellagarda cum Hæreticis, & Valeſius Frater Henrico, Henricus Batorio infenſi: Italiæ ipſi, cujus Bellicæ laurus aruerunt, deerunt etiam munera Pacis ignavæ: Mantuæ Sabaudus, Mantua Nivernenſibus, ſuo Principi Urbinates, ſibi ipſi Genua meditabitur cladem: Veneti Patres, ac Hieroſolymitani Equites, Chriſtianæ Reipublicæ oculi, malignis invicem obtutibus fulminabunt. Bajana nunc Hæreſis blanda religioſaque fronte vipereum virus inſtillans adoritur Belgium.

(1) Intueris, Gregori, Martem cum Hæreſi, Fortunam cum Tartareo Rege Orbem terrarum, ceu ludicram pilam, agitantes? En ut chorus Virtutum aſperat frontem, quò tibi ſuus horridus decor arrideat. Non aberraſtis, nobiles Divæ. Devorat ille votis pericula, blanditur inſurgentibus malis; triumphat enim in ardua incidens virtus Heroum. Quia monſtra gliſcebant in dies, præfervidum Senem Herculeis viribus armatum Vicarias agere ſui partes decrevit Deus. Irruant hoſtes direpturi vellus aureum Fidei: excubat vigil Draco, qui Cæleſtia dona robore tuetur ineluctabili.

(2) At enimverò ſi Gregorii Principatus in hæc incidit mala perniciem trahentia veniens in ævum, inſtauraſſe videtur Mundum, quando inſurgentia mala compreſſit, & impendentem Poſteris cladem avertit. Si bellorum omnium flammæ illo auctore conſederunt in cineres; ſi Bajanam Hydram Parentis gloriâ tumidam, ac ſui veneni ſpecie diſſimulata, Lutheri, atque Calvini peſtes vincere molientem, ipſius Baii manu confodit in cunis, adacto celeberrimo viro, ut prolem ingenii ſui, & hæredem ſui erroris famam eliderct, magis Gregorius veræ Fidei bono conſuluit, quàm qui capitum ſylvâ præferocem, noſtriſque damnis nimium adultam Lutheri Excetram jugularet. Quapropter oſtendere hic ego compendio poſſem, a Gregorio Mundum inſtauratum fuiſſe, ſi repræſentarem, quæ a ſparſis tunc ſeminibus erupiſſent mala, niſi, cum horrida hyems, & nigri fremitus maris Petri Navim obſidebat, ipſe Magiſter clavo fuiſſet admotus.

Sed fœcunda malis monſtra frænare, aliorum eſto decus eximium: tuus, eſt, Gregori, ludus. Virtutis tamen eſt quaſi divinæ, tunc in melius fata revocare, quando ruinam fulcire opus erat Herculeum, quam ut in Principe noſtro ſuſpiceretis, infauſta nar-

(1) *Non conſervare ſolùm, ſed & recreare Sacram Rempublicam Gregorius XIII. aggreſſus eſt.*

(2) *Ferme Inſtaurator Mundi dici poteſt.*

(3) *In quàm infauſta tempora incidit eximia illius Virtus.*

(1) *Congruens Heroicæ Strenuitati campus illi apertus eſt.*

(2) *Quia compreſſit impendentia mala, cenſeri poteſt conſervaſſe rerum Univerſitatem.*

Digitized by Google

narratione veſtros animos vulneravi, nobiliſſimi Auditores.

(1) Quid Pius optimus atque Sanctiſſimus ante illum Pontifex, qui comparatione pulcherrima famam ſecuturi Principis opprimebat? At divinum conſilium procul agenti, ut plurimorum opinio fuit, Gregorio deſtinatum tardavit Imperium, ut (2) Solem Sol anteiret, & pluris haberentur commoda, quæ Reipublicæ peperit, quando a Deceſſore parta tueri arduum videbatur. Quamvis pulcherrimus Lucifer, aut Gregoriani in Principatu Solis Aurora fuit Gregorius ipſe privatus. Mihi verò ad majora properanti non datur ab invidia temporis prætervolantis pauca quædam omina delibare, & quaſi rudimenta Orbem terrarum meliorem facere condiſcentis, quæ duci ab illius exortu cæpere; amplificari enim ſuas Ædes juſſit Chriſtoforus pater in gratiam Pueri, cui domus impar erit Orbis terrarum.

(3) Ut Romanæ rei fata confirmet, imponamus ſolio Boncompagnum. Imponamus, inquam, vix enim veſtri juris fuiſtis, Purpurati Patres, dum prima poſt ingreſſum in comitia die, conſpirantibus omnium ſuffragiis, Gregorium Pontificem adoraſtis. Populi, Principes, præſentia, futura ſecula illi detulerunt Imperium, a quo ſuam noverant naſcituram fœlicitatem. (4) Cum illius Principatu novus naſcitur ordo ſeculorum; aurea enim triginta quinque millium aureorum pluvia pauperes fortunavit, ut fabuloſè natâ Rhodi Minervâ, ſic veriſſimè Romæ Pontifice renuntiato Gregorio, quem Palladem dicere poſſunt innumeri Juvenes illius opibus eruditi. Aurum prodigendo ferream auro mutat ætatem, propoſita mortalibus arte, qua poſſint aureos mores revocare ſpernendo aurum, quod Ætas aurea non habebat in pretio.

(5) Qui primo Imperii die meliora condit fata pauperi ſuis opibus, omnibus documento, quid præſtabit in poſterum? At quo ego tramite ingrediar, cum undique nos Gregorius beneficiis obſederit? An varios terrarum tractus, an hominum genera recenſebo, quibus peperit fœlicitatem? At cur non Secula, quibus proſpexit, ſive quæ tunc agitabantur, ſive quæ ventura trahentur? An extimam rerum, & Urbium frontem, quam reparavit, hominumque animos, quos divini nectare vigoris implevit? At cur non potius meliorem, quam Terris fortunam donavit, Cæloque Civibus innumeris locupletato?

(1) Romam ne iterum condidit, an ſolùm Gregorius inſtauravit, qui pontes, vias, fontes, porticus Vaticanas, regales ædes in Quirinali, qui Horrea, Valetudinaria, Ephœbea, Collegia, Parthenones, Cœnobia, Templa, munificus excitavit? Qui graſſanti per Italiæ Urbes peſti aditum intercluſit, qui priſcam gloriam, & Capitolinos triumphos Romæ quotidie redonavit? Quoties prodibat in publicum beneficentiſſimus Princeps (prodibat autem ſæpe, non magis auri, quàm ſui, liberalis) convulſa e ſedibus ſuis Roma eò confluebat, quà Gregorius, inſtar Gangis, omnia beneficiis inundabat. Piaculari præſertim anno Sexaginta Principes advenæ Gregorium deducebant, quando novum facinus Romam ſtupore defixit. (2) Rapitur ab undabunda vi pauperum Mundi Pater, & luce palam nequeunt Equites Prætoriani, & Nobiles aſſeclæ rapinam cohibere. At intuemini Principem blando riſu provocantem latronum manus, ac triumphantem, dum raperetur. Intuemini miſeriarum Oceano innatantem fœlicitatem, quæ benignior Arethusâ ſuam aliis undis dulcedinem donat. Intuemini Fortunæ liberalis triumphum in Gregorio ſuam cuilibet ſyngrapham, auro, vel argento gravem cum fœlicis omine ſortis ingerente? En quos Gregorio triumphos adornat amor. Vos tunc ego Scipiones, Marios, Cæſares voluiſſem adeſſe. Ut e victrici fronte ſuperbæ lauri ſponte defluxiſſent, dum attonita lumina hebetaſſet inſultans Capitolio gloria Vaticani! Quid enim Urbem obambulans, pauperibus, ſuis deliciis, immiſtus, loquaces oculos in Catholicæ fidei rebelles defigit, qui blandienti fulmine tacti hæreſim execrantur? Tanta Divinitas in Gregorii vultu emicabat.

(3) Venturum autem Romæ bonum fatidicis curis amplexus Seminarium inſtituit Quatuor optimorum Pontificum in quatuor ſupra triginta Purpuratis Patribus, quos elegit; eximia virtute, vel doctrina, & omnes illuſtri genere nobiles; namque Regalem ipſe ducebat originem a Germaniæ Principibus ante Septem omnino ſecula in

(1) *Aucta difficultas ex gloria S. Pii V. ejus Prædeceſſoris.*
(2) *Solem Sol anteivit.*
(3) *Omnium Vota Gregorium elegerunt.*
(4) *Fauſtiſſima ex primo Imperii die Auguria.*
(5) *Ejus Acta partiri difficillimum eſt.*

(1) *Romam non inſtauraſſe ſolùm, ſed iterum condidiſſe videri poteſt.*
(2) *Triumphus Paternæ Gregorii Beneficentiæ.*
(3) *Conſuluit etiam in poſterum Urbis Fælicitati.*

Digitized by Google

Saxonia florentibus, ac deinde nobilium Urbium imperio decoratam.

(1) Hactenus inſtauraſſe Romam, ac Romæ avitum decus Gregorius videtur. At ſi tantùm, quas erexit, moles pulchriorem multò Romuleâ Urbem conflarent: ſi non aſylum latronibus aperuit in Palatio, at excitatis Nationum ferè omnium domiciliis florem virtutis evocavit ad Urbem, & Civitate donavit, quæ alibi nobiliores indoles adoleſcunt: ſi protendens cum Sole manus, & Indos ac Japones beneficiis amplexus, pro duobus Rheæ Sylviæ filiis geminum Orbem uberibus Romanæ Lupæ lactandum admovit: ſi, Sacræ Romæ Colonias innumeras, ſparſa per Orbem terrarum Collegia, erexit, & alium propemodum virtuti Mundum excitavit: ſi tot Advenas huc illius divina fama pellexit, ut aliquando Civium numerum ſuperarent; non ſolùm præſtat Reparatori cuilibet, ſed & inſultat Romulo Conditori.

(2) Dum tanto ſub Rege ſuperbi altius eniti videntur Romani colles, en ut ſeptem ſupra triginta Oppida, & Urbes in Pontificia jura tranſire prægeſtiunt: en ut Arces per littora diſpoſitæ piratarum furias ignea tempeſtate procul avertunt: en ut decies centena aureorum millia vallo, & propugnaculis armant Avenionem.

(3) Reliquit ergo Gregorius Pontificiam Ditionem auctam fœlicibus incrementis. Sed vivum Regnum, Populos, inquam, Imperii ſui ambitioſos, meliori num ſorte recreavit? Sublato ampliſſimo Vectigali, cujus caput tricies centenis aureorum millibus pendebatur, omnes Romæ mortales beneficiis amplexus eſt. Vivunt in Capitolio inciſa notis marmora publicis, per quæ ſpiritus, & vita redit altori Romæ Gregorio. Omnibus quoque divinas, humanaſque delicias elaborat amantiſſimus Pater, vel per depreſſos Montes inſternendo vias, Lauretum, ac Tuſculum, ad hæc nimirum Italiæ Tempe, ac illa Cœli Pomœria deducentes.

(4) Munifica verò pluribus Gregorii liberalitas quot labentes hominum ſortes erexit? Ut frementem Fortunam intueor, eò quòd, ſe fruſtra reluctante, Gregorius improſpera hominum fata diffingat! Quòd quæcumque demum illo regnante tela intorquebat in pauperes, ea retuſa frangeret Pontificis liberalitas! Unus tantummodo Princeps confici tunc poterat egeſtate; reliquis enim, qui tunc inopiâ tentabantur, ita in numerato erat pecunia Gregorii, ut ab illo non donum, fœnus exigere pauperes viderentur. Auditus ille eſt, cum exultans affirmaret, ne triobolum quidem ſibi relictum: & vix non fame interiit glorioſiſſimus pauper, enectus jejunio Quadraginta dierum, qui uno anno excepit convivio decies centena peregrinorum millia. Ita ne morſu catenas petis debellatæ a Gregorio malignæ Fortunæ livor?

(1) At munerum magnitudinem, at in quos illa collata ſunt, Principes, non ſatis a te lactatos, ac Gregorianæ beneficentiæ mancipatos intuere, ac liberalius paſcere cladibus tuis. Aureâ pluviâ duodecim aureorum millium juvans hominum pater nobili Puellæ Virginitatem aſſeruit: Non minora quotidie conferebat illuſtri Nobilium inopiæ, præcipuè verò Purpuratorum Patrum, & aureum vellus ab arbore avita deciduum cuſtos Draco reparabat. Quid Reges, quos argenteis haſtis armavit in hoſtes Religionis, (2) in Mauros infœlicem Sebaſtiani virtutem, Carolum, & Henricum in Ugonottos, Philippum in Hollandos Calvini de grege? Ac tibi quidem, Hiſpania, ditiores Peruviâ fuere Vaticani fodinæ, neque enim alia, quàm Petri Navis, vicies centenis aureorum millibus Catholicum Regem locupletavit. Ita ne verò magnas inter opes inopes verborum immania dona vix hiſtorica fide recenſemus? Deceret profectò beneficentiſſimo Principi perſolvi ſaltem laudes liberales; nos verò laudanda ſolùm innuimus, non in eorum commendationem effundimur. Sed numeroſæ gloriæ tuæ iraſcaris, o Gregori. Ex iis tantùm, quæ curſim adumbravimus, efficere licet, a Principe noſtro meliorem ſortem conditam fuiſſe Populorum, ac Regum.

(3) Hic verò non deerunt, qui politico ſupercilio geſtas a Principibus res ſuſpendunt: Si hæc inexhauſta, inquient, pecuniæ profuſio nunquam ærario pepercit, profectò Gregorius Pontificias opes exhauſit, & Reipublicæ nervum ſuccidit, ideoque fruſtra ſunt, quæ huc uſque numeravimus, emolumenta, & ſterilis fama liberalitatis Vaticano quæſita. (4) Si vicies centena millia in pauperes erogavit ſtipem emendicantes: ſi quadragies centenis millibus Principes armavit in Hæreſim: & his addita pecuniæ vis, quam in excitanda Collegia;

(1) *Inſultat ipſi Romulo Conditori.*
(2) *Defenſa, & aucta Pontificia Ditio.*
(3) *Recreati Populi.*
(4) *Mira ejus Liberalitas.*

(1) *Erga Pauperes.*
(2) *Erga ipſos Reges.*
(3) *Pontificium tamen auxit Ærarium.*
(4) *Prodigium hujuſce Augmenti.*

Digitized by Google

gia: parandas Naves in barbaros; alendos, queis Roma præbebat a Patriæ impietate perfugium; frangendas innumeras compedes captivorum: & alia ſexcenta pietatis commoda, ſexies conflat, & quadragies centena millia, hoc eſt ſexdecim, quos vulgò dicimus, Milliones; ſi ſua ipſe lucra formidat, & pro imperio frænat raptum ardore animi præferocis ad barbaras pugnas Urbini Ducem, cujus in obitu ad ſe pulcherrima ditio devolvebatur: ſi eamdem a rebellibus oblatam horreſcit; profectò non conſuluit Gregorius commodo Principatus, ſed maximo Reipublicæ diſpendio ſibi coemit gloriam præpoſteræ liberalitatis. Audite ventura ſecula, quæ præſeferat ſpeciem palmaris mendacii, prodigioſam veritatem. Annuo Centum millium aureorum cenſu Gregorius locupletavit ærarium; aureo octingentorum millium aureorum telo Adriani molem armavit.

(1) Tam grande ne eſt Populi vectigal Principis Parſimonia, uni ſibi avara, & ingeſta liberaliùs ſuo foco ligna ſubducens, dum omnia involvebat amoris incendio? An quæcumque intuebatur optimus Pater, aurum fieri prægeſtiebant adeo fœliciter erogandum? An Cælum theſauris pluvium illius in ſinum devolvebatur, qui traductam ab oſoribus Fidei, quaſi parentem ſuperbiæ, & æruginem Sanctitatis, Pontificiam gazam abſolveret, ex illa conflato Religionis telo in perduelles transfugas intorquendo? Nec ego ſanctè id aſſerens falſus fieri trepidarem; Fulminis enim inſtar pulcherrimi Juvenes viſi ſunt obambulare peregrinorum menſam, iiſdemque Cæleſti dape blandiri, quando Gregorius Anno piaculari Orbem Terrarum convivio excepit.

(2) Urbe, Regno, Theſauris, Populorum, ac Regum fato, meliorem in ſortem immutatis, unum ſolummodo inter ea, quæ oculis uſurpamus, ſupererat inſtaurandum Cælum. Hoc etiam ſapientiâ petiit, & ſyderum Reipublicæ modum ſtatuit, aggreſſus opus omnibus inauſum, ſperatum nulli. Morantis, ut ita dicam, iter Solis urgere decem ſubtractis ejus curſui diebus, uni Gregorio licet, qui Solis victor triumphalibus omnia veſtigiis metiebatur, & magis auro ſuo, quàm Sol aureis radiis homines fortunavit, plures beneficiis illuſtrans, quàm quos publicus ille Mundi oculus intuetur.

(1) *Summa ejus erga ſe Parſimonia.*

(2) *Præter Urbem, Regnum, Populos, ac Reges, ipſum quoque Cælum recreaſſe videri potuit emendata temporû ratione.*

(1) Qui unius iter egregiè menſus eſt, alteri lucem addidit Soli: hunc Romanis ſervire faſtis coegit, illi ſubdidit Orbem terrarum, Religioni ſcilicet, animorum Soli, quam ut Gregorius pulchriori luminis auro exhilaraverit, dicere aggredior, poſt habitum de noſtro Sole ſermonem, qui miſcet divina mortalibus. Quanquam de animorum vultu Principis noſtri laboribus refloreſcente, quod arduum maximè eſt victoriæ genus, dixiſſe videor irogando enim pro Religione theſauros, & aureis Principes nexibus excipiendo, populorum omnium innocentiam quæſivit; namque omnia Pontifici inſtaurare licet ad reparandam Pietatem alienis in Regnis, quando eſt ille Principibus maximè gratioſus. Quocirca veteri conſuetudine Romanæ Reipublicæ habuit Reges inſtrumenta ſervitutis. Quid hìc ego reliquas artes enumerem, quibus exulem Virtutem ad hominum conſortia revocavit? Quà Templa, Cæli Colonias, exornando: quà moribus hominum admovendo medicam manum, præcipuè verò Aulicorum ſuorum, a quibus prægustata pharmaca reliquis ambroſia videbantur; quà ſolum vertere juſſis, aut in Tartara præcipitatis ſcelerum Architectis; quà Religioſorum hominum Cœtibus ad primum Juventutis ver ſuaviſſimè invitatis.

(2) Ciſtercienſes profectò, Baſiliani, Præmonſtratenſes Gregorio debent, quod pulchriores nunc ſuis in areolis virtutum flores adoleſcant. At noſtram infantiam ut amantiſſimus Pater aluerit, ut illico divino quodam ſui amoris prodigio ad juventutis vigorem extulerit, donis innumeris, & amore ſuo innutritam, dicere ſuperſedeo, ne immenſa munera videar atterere inopi facultate dicendi. Statuimus tamen, quod inter cætera a Gregorio, veluti Mundi Reparatore, (3) inſtaurata nos præcipuè cenſemur, ab illo domibus aucti, curiſque nobilibus deſtinati, eumdemque Patrem noſtræ fœlicitatis amamus. Quocirca ſi alicui ſumus bono Reipublicæ, Gregorii munera in homines corrivamus. Ille poſthumam fœlicitatem mente complexus, tui ſpem Generis Adoleſcentes educat, Roma: Ille Pietate, bonis ille Artibus poſteros ferè omnes informat. Plerique affirmant, vinci ab iis, qui nunc agitant ævum, doctrinam evolutorum plurium ſeculorum: Gregorius nobiles Diſciplinas labentes erexit;

Sa-

(1) *Expenduntur ab illo parta Fidei, ac Religionis incrementa.*

(2) *Plurimùm illi debent Religioſæ Familiæ.*

(3) *Præſertim noſtra.*

Digitized by Google

Sapientiam enim, ſui animi decus, in aliis amabat.

(1) Refloruit cultus Sacrorum, & a Tridentino Concilio magna in Chriſtianam Rempublicam commoda permanarunt? Pace dixerim veſtra, Sapientiſſimi Patres Conſules Humanæ fœlicitatis; Omnium maximè Gregorio referri debet acceptum. Arbiter ille fuit cum Lotharingiæ Cardinali diu agitatæ controverſiæ de jure, quo ſuis ovibus tenentur adeſſe Populorum Paſtores, adeoque illius præcipuè ſunt munera, quæ a compreſſa illorum licentia nimium evagante commoda proficiſcuntur. Ille Carolo Borromæo Sanctiſſimo Cardinali aderat auctor conſiliorum in Purpuræ Tyrocinio, quando juſſu Pii Quarti Avunculi ſui egregius Juvenis Concilii decreta omnibus indixit, adeoque Boncompagno Caroli Moderatori profecta a Concilio emolumenta, & vix non Caroli ipſius Sanctitatem, debemus. Ille ex Conſilio Tridentinorum Patrum ſuam Aulam compoſuit, quo veluti compendio reliqui inſtaurantur.

(2) Ille inauditum ab ipſo Mundi naſcentis exordio aggreſſus eſt opus, diſſeminatis per univerſum terrarum Orbem Inſpectoribus Fidei, qui ubique gentium Concilii decreta vulgarent, & Religionis ſtatum intuiti, ſuis deinde auribus cuncta deponerent. Quis unquam ex Romanis Cæſaribus adeo procul collimare potuiſſet audacibus votis, & ſuas Leges hominibus præſcribere, quoſcumque Sol intuetur? Perfecit Gregorius, quod ante illum ex Romanis Pontificibus vix quiſquam eſt auſus optare. Si ergo illius præcipuè ſunt bona a Concilio prognata, audiat Gregorius Inſtaurator Mundi perituri.

(3) Sed nec Heroum Senatus ille Divinus, nec multorum Principum, ac ſeculorum curæ, ut alia Principis noſtri conſilia, fregere Perfidiam. In hanc arma, in hanc aurum, Librorum, ac Linguarum omnium typos, Vitamque ſuam armavit. Quam præcipuè Achillæam Religionis haſtam, Romani ſcilicet Principis Innocentiam, (4) ac Virtutem prope divinam, trepidabas, Auguſte Saxoniæ Septemvir, qui Gregorii fidem oderas, admirabare virtutem, auditus dicere: ſtatutam ab illo Pontificum Romanorum Ideam, ad quam ſi mores componant ſuos, brevi erunt Arbitri totius Orbis Terrarum, & Principum Ethnicorum. (1) Si quando conſilium agitabitur de Sacris honoribus Gregorio decernendis, (quod exigi ab illius Virtute facilè oſtenderem oratione diuturna, quando vel ipſas humanas dotes animo Divinitatem ſpirante conſecravit, præbuitque Exemplar Sanctæ Politices abſolutiſſimum: & unius Virtutis avarus vel ſuę Famam Liberalitatis obruere tentavit, Viginti aureorum millibus ſilentium emens a Rectore Collegii Germanici, qui minabatur indicare Quadraginta millia, quæ jam acceperat:) Si quando, inquam, decora lis inſurget, parcite, Sacri Morum Quæſitores, illius vitam dubia lance ſuſpendere. Immania Oſorum Fidei vota ſuperavit, & Moribus patuit dignus Vicarius Divinitatis. Auſim ergo affirmare, quod vix præſtantius illo reduces e Cælo Divi Chriſtianam Rempublicam temperarent.

(2) Prodigioſam fuiſſe Gregorii Virtutem Hæretici faſſi ſunt? Quid, quos avulſit a Romano Capite improba Sciſſio? Horum Legatus ad ſuos regreſſus in illorum concilio ita Gregorium, velut e Cælo delapſum ad hominum fœlicitatem reparandam, barbarâ eloquentiâ coloravit, ut attonita concio procubuerit humi, non Pontificis tantùm, ſed & Gregorii Divinitatem adorans. Poſt inimicorum præconia, quid hìc ego afferam, quod tanto nunquam Chriſtiani Principes amore, cultuque Proregem Divinitatis ſunt proſequuti? Quod non Legatos Romam deſtinaverunt, ſed ipſimet ferè omnes Italiæ Principes ad Gregorium adorandum advolarunt? Quid, illum Arbitrum fuiſſe dicam Pacis, ac Belli, & compreſſiſſe flammas irarum, quaſcumque illo regnante Tartareus ignis accendit? Nutu Europam, terraſque omnes circumegiſſe, Victorem Archimedis, eò quòd animo ſuper Orbem terrarum aſſurgeret? Principes in quamcumque collibitum fuit, impuliſſe partem æmulum Beatæ Mentis rotantis Cęlum: amorem auri, Sponſæ, Regnorum necaſſe in Regibus, quos inter Polonus Moſchorum Duci redonavit Provincias: Sabaudus hæreticam Reginam, quam Sponſam deperibat: Cæſar oblatum filio ſuo Bohemiæ Regnum in gratiam Pontificis recuſavit: & Battorius Poloniæ Sceptrum admittere, antequam Gregorius annueret, trepidavit. Ex quibus efficitur Principum omnium cor fuiſſe Gregorium, illis prælatum rebus, quæ inſtar cordis amantur. Quocirca Romani Patris Auctoritas non ultimum

(1) *Illi præcipuè referri debent accepta commoda orta ex Concilio Tridentino.*

(2) *Inſpectores Fidei ſparſit per totum Terrarum Orbem.*

(3) *Quot in Hæreſim armis pugnavit.*

(4) *Suæ præſertim Exemplo Vitæ.*

(1) *Ejus eximia Sanctimonia.*

(2) *Quam, præter Hæreticos, ipſi quoque Schiſmatici admirati ſunt.*

Digitized by Google

mum ſibi vindicat locum inter ea, quę Principis Noſtri Virtus redintegravit.

(1) Quid ipſi Turcæ? An non in illos ſceptrum protendit ſuaviſſimus cordium Imperator, & ejus Imaginem, veluti Mortalis Numinis, captivi Thraces in Patriam retulerunt? An non Turcarum Tyrannus, cum prodigia Gregorianæ Virtutis audiret, ſolvi juſſit omnes e Romana ditione captivos, veritus iram terreni Jovis Quirinali e colle fulminantis! Et quis unquam ſpecioſiùs te, Gregori, triumphavit, cujus gloriæ currum non Leones ducunt, non Elephanti, ſed catenata Perfidia, quam tui Mores debellarunt? Profectò ſi te Priſca tuliſſet Ætas, non te Romani Semideum Cælo addidiſſent, ut Cæſares omnium raptores, ſed beneficentiſſimum Mundi Patrem omnium largitorem, ſpreto Jove, omnibus Numinibus impoſuiſſent.

(2) At Ultorem te Jovem exhorruere centimani Briarei, ac Tartarei, non terrigenæ, fratres, Lutherus ab Arce Vittembergæ, ex alpibus Calvinus, ex Abaſſia Neſtorius, ex Aſia Mehemetes, ex America lapidea Numina in Cælum pugnantia. Gigantes hi Palladio Sapientiæ Clypeo in Collegiis tuis educto, ex quibus omnis Armatura fortium, & mille clypei pendent, ceu marmora obriguerunt. In hos fulmina, milite campis, conſtratoque claſſibus æquore, ſæpe torſiſti. Horum Hecatombe Romanum forum illuſtravit; licet enim artes amoris temperaverint Gregorii Principatum, nullus inarſit efficaciùs illo. Horum veſana conſilia in Auguſtano Conventu, Ratisbonæ, in Bohemia, in Polonia, Gallia, ubique terrarum disjecit. Nec illis oblata Principibus Regna profuerunt, ut ſibi liceret impunè bacchari; pluris enim apud Reges fuit gratia Gregorii, quàm Regna. Fruſtra Maximiliani Cæſaris filium Bohemiæ Diadema ſuſpirat. Profuturam Hæreticis laurum a Filii fronte, in quam ſponte involabat, ut Gregorio placeat, generoſus Pater avellit.

(3) Omnes terrarum tractus Sol ille divina luce decoravit, omnibus infuſus Mundi artubus egregius ille Spiritus vel renuentes Univerſitatis partes agitavit. Video ſolventem Solis tenebras Orientis in Aſia, afferentem Occidenti diem in Orbe nuper invento, in gelidi Septentrionis nivibus divino igne ſolvendis, torridoque Meridie Divini flamine Spiritus recreando, ſedulò laborantem, per maria omnia, tractuſque terrarum volitantem. Eſto: non omnia fauſto ſunt curſu progreſſa; at ſi Principi terras omnes refingere molienti proſperè omnia ceſſiſſent, barbari populi quandam in Gregorio Divinitatem latere ſuſpicati fuiſſent.

Quæ tamen illi evenere, ut Gregorium Mundi propemodum Inſtauratorem inclamant! Quis plures addidit Fidei, Cæloque Provincias? Quis majores hoſtibus intulit clades? Vos certè, Superi, eadem bellica lauro, qua Sanctiſſimum Pium coronaſtis, innectitis diadema Gregorii. Quandoquidem fatalis neceſſitas pugnantium naturâ membrorum immani corpori Chriſtiani Fœderis vitam ademerat, quam fermè rapuerant cauſæ ante Gregorii Regnum prognatę, & ea tempeſtate noſtri Principes domi naſcentia monſtra tollere de medio cogebantur, prodigioſum cum Perſa, & Abyſſino Rege fœdus conflavit. (1) Advolant in Perſiam, ac Æthiopiam Nuntii: urgentur in Turcas potentiſſimi Reges, impulſi nutu Gregorii, quem Perſæ audiverant beneficentiâ cum Sole, ſuo quondam Numine, decertare, adeoque ut mortalem Deum venerabantur; diſtrahuntur Othomanni vires: non erogantur theſauri: parcitur ævo militum: Barbarorum diſcrimine, & Gregorii conſilio triumphamus. Magnus olim eſt habitus Princeps, cui conjurati venere ad claſſica venti: Gregorio militant hoſtes, & Cælum Tartarus armis tuetur. Hac arte poſt fata pugnavit, quaſque retulimus, palmas adornavit: quæ impendebant non Cretæ ſolùm, ſed Italiæ forſitan, & Romæ clades avertit. Viciſtis Veneti ſæpe: vobiſcum vicit Gregorius, qui dum vos conſerebatis manus cum parte Turcarum, alterius impetum cum Perſis ſuis excepit. Tua virtute ſumus incolumes, æterne Princeps. A te initum Fœdus multò fœlicius illo eſt, quo noſtri Martes unam cladem intulerunt genti numeroſiùs e vulnere pullulanti. De te maximum robur bellica fortuna Chriſtianorum accepit.

(2) Sic armis vincis. Ut pugnas Ingenio, ac Virtute? Hiſce cladibus hoſtem frangis, quas addis Cælo Provincias? Gallia mihi agmen ducat, cujus Lilia omnium benigniſſimè coluit, cujus Regem Carolum Nonum obſeſſum reperit Colinæi fraudibus, quem tamen aulicis artibus Patrem dicere cogebatur, & Hæreticorum ſuperbo famulatu irretitum. Reliquit verò Tertium Henricum eos debellantem Pontificiis opibus

(1) *Imò & Turcæ.*
(2) *Victoriæ de Perduellibus relatæ.*
(3) *Regiones, quibus profuit.*

(1) *Fœdus conflatum cum Perſa, & Abyſſino contra Turcas.*
(2) *Dona collata Galliæ.*

bus, & milite roboratum. Ut illo regnante cladem multò maximam in Gallia Calvini peſtis accepit! Nobiliſſimi Principes Romanas in partes acceſſere, & Septuaginta Hæreticorum millia una cæde mactata ſunt victimæ ultori Deo, quo funere conſternata non ſuperbam, ut ante, frontem erexit, at ſaucio corpore ingloria Hæreſis Hydra reptavit, quam victoriam quadringentis aureorum millibus Gallico Regi eſt Pontifex gratulatus.

(1) Tuam, Hiſpania, Fidem augere non potuit; reliquis attulit incrementa Virtutibus, & deſcripta ſibi jubens afferri præſtantium nomina Juvenum, non illos, qui gratiâ, opibuſque florerent, non qui Romæ frequentes adeſſent, ſed qui virtute propius accederent Cælo, ſacris honoribus decoravit, & hac arte Deo dicatis hominibus ſuum decus redonando, mirum quantum reliquos mortales inſtauravit. Ac dum immanem auri vim donat Philippo Gregoruis, ex quo validius conflctur Belgici Leonis frænum, profuit Religioni Belgarum.

(2) In Germania verò triumphat beneficentia Gregoriana. Quid Germanici Collegii Alumni, Principis noſtri decus, ac deliciæ, Patriæ contuliſtis? Quid reliqua in Stiria, Auſtria, Bohemia, ſtatuta ab illo ſex fidei propugnacula? Numero palmarum obruimur, & vereor, ne dedecus inuram veſtræ virtuti, pauca ſolùm ex innumeris delibando. (3) Sed profectò veſter in Gregorium amor, cujus immenſa decora, quæ ſuperſunt, hiſtorica ſaltem fide cogor innuere, parcit avaritiæ laudum, quas veſtra virtus exigeret. Si vos Perfidia oppugnatores exhorruit, ſi veſtræ Infulæ centum, ſi Electorum, ſi Martyrum Purpuræ, ſi excitatæ a vobis Academiæ, ſi exarata volumina, ſi militum acies inſtructæ, ingentia Fidei commoda pepererunt; ſi unus Moguntinus Elector tres integras rebelles Provincias Romæ, Cæloque redonavit, hæc peperit decora, has Provincias addidit Cælo Gregorius, cujus lacte crevit indoles generoſa Germaniæ.

(4) Quid Ruſſia nobile membrum a Romano Capite olim ſejunctum? An non ad illius cultum a Græcis fuit traducta, quos aluit Romæ Gregorius? Ea ſolùm attingo, quæ regnante illo evenerunt, nam deinde, præter alios plurimos, Velaminus unus ferè tricies centena animorum millia revocavit ad Ovile Romani Paſtoris, dictus proinde ab Urbano Octavo Columna Fidei, & Athanaſius alter. Licet execrati vulneris obſtinata Sciſſio coaleſcere penitus recuſaverit, en ut regnans Romanis in collibus Draco ferè toti peperit Orientis Eccleſiæ ſalutem? En ut Conſtantinopolitanus Antiſtes excepto Gregorii nuntio hæreditarium faſtum illachrymat, & ſuperbam captivitatem? En, ut illi obſequatur, (1) non Lutherianos tantummodo præcones a ſuis finibus procul amandat, ſed in illos calamum diſtringit acerrimè; qua in Urbe Regia Orientis nobile Templum attolli Catholicis Sacris in gratiam Gregorii ultro concedit Turcarum Tyrannus. En ut reliqui ferè omnes Romanæ Fidei diem quærunt Orienti ſuo tenebris inſepulto. Video Antiochenum Patriarcham ætate confectum, Meſopotamiæ Antiſtitem Neemetem, qui olim apud Turcas Chriſtianam Religionem ejuraverat, Syriæ Præſulem video, & Armeniæ, ſuum, & populorum ſuorum obſequium deferre Gregorio. Alii verò ad Orientem ſiti, ſi non per Paſtores ſuos, honeſtiſſima tamen Legatione Dei poteſtatem in Gregorio adorarunt. Venere odorati Sabæi, Arabes vagi, aſtrorum periti Chaldæi, Ægyptii divites, qui Nili beneficio ne Cælo quidem ſupplicant, Sinæ montis Incolæ, (2) queis Divino diu conſortio viduatis fœliciores e Vaticano leges attulere Chriſti vernaculi Maronitæ, ex quibus unus anno, qui proximè eſt evolutus, nobilem Jacobiticæ gentis Provinciam, poſthumum altoris ſui Gregorii triumphum, attulit Vaticano.

(3) Vos etiam in meridie caligantes Ætiopes animi nocte vultui concolores per Abyſſinorum Patriarcham oracula Romæ conſulitis. E Vaticano, non ex Atlante, aditum in Cælum quæritis Mauritani. Ita ne verò Moſchi reſponſa petunt ſuperbi, Tartari, & Indi? Vel ad illum ut veræ fidei Patrem cum Antiſtite Malabariæ properantes: vel propriam, non Vicariam Dei in Gregorio Divinitatem colentes cum Legatis Regum Cocini, & Ceilani, quos a Chriſti Sacris abhorrentes, compulit in obſequium Romæ, quæ mira Principis noſtri Fama per omnium ora volitabat. Ex Occidentis porrò Solis India ut pretioſiores auro Peruviæ theſauros rapit, innumeros animos barbarorum! Ut Cæli fodinas ibidem aperit in Ephebæis erectis, in ſparſis per immanes illos terrarum tractus Præconibus Fi-

(1) *Hiſpaniæ.*
(2) *Germaniæ.*
(3) *Laus Collegii Germanici, & Hungarici.*
(4) *Collegii Græcorum.*

(1) *Orientales Præſules reſipiſcentes.*
(2) *Laus Maronitarum Collegii.*
(3) *Abyſſini, Moſchi, & Indi, Romam confugiunt.*

Digitized by Google

Fidei! Quem idcirco Novum Orbem paulo ante Gregorii Principatum inventum eſſe crediderim, quia Pontifex inſtabat, cujus amori Mundus unus erat anguſtus beneficentiæ campus.

(1) Superes tantùm ab orbe toto diviſe Japon, & a Cælo nuper diviſe Britanne. Ut noſter cum Magno Gregorius ingemiſcit, quòd Anglorum plerique ſuos amplexus oderint, ſua beneficia! Dum tamen per illos, quos Romæ erudiit ad triumphos, innumeros Angelos ab ungue Tartarei prædonis abſtraxit: dum ex illis Quadraginta Purpuratos intulit Cælo, & hoc ſanguine Martyrum daturam brevi Gargaricas Fidei meſſes Britanniam fœcundavit, ut in melius nobiliſſimæ Inſulæ fata revocavit! Quid Scotiæ, quam noſtrorum hominum in Belgio Collegiis, hoc eſt, ut Alexander Farneſius dicere conſuevit, bellicis Fidei Munimentis armavit? Quid Hiberniæ, ad quam rediture fidei aureum pontem erexit?

(2) Te verò, Japon, ultima appendix fugientis Naturæ, paternis ambit amplexibus Gregorius, tribuſque erectis Martyrum Seminariis rem Chriſtianam in illis terrarum finibus magnopere locupletat. Trium annorum iter devorate, Regales Juvenes, ac trium Japoniæ Regum nobiliſſimi Oratores. Par vobis erit præmium immenſi laboris, quod maximum Divinitatis inſtar in Gregorio poteritis intueri, & cum Sole naſcente veſtris e Regnis provolvi Principis illius ad pedes, quem quotidie, dum occidit, ſyderum Princeps adorat.

(3) Et quando, Deus immortalis! hac amoris concertatione Mundus adoravit Protegem tuum? An non Gregorius veræ cultui Religionis, ac Romani Pontificis Auctoritati, grande peperit incrementum, & Imperium Amoris in Animos, qui cogi non poſſunt, æquavit Sacris viribus, quas habet in homines vel reluctantes? Enimverò dum Sacra ipſe Fidei monumenta percurrerem, Viroſque conſulerem Sacris in Hiſtoriis verſatiſſimos, vix ullus omnino Romanorum Pontificum occurrit, qui tot addiderit Vaticano Cultores, ac tot Syderibus exornaverit Cælum: quique Perituram, Æternamque hominum Fortunam fœlicius recreaverit. Uni decus Urbis ornatæ, alteri locupletatum Ærarium, illi Pontificiæ Ditionis incrementa, nominis vitam producunt: hunc ad unam, alteramve Provinciam deſtinati Fidei Præcones illuſtrant: alterum fœlicia Secula, quibus regnavit, quæque, illo vix conſcio, ab aliis allata ſunt commoda Reipublicæ. Poſtremò e ducentis ſupra triginta, qui ante Gregorium imperavere, Principibus extiterat nemo, qui Urbe Roma inſtaurata, & vix non iterum condita: amplificato Regno, Ærarioque Pontificis: immutatâ Pauperum, ornatâ Regum fortunâ: ſublatis e medio bellis innumeris: Seculis ordinatis: armatis Hoſtibus Fidei in barbaros Thraces, & diſtractis viribus Turcæ, omnibus, quas deinde retulimus, victoriis adornatis: ſucciſis innumeris hæreticæ Hydræ Capitibus: Tribus erectis ſupra viginti Fidei Propugnaculis, quorum imagines noſtris hìc oculis blandiuntur: tribus Germaniæ Provinciis, Ruſſia, totoque ferme, olim divulſo, Oriente, ac Novo Orbe, receptis: adoptata egregia ſobole, quæ alias palmas meteret a ſe jam conſitas: relatis a quacumque parte terrarum triumphis ſuis: laureis mille additis Cælo: jactiſque innumeris poſthumæ ſeminibus fœlicitatis, Centum Pater artium, ſuis & volvendis Seculis, Terræ, Cæloque conſulendo, vel profuſo ſpiritu terrarum Orbem animaturus uſque ad ſenium Naturæ, ſeneſcentem Mundi vultum alacriori flore juventutis induerit.

(1) Sed Mundi beneficentiſſimus Pater aliquando peccavit in publica commoda, & vix non omnia ſua dona corrupit, quando Mortem ad ſe accedere trepidantem, & imparem ferendis mortalium omnium in ſeſe odiis a Gregorii funere naſcituris, inopi nimium dape invitavit, religioſus cuſtos Quadraginta dierum Jejunii poſt annos quatuor ſupra octoginta: & magnanimis votis, quibus egregius ille ſpiritus, aſſuetus Orbem terrarum beneficiis percurrere, nobiliores ad Cælum uſque volatus moliri prægeſtiebat. En ut a carcere diſſolvi cupit, qui aureis vinculis mortales omnes innexuit, ſeque Principem fortunâ ſuâ, (2) Imperioque Mundi majorem oſtendit; carcer enim illi videbatur hæc Univerſitas rerum humanarum, quam animabat, cum Spiritus ille eſſet, & omnium Vita Regnorum. Tanto Rege ſuperba tellus invidiam Cælitum laceſſivit. Quocirca feriis Divino funeri ſacris, inter gemitus Naturæ Deo commorientis diurnis in tenebris audacem ictum cælari poſſe Mors credidit. Si Scytharum in

(1) *Gregorii Amor erga Anglos, quibus erectum ab illo Collegium celebratur.*

(2) *Ipſos Japones amplectitur.*

(3) *Colliguntur in unum modi, quibus Sacram Rempublicam inſtauravit.*

(1) *Plurimùm eidem nocuit non conſulens Valetudini ſuæ.*

(2) *Expenduntur Circumſtantiæ Mortis ab illo obitæ.*

in morem ſupra benefici Principis feretrum confodere ſe ferro debuiſſent, quos ille beneficiis affecerat, totum propemodum cum Gregorio periiſſet Genus mortalium. Lugubrius extincto Deo parentatur, hoc adempto terris, additoque Syderibus Sole, quàm cum latuit Sol hic brevi rediturus.

Et Solis quidem curru, per auream amoris ſemitam Chriſtianis Heroibus deſtinatam, fertur ad ſydera, qui Solis beneficentiam ſuperavit, & diei ferè natalia in Japonia, quam donis illuſtraverat, aſſequutus, in currum inſilit Solis, illoque fertur ad immortales triumphos. En ut e Romano Capitolio Sanctus illum e Sanctiſſimi Franciſci familia Vir ad fœliciorem triumphi regiam delatum intuetur, antequam nuntius de Pontificia ægrotatione Romam funeſtaſſet, auditus affirmare: (1) En ut Anima Pontificis Gregorii ab Angelis in Cælum defertur! Gratulor ſorti tuæ, Beatiſſime Princeps. Intueri mihi videor tuum in occurſum properantes acies Divorum innumeras, quibus immortalem fœlicitatem tua divina ſtudia pepererunt. En ut Lilia, quæ ſuo Gregorius auro rigavit, illius in ſinum ingerunt Virgines, ſuas palmas Martyres, ſuam lauream Sapientes. Quod triumphi genus quotidie celebrabitur, quò uſque Cælum Gregoriani Alumni frequentabunt. Auditis, ut illum humani generis Patrem, ut ab illo magis, quàm ab ullo mortalium, ſeſe dicant beatis Civibus locupletatos. Hi plauſus Principis noſtri enecant lachrymas ambitioſas augendi octogenarium fletum, quo Gregorio parentavimus, & prodigioſas querelas, quibus non omnes ſolummodo Reges, & reliquus populus, ſed & ſoluti a vinculis flevere noxii partam ab illius funere libertatem ſuam. Non ſuperbus luctus, at vota claudant commendationem Principis, quem ſua dona, & noſter amor vetant mori. Vincat famâ Gregorius reliquos Principes, quos collatis Mundo beneficiis ſuperavit.

(1) *Et plauſus, quibus exceptum illum in Cælo fuiſſe piè credi poteſt.*

Heroicam Magnanimitatem humillima Objurgatione dignam

IN

CLEMENTE X.

Pontifice Maximo

Sacrum Imperium recuſante.

ORATIO XX.

Dicta in Aula Maxima Collegii Romani.

AD PALUTIUM CARDINALEM DE ALTERIIS

In Corona ferè omnium, quotquot Romæ aderant, Præſulum Illuſtriſſimorum.

AD faſtigium dignitatis elata eſt Chriſtiana Religio, Emin. Princeps: Salus publica triumphavit. Pontificem illum ab ulnis Cæli cunctantis extorſimus, quem nondum Sacro Purpuratorum Patrum Senatui aſcriptum communia omnium præſagia, privata ſingulorum ſtudia, & Regnatricis præſertim Urbis vota Divinitatis Vicarium deſignabant. Poſt diuturna Comitia, in quibus mora pretium addidit Electioni pulcherrimæ, Æmylium Cardinalem de Alteriis Divini Proregem Numinis adoramus. (1) Si quis ex illa ſuperbiſſimorum hominum turba, quos naſci Reges oportuit, ea illos exagitat libido librandi fata Regnorum, incertus animi fluctuavit, an, ſingulari ſuffragatione præſentiſſimi Dei, Romani Pontifices renuntientur, illud in præſentia inficietur, ſi omnino e mentis ſtatu dejectus haberi velit. Cæleſtis Triumphum Providentiæ fuiſſe de Clemente eligendo conſenſionem animorum, ambigit nemo. Diutius pugnandum cum Modeſtia Principis fuit, quàm laborandum, ut in illum omnium ſuffragia conſpirarent. Intra breviſſimi temporis anguſtias initum eſt

(1) *Clementis Electio fuit manifeſtus Providentiæ Divinæ Triumphus.*

Digitized by Google

eſt conſilium erigendi Chriſtianam Rempublicam hunc illi Sacrorum Præſidem ſtatuendo; ſed plures horæ fluxerunt, dum precibus, querelis, lachrymis, injecto religionis metu, avertere a ſe ſummam fortunam contendit. Vicit publica Fauſtitas: & quandoquidem crimen eſſe dicebat, ſi cæteris ipſe præficeretur, Sanctiſſimo conſecrari crimine voluit Purpuratorum Senatus. (1) Tuis Te armis aggredior, Sanctiſſime Princeps, & quoniam, ſuſcitato criminis metu, alios deterres, ne Tibi tradant Imperium, in medium affero præcipua nomina, quibus culpæ Tibi vertere debes hanc ipſam Imperii fugam. Quàm ineptus Orator videri poſſum, cui cùm exultandum eſſet in ampliſſimo Egregii Principis laudum campo, eumdem magni facinoris arguo? Sed enim cum illo humani generis nomine expoſtulandum eſt, quod, cum ſe ad Rempublicam acceſſurum negaret, propemodum funeſtavit. Neque temporis, & ingenii vitio deterendæ ſunt laudes, quas Clemens Optimus averſatur, quæque infinitæ cum ſint, nequeunt omnino breviſſimæ finibus orationis includi.

(2) Ac primò quidem tam ſplendidè abutor Clementiâ Tuâ, Pontifex Optime, ut cum de ſeveriſſimo illo Tuo Sacri Regni contemptu dicturus unicè accedam, quemque multiplici de cauſa Tibi piaculo vertam, illum ſaltem admirari nolim, veluti fortis, magnique animi inſolitum documentum. Cum enim ab ineunte ætate horas quotidie plurimas Divinis Colloquiis conſecraveris, cui prodigioſa videri poſſit deſpicientia, quam exhibes, rerum humanarum? (3) Illis, quibus intimæ cum Deo neceſſitudinis uſus interceſſit, quique contentione mentis aſſidua Seculis, & Imperiis immortalibus interſunt, parum pellacem ſui ſpeciem ingerunt ea, quæ cæteris hominibus eximia, & præclara videntur. Idcirco cum Divini jucunditate congreſſus in quàm longiſſimnm tempus quotidie frui conſueveris, prodigii loco ducerem, niſi deſpicatui haberes ſuavem ſenſum, quo in animum illabi ſolet humani nectar Imperii. (4) Verùm hoc ipſo nomine, plerique reponent, admirationem Clemens laceſsit, quia uſque adeo Cæleſtem indolem hauſit, ut vulgaria penè in illo videri debeant, quæ in cæteris ſunt prodigioſa mortalibus. Utcumque iſta ſe habeant; ſtupore certè defigere nullum debet Supremi honoris contemptus, quem in Te plerique ſuſpiciunt. Atque ut ſeriò cauſam ingrediar, admiratione potius unumquemque defigat multiplex criminis ſimilitudo, qua ſe Princeps Innocentiſſimus Sacrum Principatum ſubterfugiens obſtringere meditatur.

(1) Culpæ Tibi non darem injuriam, qua violare videris præclariſſimam Patriam, in Te, ſi annuas, regnaturam; niſi ejus damna eſſent pariter vulnera Reipublicæ, quæ ſolet egregiè temperari ab illis, qui primo Romani Solis intuitu, primoque hauſtu ſpiritus de hoc Cælo, humanis omnibus, & Divinis laudibus ornatiſſimo, virtutum illuſtria ſemina contrahunt, & ad Romanæ laudis, & veræ gloriæ ſtudium celebritate Majorum, & fama excitantur. (2) Non arguerem conſilium fraudandi Nobiliſſimos Proavos Tuos honore illis in Te delato, niſi pietas in Parentes commendata nobis divinitus eſſet, & inſita penitus a natura: niſi ab iiſdem bellicoſiſſimis Viris, & Exercituum Imperatoribus aſſuetis mercari glorìam profuſione magnanimi ſanguinis edoctus fuiſſes non reſpuere decus ultro Tibi collatum; ſiquidem per urbanas artes ſtudia pacis agitare voluiſti: & niſi debuiſſes iiſdem ſolatium extinguendi in Te virilis præclariſſimi germinis. (3) Quod quidem non abs re contigiſſe crediderim, ſed quia Maximis Heroibus fœcunda majorem gignere ſtirps inclyta ultra non poterat. Sed hoc facilè dilues crimen, neque enim effœta dicenda eſt Arbor Regalis, in qua egregium alius lectiſſimæ Stirpis germen inſeritur. Nullus tamen non admiretur, quod, cum Duos Germanos Fratres ad Supremum Apoſtolici Principatus Apicem eximia Virtus, & publica deſtinatio invitaſſet, parum tamen abfuerit, quin præclara Domus hac laude deſtitueretur, cum alteri immaturæ Mortis invidia, ſuus alteri Pudor, & incredibilis Demiſſio animi Supremum ſacri honoris culmen ademiſſet.

(4) Ut ex hoc tamen fonte in Te non derivaveris noxam, aliunde magni criminis invidiâ flagrabis, eluſæ videlicet publicæ omnium hominum vocis, quæ haberi ſolet Divinum Oraculum. Sacram humani generis procurationem Tibi plurimorum Augu-

(1) *Afferentur Cauſæ, propter quas culpari poteſt diutiſſimè recuſatum ab illo Imperium.*

(2) *Fugam hanc admirari nolumus.*

(3) *Cur?*

(4) *Cæleſtis Indoles SS. Patris.*

(1) *Non ſine piaculo Romam hoc honore fraudabat.*

(2) *Et nobiliſſimos Proavos ſuos.*

(3) *Et extinguendum in ſe Virile ſuorum germen.*

(4) *Et eludendam publicam omnium vocem.*

Digitized by Google

ria decreverant, neo unquam de conferendo Reipublicæ Regimine Præſuli nondum inter Purpuratos Patres relato adeo conſtans omnium animis inhæſit opinio. Camertes Antiſtes Optimus moderabaris: Non exiguam tantùm ſacræ Domus partem, (quam Italicum egregiæ illius Urbis indicat nomen,) ſed univerſum, quà latè patet, Chriſtianum Orbem temperandum a Te fama aſſerebat. Pontificis Nuntius Neapoli aderas. Præſenſere Cives illi Legationes a Te, rerum olim potito, deſtinandas ad potentiſſimos Europæ Reges, imò etiam ad Sinas, & Braſilos ſacris legibus informandos. Deceſſoris Tui Cubiculi Præfectum agebas: Non Pontificiæ tantùm, ſed & Cæleſtes quamprimùm Fores a Te recludendæ omnium erant votum, & præſagium.

An verò ullo excuſationis clypeo a Te avertere poteris criminis notam, quam incurris, Dei, hominumque præſenſiones fruſtrare conatus? (1) Ætatem prætendis, & fractas ſenectutis incommodis vires? Gravis illa quidem eſt, cum Seculi vel infortunia, vel crimina Tuam huc uſque eximiam virtutem Regno diſtulerint. Sed quò brevior futura eſſet uſura magnæ virtutis, eò ambitioſius expetenda eſſet a Republica Præſtantiſſimi Principis Virtus. Quid, quod brevem fore quis metuat fœlicitatem, quam prodigioſè nobis Cælum indulſit? Suorum munerum Superos optimos non pœnitebit. Oblatos Tibi certatim a ſubditis Populis annos vives. (2) Conſuetum Alteriis Heroibus prætergredi Seculum. Ex quibus ille, quem Nobilem & Longævum Virum dicit inſcriptio ſepulchri in Templo D. Mariæ ſuper Minervam, attigit ætatis annum Decimum ſupra Centeſimum, ad eam uſque diem optima ſemper valetudine uſus. (3) Nulla Tibi, Virtutis merito, ſunt Senectutis incommoda, quia nullo attrita luxu Juventus fuit. Pedibus incedis Tuis: Obequitantem Urbis pomærium vidimus nuper, cum Sacra Divorum Templa ſupplex inviſeres. Non Te obtundent Sacri Regiminis curæ, quia abhorrentem a voluptatibus vitam perpetuò ſequutus, & laboribus innutritus, coutinuatis negotiis, & in ſe quodam orbe redeuntibus ſemper exercitus es. Non infauſti, qui forte contingerent, rerum eventus perturbare poſſent acquieſcentem in decretis Divinis Sapientiam Tuam, & Mentem ab Olympi vertice adumbratam, quem nulli unquam ventorum, aut imbrium impetus concitarunt. (1) Enimverò viridis ille, & integerrimi Corporis vigor, perpetuæ illæ Animi feriæ, & ſtatus honeſtiſſimæ quietis, & Alcedonia placidiſſimæ pacis, ſpondent, Chriſtianam Rempublicam a Tuo Imperio diutiſſimè fortunandam. Fruſtra ergo Ætatem prætexis, ut a Te recuſatæ Tutelæ generis humani querelas amoliaris.

(2) Non ſatis a cæteris dotibus munitum, adeoque imparem Te præclaro Muneri dicis, ut culpâ carere videaris? At nullus unquam eximium adeo præ ſe ſimilitudinis Divinæ ſpecimen tulit; ideoque nullum unquam major famæ conſtantia Divinis obeundis vicibus deſtinavit. Mitto inſtitutam a primis annis ſanctiſſimè vitam. Quid commemorem Sapientiam ſingularem, & omni doctrinarum genere excultam, iis præcipuè, quibus homines temperantur? Quid de ſolidiſſima in judicando prudentia loquar? Recenſebo cæteras dotes? Ingenium Clementiſſimum, & in quo difficile, & moroſum nihil, ſed nihil præterea molle, & in ipſa ſuavitate languidum, & remiſſum nihil: Honeſtatis denique perpetuum lumen, eodemque ſemper tenore productum integerrimæ colorem vitæ?

Paucis plurima amplectar, ſi eorum Te Præſulum Ideam fuiſſe dixero, quos publica fauſtitas ad Sacrum Imperium depoſcit. Adeſte animis, Auditores, dum rem maximam paucis conficio. (3) Si quis ad altiſſimum Exemplar Romanum conformet Pontificem, duas, ut arbitror, quæ raro conſortio conſpirant, in illo exiget dotes; Ut videlicet diuturno congreſſu Deum alloquutus perpetuò fuerit; qui enim alterius Principis partes ſumpturus eſt, illius ingenium, & indolem induiſſe penitus diuturna cum eodem conſuetudine debet: Utque in rebus humanis exercitatiſſimus ſit, ne plurimorum incommodo regnare diſcat in Regno. Ubi alteram ex his laudibus deſideres, vix parem invenies Imperio Ampliſſimo, & Sacroſancto. At ſi unquam mirabili fœdere convenerunt, ſupra votorum audaciam illas in Æmylio de Alteriis venerati ſunt, qui eumdem, fruſtra reluctantem, Rempublicam capeſſere coegerunt. (4) Vul-

(1) *Fruſtra Ætatem prætendit, & fractas Senectutis incommodis vires.*

(2) *Conſuetum Alteriis Heroibus prætergredi Seculum.*

(3) *Viridis illius Senectus Præmium eximiæ Virtutis.*

(1) *Diuturni Regni ſpes.*

(2) *Fruſtra imparem ſe Supremo Muneri dicit.*

(3) *Mirificè in illo conſpirant Dotes duæ requiſitæ in Divinitatis Vicario.*

(4) *Quo pacto partiri horas perpetuò conſuevit.*

Digitized by Google

Vultis præteritas illius diurnas, nocturnaſque curas inſpiciamus? Planè vultis. Poſt nullas ferè veſpertinas epulas, breviſſima quiete contentus, unâ, vel alterâ poſt noctis medium horâ, vel ſumma hyeme, ſurgere conſuevit e ſtrato, & horas exinde plures protrahere cum Divinitate colloquium: Tum Sacras ad Aras ſummo mane religioſiſſimè, & ſæpe non ſine lachrymis, quotidie operari: Et univerſam deinde diem tranſigere in ærumnoſiſſimis laboribus pro cuſtodia publicæ rei; Sique ullum ab iis tempus vacaret, repetere ſtatim in ſacris precibus profuſam in ſe Numinis indulgentiam; adeo ut meminerim ante plures menſes me audire Præſulem Sapientiſſimum, aſſerentem: nullum ſibi unquam, ne ex ipſis quidem intra religioſa clauſtra receptis viris, innotuiſſe, qui majori Divini colloquii ſtudio, quàm Æmylius de Alteriis, caperetur.

(1) Diverſamne Sanctiſſimi Eccleſiæ Patres, dum in terris agerent, vitæ rationem inſtituerunt? Timida nimium, & exilis eſt oratio noſtra. Diverſam, prope dixerim, inſtituerent, ſi ex Divina digreſſi Romanam aulam repeterent Sanctiſſimi Patres? An perperam affirmavimus, Ideam Te, Cæleſtis Indolis Princeps, illorum Præſulum eſſe, quorum Imperio teneri ambit Orbis terrarum? Neque conſcientiæ motu conflictaris, dum in Tuum ſinum convolantem Rempublicam averſaris? Dum omnem lapidem moves, ne Tibi ſacrum decernatur Imperium? Neque enim Cunctatio illa Tua fuit, ſed Horror, & Execratio, & Animi Fuga, ſiquidem Corpus obſidentium Te Purpuratorum Principum Auguſtiſſimo carcere includebatur.

Sed fruſtra in maximam notam incurris, molitus univerſum propemodum addictorum Chriſto hominum genus hac Tua repulſa conficere. (2) Quamvis avia Sylvarum, & Montium concava Te abdidiſſent, prodigioſas, auſim dicere, rurſus Columbas, aut Cæleſtis ductum flammæ ſequuta, e latebris Te flagrantiſſima omnium ſtudia eruiſſent. Nimium quantum infauſti hujus Seculi intereſt ad gubernacula accedere virum, qui ad Divinæ ſimilitudinis indolem probè præcultus, & magna in orando facilitate Numinis uſus, conciliare Mortalibus Superos poſſit. Qui Princeps magnam ſemper habuit cum Divinitate rationem, omnia extorquebit ab eodem in ſe indulgentiſſimo Numine. Quicquid non rapiet Turca ob occupatam Cretam ſuperbiens, quicquid non atterent Scythæ, quicquid non turbabit Batavus, id penitùs tribuetur Tibi opem ferenti Sanctiſſimis precibus Reipublicæ laboranti.

(1) Infœlicium, quæ ab Eccleſia Divina avertere detrectabas, fatorum conſcientiâ oppreſſus fuiſſes: incurriſſes in crimen ejuſdem ſpoliatæ lucris innumeris, quibus Te regnante ditabitur. Si Tyranni barbari nobis inſtarent, Magnum illis Leonem objiceremus, quia parem in Te Cæleſtis Animi Conſtantiam intuemur. Si Principes, fidei ſuæ dedecus inurentes, Eccleſiæ dignitatem labefactare contenderent, in Te Septimi Gregorii Virile Robur, & Magnanimum Pectus experirentur. Si vigilem ſolicitudinem, & perpetuas curas infauſtum Seculum requirit in Principe, Magni Gregorii Vigilantiam deſiderabit nemo. Hujuſmodi commodis rem ſpoliatum publicam ibas, nec vocari formidabas in invidiam ejuſdem everſæ?

(2) Atque ut ex iis, quæ primos Sacri Principatus dies illuſtrabunt, exempla petam, fortaſſe non adimendi dicatis Divino cultui hominibus vectigalis, ſi a gubernaculis receſſiſſes, collata in Te culpa fuiſſet. Egregiam ſtatim publicæ fœlicitati navabis operam, Juſtitiæ curam avidè amplexus, moribus exornans, emendans legibus quæcumque corrupta, vel ægra eſſent in Sacro Regimine, & jacentem præſertim Virtutem extollens. Ad hanc erigendam cum Te induceret præclara Indoles Tua, & ad ſacra munera Viris optimè meritis, & a publico honore ceſſantibus conferenda, affinis culpæ omnino fuiſſes hoc illos premio fraudando, dum adminiſtrationem ſuſcipere detrectabas.

(3) Præſertim verò veniſſes in crimen erepti Reipublicæ Præſidis Eximii, Palutii Cardinalis de Alteriis, quem hìc univerſæ Urbis plauſus veneratur, quique illam Tuo ductu, Imperio, & Auſpicio præclariſſimè gerit. Quod aggrederis facinus, Pontifex Optime? Si tam illiberaliter Ipſe contemnis Imperium, hunc Virum Reipublicæ invidebas, Generis, Ingenii, Doctrinæ, Virtutis, Sapientiæ, Religionis, Ho-

(1) *Ita Vitam inſtituerent Sanctitate præſtantes Pontifices.*

(2) *Adeo neceſſaria ejus Virtus, ut Prodigiis urgendus fuiſſet ad imperandum.*

(1) *Reus fuiſſet Damni non vitati, & lucri non acquiſiti, a S. Republica.*

(2) *Ex his lucris indicantur aliqua primos Imperii dies illuſtrantia.*

(3) *Præconium Palutii Cardinalis de Alteriis, quem non ſine crimine Sacro Regimini eripuiſſet.*

Digitized by Google

Honorum dignitate ſingularem, ac Romanæ Purpuræ ſplendore jamdiu florentem? Qui ſimilitudinem in ſe præſtantiſſimæ mentis Tuæ moribus effingit. Cui Vigor Principe dignus, & Juſtitiæ tenaciſſimum ſtudium indolem format, quam publica fauſtitas exigebat. Communibus omnium ſermonibus circumfertur Mens illa maximæ cujuslibet molis capax, Conſilia ſapientiſſimi oris, ſumma in conficiendis negotiis celeritas, qua oblata ſingulis munera geminantur, Æquabilis in utraque Fortuna tenor vitæ, Gratiſſimus Animus, ac Regalis, perpetua Studia publicæ rei bono addicta, Integerrimi, & Candidiſſimi Mores. Neque verò, ut in aliis Rempublicam aggreſſis, quònam evaſurus ſit, ſpe præcipimus, avidi expectamus; ſed intuemur jam aſſecutum apicem Imperatoriæ virtutis. Alios Regimen ipſum excoluit donatos Purpurâ in aditu ipſo Regiminis; Hunc Purpurâ exornatum, & laudibus excultum omnibus Regnum accepit; ut proinde ineptum ſit admirari, quod in Republica temperanda, prima ipſa die conſtantem, & imminentem curis illuſtribus operam Magno Clementi præſtiterit; perinde ac ſi ad rem adminiſtrandam publicam ante plurimos annos ſe contuliſſet. Utcumque, Sanctiſsime Clemens, optimè de genere humano meritus ſis, nullo illud nomine magis obſtringitur Tibi, quàm quòd hunc Tecum Virum aſsidere clavo decreveris. Uſque adeo præſtat, præferendum omnibus eligi ex omnibus. Præſtat, Conſilii partum eſſe, veluti Deus ipſe Mente Sapientiam parit, a qua Regna omnia temperantur.

Hæc tu, a Sacro Imperio velis, remiſque, fugam capeſſens, Chriſtianæ rei commoda cum invideres, mirum, ac magnum a Te facinus adornatum fuiſſe abnues? Itane verò quia Tecum pulcherrimo nexu conjunctæ erant illius virtutes, merito præmio fraudandas arbitrabaris? Perinde ac omnes in Te ipſo regnantes Cæleſtes dotes proculcabas. An in crimen venere Divinæ Virtutes: eò quòd in Tuo Animo Regiam ſtatuerint, ut proinde in Te coronari non poſſint?

(1) Quid ſaltem in Te admiſit Chriſtiana Reſpublica, ut illi ſubtrahere debeas Triumphum, quo, Te renuntiato Pontifice, ſuis hoſtibus inſultabit? Dolore contabeſcet, furoris inſaniâ ringetur Hæreſis, dum audiet, tandem coactum præſidere rebus humanis Heroem, quem ipſa Invidia vereri ſemper coacta fuit, & in quo Sole ne fingi quidem labes ulla unquam potuit ab oculis venenatis. Hos Te Catholicæ Fidei Triumphos adimentem magni criminis conſcientia non percellit?

(1) Quæ cum ita ſint, Chriſtianę Reipublicę nomine gratias agimus immortales Senatui Sapientiſſimo Purpuratorum Principum, quòd tutelam Sacrorum, & Chriſtiani Orbis fata ſuſcipere coegerint Meritiſſimum Virum, & gentibus vivere, non tamen oblitum ſui; nullus enim fœlicius Sempiternæ ſuæ conſulit Fœlicitati, quàm qui eamdem cæteris omnibns mortalibus elaborat. Cur privatis Tuis affectibus blandirentur, cum Dei, hominumque ſententia fuerit, ut inſtaurandum Virtute Tua Regnum acciperes?

(2) Supereſt, ut in extrema Oratione ſpondeam Quiritibus, eumdem Te in Regali Sacerdotio futurum, qui fuiſti Præſul, & Purpuratus. Utcumque vellet, nihil in Te poterit mutare Fortuna; nimium enim diu Sanctiſſimis moribus aſſueviſti. Nihil in Te quæſiti per ſimulationem decoris: nihil populis, & famæ plauſibus datum: unicum ſtudium diſſimulandi eximia ornamenta Animi Tui. Non prima tantùm ſpecie blandientes, ſed cordatas, & robuſtas in Te Virtutes adoramus. His indiget publica Fauſtitas: hæc Indoles eſt verè Romana: hanc Populi exigunt in Principe, qui non brevi deſituræ Famæ plauſus inanes in aditu Principatus mercetur ſibi, ſed ſolidam populis ſalutem, & incolumitatem reſtituat, cujus proles futura ſit ſui Nominis Immortalitas ambitu Seculorum omnium coronanda. Has Divinas Tuas Dotes, quas ne detereret, attingere non fuit auſa infantia noſtra, integras, illibataſque relinquimus iis, a quibus Magiſtris informamur, devinctiſſimis Tibi, qui earumdem Hiſtoriâ Sacros Romanorum Pontificum faſtos mirificè locupletabunt. Tu verò, Pontificum Optime, & Humaniſſime, veniam dabis, ſi ob conſilium, quod iniveras, deſtituendi Chriſtianam Rempublicam Præſidio Tuo, magni Te criminis ipſius Reipublicæ nomine inſimulavimus.

He-

(1) ***Subtrahere optabat Apoſtolicæ Cathedræ ſummum decus.***

(1) *Gratiæ referuntur Sacro Senatui ob illius Electionem.*

(2) *Spondetur eumdem in Imperio illum fore, qui fuit Præſul, & Purpuratus.*

Digitized by Google

Heroicorum Pontificum Dotes Redivivæ

In Sanctiſſimo Domino

CLEMENTE X.

ORATIO XXI.

Dicta in Templo S. Ignatii.

Ad Septemdecim S.R.E. Cardinales.

AMpliſſimum illud, Eminentiſſimi Principes, nobilis Vatis de illuſtri Duce præconium;

Quæ ſparguntur in omnes,
In te miſta fluunt, & quæ diviſa beatos
Efficiunt, collecta tenes:

vix ullius Chriſtianæ Reipublicæ Moderatoris cæleſtibus ornamentis aptari poteſt; (1) cum arduum ſit omnium complexione meritorum ferè Divinum munus exæquare. Præclarè quidam adminiſtrarunt Sacrum Imperium? Sed ante videri potuerant illius ſtudio flagraſſe, nimium ſecurâ ſui virtute. Decus aliis contulit Eruditio? Sed non perinde doctis omnium artium principem imperandi Scientiam. Splendorem aliis Fœlicitas tribuit? Sed eamdem inſignis fuiſſe Sanctimoniæ præmium exoptandum populis reliquerunt. Privata virtus alios inſeruit Cælo? Sed publico eoſdem bono non adeo conſulentes extra ſe ipſos inquirere nequit fama. Tranquillis alios Temporibus egregiè temperata Chriſtiana Reſpublica poſteris commendavit? Sed aliquid ipſorum gloriæ orta deinde Bella ſubduxerunt. Copia, quies, & profana populorum ſalus aliis produxit nominis vitam? Sed Sacra illos animorum procuratio cæterorum vulgo nequaquam exemit. Suis alii temporibus egregiè proſpexerunt? Sed Hæredem ſui fœlicitatem poſteris minimè reliquerunt, relatis iis in Sacrum Purpuratorum Patrum Collegium, qui poſt ipſos ereptos e conſortio mortalium ſuſcipere meritò poſſent habenas Imperii. Clementia quibuſdam, ſed non animi robur infractum, *chordas*, ut Apollonius inquit, *aut nimium intendens, aut nimium remittens*: nonnullis animi vires, & nervi, ſed non mite, ac beneficum ingenium, aditum aperuit ad regnum laudis immortale; his ætas devexa, infœlix, quo imperarunt, aliis tempus gloriam invidit. Vix ullus demum fuit ex Proregibus Divinitatis, cujus dotes celebrare aggreſſis quædam, quæ ipſius fulgori labem aliquam aſpergerent, diſſimulanda non fuerint Oratoribus. (1) Sed ad noſtrum Heroum Phœnicem Clementiſſimum hominum Patrem, quem ſanctiſſimè regnantem diu ſydera terris indulgeant, illuſtrandum uſque adeo Virtutes omnes amico fœdere conſpirarunt, ut in ipſum confluant omnes, quarum ſingulæ alios præcipuos Chriſtiani Orbis Principes conſecrant admirationi mortalium. Ex iis tamen, cum innumeræ nos obſideant, eas tantùm innuam, quæ admirabilitatis plurimum habent. Innuam verò, cum infinitum ſit ſuis unamquamque coloribus pro dignitate ornatam in illuſtri ſole ſtatuere.

(2) Ac primò quidem, ſi a Nobiliſſimi Generis claritate Sacris quibuſdam Principibus flos ingenitæ lucis acceſſit, quid Exercituum Imperatores, Purpuratos plurimos Patres, Stephanum Octavum Summum Pontificem recenſeam, Alteriæ Stirpis clariſſima Sydera? Quid inſolitum penitus referam decus, ut ſuæ ſint huic Cælo redimentes fraternum interitum Stellæ, (3) deſtinatam videlicet alteri Sanctiſſimi Pontificis Germano fratri Joanni Baptiſtæ Cardinali a Publico plauſu Sacram humani Generis Præfecturam?

(4) Fuere, qui cum primùm Sacram Rempublicam Præſules attigerunt, maximam Virtute, & Sapientia excitaverint expectationem ſui, ideoque in iis exornandis gloriæ certamen iniverint, qui ante ipſos imperavere Pontifices? At Urbanus Octavus Æmylium de Alteriis regendis Provinciis, Eccleſiis adminiſtrandis, admovit: (5) Eumdem Æmyliæ pacandæ ſapientiſsimo conſilio deſtinavit, ſedando Terrarum Orbi proludentem. Sacrum, poſt Urbani deceſſum, Collegium ab illius ſapientia, & omnium animos rapientis indolis magnete frænandos ad bellum ruentes Inſubriæ Principes ominatum, publico illum Decreto nobili Legationi præfecit. Cum Innocentii Decimi Nuntius Neapoli aderat, ad Civiles, quæ tunc coortæ ſunt, turbas compeſcendas ejus Prudentia, & Auctoritas plurimùm contulit. Ampliſsimi Cætus, qui Sa-

(1) *Summopere arduum eſt laudum omnium Fœdus in Pontifice Maximo.*

(1) *Viguiſſe hoc Fœdus oſtendemus in Clemente X.*
(2) *Ejus Generis Claritas.*
(3) *Germanus illius Frater exiſtimatus Imperio dignus.*
(4) *Magna illius Expectatio.*
(5) *Exercita munera.*

Digitized by Google

Sacros per univerſum Chriſtianum Orbem animorum Paſtores, & dicatos Divino cultui viros moderatur, A Secretis Æmylium elegit Alexander. Retulit demum ſuo primùm Cubiculo Præfectum Clemens Nonus inter Eccleſiæ Senatores.

(1) Neque verò veſtræ quicquam gloriæ detraxerim, Sapientiſsimi noſtri Principis Deceſſores, quòd, cum ipſius Virtus eximia probè vobis comperta eſſet, tam ſerò ipſius conſortio Regale, a quo leguntur Arbitri Sacrorum, Collegium ornaveritis. Providentiſsimo id Numinis conſilio contigiſſe crediderim, ut perhonorifica ipſius Fama latius interea manaret: utque majorem admirationem laceſſerent illa,quæ ſerò coactus præeſſe rebus humanis inſtauraturus erat: & majus illi ſuo quaſi ſuffragio plaudentis Divinitatis argumentum eſſet, ipſius, ætate, ut videbatur, ultima renuntiati Pontificis diutiſsimè productum Imperium. De quo unquam nondum Purpurà exornato tam conſtans Sapientum animis inhæſit opinio de tribuendo eidem Vicario Divini Numinis Munere?

(2) Neque Sacra ſolummodo ipſius ſtudioſiſsima Clauſtra teſtificatione præclara illius Virtuti plaudebant;ſed Romana etiam, & exterorum Principum Aula: inter quos Ferdinandus Secundus Sapientiſsimus Hetruriæ Dux, lyncea mente pervadere arcanas etiam hominum dotes aſſuetus, Æmylio de Alteriis Præſuli Regale Sacerdotium ominabatur. Hinc porrò liquet, quod in minoribus Præfecturis exhibuerit ſpecimen Virtutis Heroicæ, cui exornandæ Romani fulgor Oſtri par videri non poterat. Hoc illi tandem injectum fuit, & nondum Purpureo Galero radiantem frontem triplex Corona ambivit.

(3) Nullus ante Regnum Famam Æmylii Præſulis ſuperavit? Quis porrò illius gloriam per plurima Secula æquaverat in aditu Principatus? Quis adeo, ut inquit ille, *Meruit regnare rogatus*? Quis ardentiori ſtudio abſtinere a ſe, fruſtra contemni dolentem, ſummam fortunam contendit? Quis triumphalibus adeo precibus? Quis tanta vi Cæleſtium lachrymarum a Collegis ſuis flagitavit, ut alios imponerent Solio? Quis altiſſima prope Divini animi demiſſione Religionis metum iniicere ſtuduit illis, qui ſibi, ut ipſe quidem profitebatur, immerito imponere decreverant onus Angelicis quoque humeris formidandum? Quis alios Imperio pares facundius commendavit, dum ipſum Sapientiſſimi Patres flectere laborarent, eidemque ſupplicaret Orbis Terrarum, & Cælum, ne illis præeſſe dedignaretur? In abditas alii ſpeluncas receperint ſe. Auguſtus illius fugam carcer inhibuit. Prodigioſas cæteroqui Columbas, aut Cæleſtis ductum flammæ Sacri Principes proſequi debuiſſent, ut ſuis e latibulis illum eruerent.

(1) Publica tandem fauſtitas retulit palmam coacto Integerrimo Viro contrahendi, ſi diutius obſtitiſſet præſentiſſimi electioni illi Numinis Decreto, criminis metu, nutantia ipſo renuente Romanæ Rei fata ſuſcipere. Quod ſi prodigioſus fuit horror, & execratio ſummæ Fortunæ, inter Prodigia referendam non cenſeam moderationem animi ſingularem, qua erga Supremum faſtigium nihil afficitur? Qua nihil ex ipſius virtute fortuna decerpſit? (2) Qua nullam inſontem oblectationem animi, nullum ſui compendium ſumit ex Regno? Adeout nullus e Populo ſuas cum Principe delicias immutaret. Qua flores nullos, at ſpinas tantummodo Imperii vindicat ſibi; licet ipſæ vix poſſint cæleſtem ipſius animum vulnerare? Qua mitiſsimo, & humaniſsimo Ingenio mortales omnes amplectitur, Paterno ſtudio ſe Paſtor Optimus ovibus ſuis indulget? Beneficentiſsima Indole in uberem gratiarum imbrem effundi prægeſtit? (3) Utque alienæ inopiæ, occulta plerumque largitione, in ſummis Ærarii anguſtiis proſpiciat, vix quinque quotidie denarios nummos ſuas in dapes erogari permittit? Profectò licet larga non eſſet aurea pluvia, qua juvans hic hominum Pater defluit in Pauperum ſinum: licet hac etiam laude vinci cæterorum Pontificum liberalitatem non affirmarent Sacræ Pecuniæ diribitores; Heroicæ tamen munificentiæ palmam ſupra cæteros Principes illi tribueret mirabilis Parſimonia, ex quo inſolito ærario, cum aliud propemodum exareſcat, ſibi ſubtrahit illa, quæ aliis elargitur.

(4) Qui hoc cæleſti amore illum, cujus partes obit, in Egentibus Aſſertorem humanæ Salutis proſequitur, qua eidem ſuo Numini Charitate inhæreat,teſtatur perpetuum orandi ſtudium, quo, per noctem præſertim,

(1) *Divinum conſilium de Sacra Purpura illi ſerò collata.*

(2) *Conſtans fama de illo nondum Cardinali eligendo in Summum Pontificem.*

(3) *Gloria Imperii diu ab illo recuſati.*

(1) *Admittendi ſolummodo criminis metu, ſi diutius obſtitiſſet, victas manus dedit.*

(2) *Nullum ſui commodum uſurpat ex Regno.*

(3) *Munificentia erga alios, erga ſe mira Parſimonia.*

(4) *Ardentiſſimum orandi ſtudium.*

Digitized by Google

tim, horas plurimas fruitur Concilio Beatorum, ac Divinum quotidie Sacras ad Aras Parenti Filium conſecrat religioſiſſimè.

(1) Sed enim privata hæc dixeris ornamenta, quibus ab ineunte ætate uberi Divinorum munerum fonte lactatus noſtri Principis animus conſuetum etiam in Regno pabulum ſtudioſiſſimè inquirit. Ita ne verò privatum decus in Sacrorum Præſide, nihilque conferens in publicum bonum, arbitraris hunc ipſum ardorem placandi humano generi per Sacras preces irati Dei? Neque ſpectat ad publicas illius, qui alterius Principis munere fungitur, curas, ut ejus frequenter Oraculum conſulat ad ea decernenda, quæ publico illius vice adminiſtrati Regni bono conducunt? Quæ Religione præſtantior Virtus in Sacro Chriſtiani Orbis Patre ſpectari poteſt? Quæ plures evexit ad Sydera, & Aris impoſuit Pontifices divina virtus? Ut ex hac vires, & robur trahit quicquid in commune commodum illi decernunt magnum & amplum! Ut ex hac alitur quicquid publicæ ſpei communi voto fovetur! Ut hæc aurea noſtræ fœlicitatis fodina eſt! Ut hinc oritur ſalus, & incolumitas Populorum, adeo ut deponendas apud Deos Urbes dixerit Themiſtocles bellicoſiſsimus Vir! Ut hinc ipſæ victoriæ naſcuntur, perinde ac palmam ex Auguſti ara prodeuntem mirati ſunt Tarraconenſes Cives!

(2) Si proinde ſub fauſtiſsimo Clementis Imperio compreſſam hoſtis Othomani ſuperbiam: sì fractam Hæreſim, cui nuper audaciſsimæ pœnas differre viſum fuerat opportunum, ne pejus inſaniret: ſi copiam, incolumitatem, quietem Pontificiæ Ditionis: ſi Clementis arbitrio divinitus indultos ſalutares imbres: ſi communis inter Chriſtianos Principes conflandæ Pacis hilarém ſpem: ſi Pietatis inſigne ſtudium Sanctiori Anno: ſi demum innumera commoda, uſu varia, genere divina, regnante Sanctiſsimo Principe gratulari poſſumus Orbi Terrarum, ea profectò incredibili Religioni, & exorandi Numinis ardori, quo Clemens Optimus flagrat, referemus accepta.

(3) Jam verò quia privata hæc decora cenſentur ab inexpertis Sacri Regiminis, quas, amabo, Imperatorias dotes iidem requirunt in Pontifice Auguſtiſsimo, qui ſuo quaſi jure præ cæteris immortalis Famæ Regnum ingredi promereatur: neque ſolùm integritate vitæ, ut Cato, ſed etiam munificentiâ, ut Cæſar, (cum hiſtoricorum Principe loquor) magnus haberi poſſit? An ut Urbis, & cæteræ Pontificiæ Ditionis Temporarium Commodum? An ut Sacrum Univerſi Orbis bonum egregiè procuret? An ut Chriſtianos Principes, atque Reges ſingulari quodam cultu habeat obſequentes? An ut nihil ab aliorum potentia Præſidi Sacrorum formidinis incuti poſſit? An ut futuræ etiam hominum fœlicitati proſpiciat, optimorum Seminarium Pontificum in iis, quos Purpurà exornat, inſtituendo? An ut acerrimum Hæreſi bellum indicat, & plurimos e Tartareæ illius hydræ faucibus abſtractos in ſinum reducat parentis Eccleſiæ? An ut hoſtis infenſiſſimi Chriſtianorum Othomani Tyranni frangat audaciam? An demum ut cætera Imperii fauſtitate oſtendat aſtipulantem ſibi hoc, ut ita dicam, fœlicis Regiminis cœleſti plauſu divinitatem? Hæ, ut ego quidem arbitror, præcipuæ ſunt Heroicorum Pontificum dotes, quæ ſelectos e cæteris ſaluberrimos Orbi Chriſtianos Patres in Immortalitatis templo ſtatuunt velut Ideas Principum cæterorum. Ex his una, vel altera, utcumque deſideratæ ſint reliquæ, primæ notæ Sydera Romani Cæli commendant? Ad Clementem exornandum omnes omnino hæ Charites conſpirarunt.

(1) Urbis, & Pontificiæ Ditionis præſenti fœlicitati conſulere quàm arduum erat, Deus immortalis! quando Æmylius de Alteriis ſubire coactus eſt culmen Imperii, cum ob Cretenſe Bellum, aliaſque antiquiores cauſas inopiâ ſummâ conflictaretur ærarium. Quando tamen major Annonæ ubertas Urbem erexit! Quæ verò Populo excitaret horrea, quos fontes in Urbem induceret, ſi facultas adeſſet ab inopia obſtrepentis Pontificiæ gazæ munificentiſſimus Princeps, qui cœleſtibus nuper fontibus campos lactavit, cum ſterilitatis metum arens aliquandiu tellus animis iniiciebat? Qua nos formidine Cælum afflavit, ut innoteſceret vigor omnipotens Optimi Principis, qui ſtatim atque invitandam Sacris precibus pluviam nobis indixit, ſuis ipſe votis fertiles nubes aperuit; ipſo enim invito nihil ſibi licere volunt irata mortalibus ſydera.

(2) In aliis Bella regnis deſæviunt: Aliud pugnantes aves Cælum funeſtant. Vix Romæ

(1) *Hæc cenſenda non ſunt privata Principis decora.*

(2) *Collata divinitus ejus precibus dona.*

(3) *Partitio publicarum laudum, quæ in Sacrorum Principe requiſitæ in illum confluxerunt omnes.*

(1) *Quantum profuit Urbi, & univerſæ Pontificiæ Ditioni.*

(2) *Incommoda, quæ ab illa avertit.*

Digitized by Google

mæ videndam ſe præbuit properans ad alios Populos percellendos cæleſtis flamma. Alia cuduntur in finitimos fulmina, quàm quæ prope Siculum littus fabuloſi Cyclopes in antro Liparæ moliebantur. At nos in ſuaviſſimæ Pacis gremio conquieſcimus.

(1) Majus Maximo Antiſtiti decus affert quæſita Populis amplificato Divino Cultu, & pacato per voluntaria reſipiſcentium animorum ſupplicia Numine fœlicitas æviterna? Quid hìc ego Sanctiorem Annum ſanctiſsimè nuper a Clemente celebratum admirer, quo, licet univerſa propemodum flagrante Bellis Europa, vis tanta mortalium Romam confluxit? An unquam tot ſolenni, & publico ritu ſupplicantium agmina, & vel ab ipſo ultimo Septemtrione digreſſa, Romana Templa frequentarunt? An amantius, & liberalius unquam excepta tot centena peregrinorum hominum millia? An unquam ab egentium pedibus nobilis pulvis tam ſplendidè fuit excuſſus, cum Romani Principes, Purpurati Patres, & ipſæ Auguſtæ Reginæ triumphales nuper iiſdem manus admoverint? Num verò frequentius ab aliis Arbitris ſacrarum rerum uſurpatæ Claves, quæ revocatis in gratiam Divinitatis hominibus Cælum aperiunt, occludunt Tartara, quàm ab Optimo Principe, qui ſecum univerſum Chriſtianum Orbem ſyderibus flagrat inferre?

(2) Quis magis Divinum cultum amplificavit, præclarè de cæleſtibus Regibus promeritus, ut inſolitis illi ſubſidiis Sacram Rempublicam tueantur? Præter plurimos, quibus majora Sacra decrevit, ac plures, quos illuſtravit laureâ Beatitatis, una eademque die in Sanctorum album optimo jure quinque illos retulit præſtantiſſimos Cæli Proceres, quorum ipſe Divinas Virtutes egregiè ſuis moribus repræſentat; nam fretus certâ fiduciâ nunquam defuturam ſibi cæleſtem opem præcipit cum Cajetano: plurimas quotidie cum Franciſco Borgia Diviniş Colloquiis horas indulget: omni ſtudio Sacrum Imperium cum Philippo Benitio ſubterfugit; cum Ludovico, cui venenum innoxium barbari propinarunt, amara curarum incolumis haurit: ipſumque pariter cum Roſa innumeris aculeis ingratiſſima Corona transfigit.

(3) Sedenim Cæleſtes populis theſauros ingerere, immortale Divis imponere Diadema Virtutis, pronum, inquis, eſt Romano Pontifici. Alia ſunt, quæ adamantinum exigant robur, argumenta ſtrenuitatis heroicæ: ut videlicet non conſuetus ſolummodo, ſed exortus a Fama inſolitæ cujuſdam conſtantiæ, & magnanimitatis præſtantior illi cultus a Chriſtianis Principibus, atque Regibus deferatur. Ita ne verò ad ea ſaltem innuenda, in quibus triumphare poſſet, orationem invitas, quicumque ſis Politicæ Sapientiæ Magiſter? Num extorqueri ea, quæ cum æquitate pugnare ipſius ſapientiæ videntur, conſiliis innumeris, incredibili negotiorum, & curarum mole, ferè ineluctabilibus precibus, ab invicto Clementiſſimi Principis ingenio poſſunt? Quis generoſius obſtat? Quis fœliçius diſſipat animorum nubes?

(1) His artibus ſuorum temporum fauſtitati; ut verò producendæ, poſtquam illum ſerò receperint ſydera, hominum fœlicitati conſuluit? Quos Oſtro Regali donavit, egregiè præſtans dote illa, quam maximam dixit in Principe illuſtris Vates, ut nimirum noverit ſuos? An unquam fulgentiora Nobilitatis, aut Sapientiæ, aut Virtutis, aut Meritorum lumina evocata ad Purpurati Cæli claritatem? (2) In partem verò Regiminis, & curarum, an non ille aſcitus Incomparabilis Princeps, quem ipſi Divino Atlanti Sacrum Imperium renuenti ſtrenuiſſimum Herculem Collegæ obtulerant, cujus præcelſa mens omnibus imperandi artibus præclarè munita, eaſque conferens incredibili ſolicitudine, omniumque plauſu, & admiratione in publicum bonum, inſtar Cæleſtium Orbium, perpetuo curarum motu terris largitur beneficum jubar.

(3) Supereſt, quod erat in partitione poſtremum, amplificatus per receptas in ſinum, quas Hæreſis Hydra veneno imbuerat, extorres oves Eccleſiæ limes, atque fracta cornua Turcarum Tyranni, quæ laus magnis quibuſdam vices Dei Optimi Maximi gerentibus Principibus ſplendorem peperit immortalem. Et cum Hæreſi quidem quo pacto pugnandum Clementi fuit? An erectis Nationum Collegiis, quas illa Tartarea peſtis infecit? At excitata illa jam extant: neque in hoc articulo peſſimè a pecunia valentis ærarii alia fundare integrum eſt? An expeditis in Hæretica Regna militum Sacrorum agminibus? At hi plurimi legati ab illo, aliiſque Pontificibus pro Catholi-

(1) *Sanctus Annus Sanctiſſimè celebratus.*
(2) *Auctus Divorum Cultus.*
(3) *Conſtantia, & Magnanimitas.*

(1) *Præclara Electio S. R. E. Cardinalium.*
(2) *Præconium Palutii Cardin. de Alteriis vocati in partem curarum.*
(3) *Multiplex Hæreſis evertendæ ſtudium.*

Digitized by Google

tholica re præclarè pugnant. (1) Profectò duæ tantùm ſupererant artes ad elidendas penitus illius portenti fauces, quas Cæleſti Sapientia Clemens inivit. Ut ſcilicet ſingularis amoris argumenta Principibus illis exhiberentur, qui vel ad Romana Sacra, elata cæteris Religionis face, tranſiverunt: vel plurimis egregiè navatâ operâ reſipiſcentium manipulis Romanum horreum locupletarunt: utque illis, qui Romani Patris ad pedes accidunt recentes filii, amantiſſimum Hoſpitium præberetur.

(2) Hæc verò quàm ſplendidè præſtitit Pontifex Sapientiſſimus! Quo ille amore dignatur Auguſtiſſimam illam Heroinam, quæ Catholicæ Fidei triumphus eſt, & perduellium flagellum? Quæ incredibili Parentis Optimi ſtudio incenſa plauſus illi nuper dedit: revocata ab illo aurea ſecula exquiſitis modulis gratulata eſt Urbi; per ſuæ vocis interpretes Oratores illi Panegyricos dixit: illum Sacra limina religioſo ritu aperientem ab oſoribus Romanæ fidei Dynaſtis compulit adorari.

(3) At dum alterum regii Sanguinis Principem, præclarè de Catholica Religione promeritum, onuſtum exuviis ereptis Tartaro, e diviſis non tantùm ab Orbe reliquo, ſed etiam a Cælo Regnis Purpurâ ornatum in Quirinalem Regiam induxit, quàm illuſtre ſpecimen dedit ſitis illius, qua flagrat, Hæreſis debellandæ, dum hos egregio pugili Orthodoxæ cauſæ virtutis triumphos decrevit!

(4) Quod verò recedentibus ab impia ſuperſtitione quibuslibet e regnis percommodum Hoſpitium in Urbe condidit, an non omnium animis cæleſte calcar infixit, ut feſtinent amantiſſimi Parentis ad pedes? Cælum illis alii Principes Optimi recludebant, exceptis in ſinum pugnantis Eccleſiæ: & in hoc iiſdem collato munere acquieſcentes, vix quicquam porrò ulterius a ſe præſtandum arbitrabantur. At plurimos futuræ metus inopiæ, & conſanguineorum furor, a divino reſipiſcendi conſilio detorquebat. Nunc verò cum ſtudioſiſſimè inquiruntur a nobiliſſimis viris: humaniſſimè alliciuntur: in percommodum Pontificia liberalitate diverſorium inducuntur: dum omnia illis præſtò ſunt vitæ præſidia: (1) ad nobiles Artes, ad Militiam, ad Aulas, ad Clauſtra, pro cujuſque ingenio, vel merito, ſingulis aditus aperitur: dum, qui regredi ſine Fidei diſcrimine poſſunt in Patriam, ut ad ſimilem ſuos fortunam laceſſant, commeatu ſplendidè muniuntur: quàm alacrius illi confluunt ad Vaticanum! Quo lactantur illicio? Qua paternæ Romani Pontificis Charitatis famâ ſuos erigunt cives! Quid excogitari divinius poterat? Quid inſtitui ſapientius? Incaſſum aliis Principibus hæc fuit oblata gloria. Tibi debebatur, verè Maxime, verè Sanctiſſime Clemens; cui quæcumque temporum iniquitas victa ſuccubuit, ut poſſes: cæleſtis pietas, & amplitudo animi perſuaſit, ut velles hoc aggredi opus heroicum, quod auctum in dies fœlicibus incrementis illuſtriorem fortaſſe, quàm ab aliis Principibus pro Catholica re inita conſilia, excitatæ moles, impenſæ opes, Conditori ſuo coronam imponet.

(2) Non abs re tuum revocandi ab interitu ſaucios ab Errore nefario populos flagrantiſſimum ſtudium frequenti eorumdem ad integerrimam fidem acceſſione muneratur Deus. Quot in callem ſalutis regreſſos Hungaria, quot Bohemia, quot reliqua Germaniæ Regna, quot vidit Gallia! Quot peperit Cælo Britannos Heros ille, qui, ut Sacro pro Vaticano certamine Fiſcheros, Polos, & Alanos fuerat æmulatus, ita præmiis æquandus iiſdem erat! Ut in præſentia jacet inglorium Lernæum illud portentum, quod plurima nuper erexerat capita, eam diſſimulato veneno formidinem Urbi afflantia, ut blanditiis potius delinienda nonnulli perperam opinarentur, ne atrocius ſævirent, quàm ferro, & igne invadenda, ne diſcerpere poſſent incautos?

(3) Qui tam ſtrenuè congrederis cum extinguenda quamprimùm penitus Hydra Perfidiæ, an Cerberum Othomanum formidas, in quem exaturatum infœlici Cretenſi Regno, & in ipſam Italiam tartareas fauces exertantem, incidiſti? Quin potius non modò ſuperbiſſima Luna tentare nihil eſt auſa contra florentiſſimas Provincias, quas propius illuſtrant Argentea Sydera, & lucem Syderibus afferens Romanus Sol; ſed etiam cum bellicam contra gelida, & penitus ab Urbe diſtantia Regna tempeſtatem excitaverit, nullum tamen armis, vix ullum fraude, pretium ſceleris tulit. Ut ſub-

(1) *Egregiè præſtita duo, quæ ſupererant ad eam profligandam.*

(2) *Amor erga Chriſtinam Svecorum Reginam.*

(3) *Præmium collatum inſigni Hæreſis Impugnatori Cardinali Ovardo.*

(4) *Hoſpitium conditum accedentibus ad Catholicam Fidem.*

(1) *Quàm magna ex hoc parta commoda.*

(2) *Magna reſipiſcentium vis illo regnante.*

(3) *Averſa pericula, quæ nobis impendebant poſt captam a Turcis Cretam.*

ſubvertendum penitus illud ad Septentrionem Propugnaculum Fidei, Poloniam, plurimi trepidabant, cum proditores Coſacchi Bizantio adhæſerant: plura Tartarorum Centena millia ſub ſignis erant; ſuperbus everſâ Cretâ Viſirius, nimiumque noſtro malo edoctus vincendi artes potentiſſimi Imperii vires, & nervos Exercituum omnes impulerat in Poloniam, civilibus turbis exagitatam, quæ ſuum potius per inteſtina prælia, quàm Turcarum irruentium excidium ambire videbatur.

(1) Placandi erant Superi fortiſſimo illi Regno, quod in ſuam ruinam furiæ civiles incenderant? Placavit Clemens perpetuis precibus ſuis omnia extorquentibus a prono in ſua vota Numine, & indictis publicis ſupplicationibus ad Poloniæ Præſides Hyacinthum, & Stanislaos, alioſque Divos, ipſorumque Reginam Arbitram Filii. Armandum erat Cælum in barbaros hoſtes viribus, & numero ſuperbientes? Cæleſte recluſit armamentarium Clemens, & præſentiſſimos per manifeſta prodigia Polonorum agminibus Cæleſtes Heroes immiſcuit: ut æquiſſimo jure ipſi conſecraverit fortiſſimus tunc Imperator, nunc Sapientiſſimus Rex, hoſtibus erepta Vexilla, quæ ipſe Vaticano e tholo religiosè ſuſpendit. Frænandæ erant vergentes in interitum patriȩ Seditiones infauſtæ? Magna ex parte ſedavit Clemens, datis ad Primores Regni Literis Pontificiis, (2) & immiſſo prudentiſſimo Nuntio, qui tractandorum animorum peritiâ, & Exemplo magnanimo, quo argenteum ſuæ menſæ apparatum obtulit ad conflandam in uſus belli pecuniam, ad hoc ipſum præſtandum Regni Proceres impulit, conſpirantibus animis ad Communis hoſtis perniciem inflammatos. Magna vis auri deerat ad Exercitus conſcribendos, exhauſto aliis bellis olim opulentiſſimo Regno. Suppeditavit Clemens, cujus profectò aureis haſtis magis, quàm æneis Polonorum armis, fracta eſt Otthomani hoſtis audacia. Ut brevi turbo ille detonuit! (3) Ut jugum Poloniæ minatus Viſirius, oblata Sarmatico Regnatori Veſte, quemque fiduciariis Principibus largiri ſolet, Enſe cum capulo gemmis intexto, rejecta probroſa munera frendens recepit! Ut indecoro in Orientem reditu ſuas laureas dedecoravit! Ut Famam in præſentia non conſulit Orbis Terrarum, quæ recentem hunc Xerſem,

(1) *Multipliciter contra illos Cælum armavit Clemens.*

(2) *Laus Franciſci Bonviſii Pontificii Nuntii, deinde S.R.E. Cardinalis.*

(3) *Fracta Turcarum audacia.*

aut Alexandrum, nequidquam execrata ſuſpiciebat! Quis illius furias conſopivit? Quis Cypro frangendum dedit everſorem Cretæ? Quis Civiles in imbellem ſuum Principem, an puerilem Alumnum, turbas metuentem procul Bizantio diſtinet exulem a Principe Tyrannici Imperii Urbe? Conſopivit, infregit, avertit Clemens, cujus in Sacro, & Divino conclavi cæleſtia cuduntur fulmina in hoſtes Fidei.

(1) Hæc in debellandis Oſoribus Chriſtiani nominis, & in aliis omnibus imperandi artibus, in quibus honor, & dignitas Sacri Regiminis ſita eſt, eximia Fœlicitas, ſi ſpectaretur in Principe, quem ſingularis quædam Sanctitas Morum, & Vitæ non oſtenderet gratiſſimum Cælo, profectò meos admodum oculos minimè caperet; cum fœliciſsimos etiam dixerit Populus Quiritum Syllas, & Auguſtos, cæleſtem iram criminibus provocantes, innumeros crudeli ſtrage mortales, jugo patriam Rempublicam opprimentes. Sed cum de præſtanti Regnantum Virtute certò liquet, tunc illi, veluti divinitus collatum præmium, tribuenda eſt eximia fauſtitas Populorum. Pernego illud, quod cum in tui Pompeii Magni laudibus exultares, affirmaſti, Cicero: præſtari videlicet de ſe ipſo a nullo poſſe Fœlicitatem. Et ſibi, & populo, quem Cœleſti Regimine temperat, illam excelſæ Clementis Maximi, Fortunȩ imperantis, Virtutes pepererunt: cujus idcirco Dotes exoſculari populus debet, & mortalem quandam ejuſdem, qui Mundi tutela eſt, Divinitatem obſequio prope Divino venerari.

(2) Uſque adeo ſapiens, tranquillum, conſtans, amplificatum, ac Cæleſti ſimillimum Regimen, ſapientum animos admiratione ſuſpenderet, etiam ſi ætate, ac laboribus infractus Princeps gentibus univerſis jura diſtribueret, oracula redderet, exciperet, ubi ſuum in ſinum confugit, Orbem terrarum. Nunc verò cum idipſum præſtet obrutus annis, & exantlatis perpetuò laborioſiſsimis muneribus, & in ſe redeuntium curarum oceanum ſemper emenſus Sanctiſsimus Senex, quantò præſtantior ex hoc fonte admirabilitas exoritur, atque dignitas? (3) Hæc etiam Senii virentis inconceſſa pleriſque fœlicitas non adeo Syderibus, ſub quorum Regno exortus

(1) *Fauſtitas hæc tribuenda Pontificis Maximi Sanctimoniæ.*

(2) *Amplificatum decus præſtantis Regiminis a Sanctiſſimi Patris Senectute.*

(3) *Hæc ipſa cenſenda eſt Præmium ſummæ Virtutis.*

Digitized by Google

tus in lucem fuit optimus mortalium Parens, & nobiliſſimis Proavis conſuetis prætergredi Seculum vertenda eſt, ut perpetuę Virtutis exercitationi: Adoleſcentiæ, quæ nunquam in ſcopulos incidens, aut Sirenes Integritatis naufragium fecit: incredibili Moderationi, & Æquanimitati in utraque fortuna, & compreſſæ perpetuò Votorum audaciæ, quæ niſi frænentur, ſibi ſunt ipſa ſupplicium; cum, licet plurimis nimium, nulli ſatis tribuere ſydera videantur: excelſo altioris Olympo Mentis faſtigio, (1) cui nulli turbines, fulmina nulla invident ſerenum diem, ad quem nulla tempeſtas rerum humanarum erigitur: in Divinis perpetuò conſiliis Cæleſti quadam ſecuritate acquieſcenti animo: immodicum nunquam in gaudium, vitæ venenum, effuſo pectori, niſi quod progignit Virtus veræ lætitiæ fons: ne ipſius quidem Vitæ nimium ſolicito ſtudio, cum labori nulli, aut incommodo, ac frequenter ne ſeverioribus quidem Jejuniis ætate devexa parcat: beneficentiſſimæ Indoli, cui, ut prodeſſe pluribus poſſit, diuturnam plerumque temporis uſuram vota populorum, bonique Superi largiuntur: Æquitati, quam, ut conferat Virtuti, & Sapientiæ promerita præmia, ferè immortalem eſſe intereſt publicæ rei: ſingulari novo cultu augendi Cælites propenſioni religioſiſsimi animi, quam diu præeſſe Sacris expedit iis, quibus decreturus eſt Cæleſtes honores: ac præſertim horrori ac fugæ, qua Sacrum Imperium averſatus eſt, quod diutiſsimè ab illo ferri fortaſſe decrevit Deus, qui ardentiſsimo ſtudio Sacerdotii Regalis apicem ſubterfugit; ut erudiat poſteros, quàm jucundum Cælo ſit, quod nihil a mortali ſplendore hominum animi perſtringantur.

(2) Sed in extrema Oratione inficior, quod perperam affirmavi. Ætate confectum dixi vegeto, inſigni, ac propemodum cæleſti corporis, animique robore præditum Principem? Cui mentis incredibilis vigor? cui tanta, dum ſe adeuntes excipit humaniſsimè, feſtivitas, & majeſtati ſplendorem, ac decus conferens prope juvenilis alacritas, ut Senectutis ærumnis obnoxium pernegent quicumque ab illius alloquio digreſsi nobiles Aulicos admirabundi conveniunt. Enimverò improbi voti, vel audacis ſpei nullus inſimulari poſsit, ſi plures adhuc fœliciſsimi Imperii annos ominetur huic Alitum Principi ætatem & vires inſtauranti, quia Æternum perpetuò Solem oculis inconniventibus intuetur: huic Heroum Phœnici, ut cæteris alios dotibus, ſic & annorum ſerie ſuperanti: Magno huic Reparatoris noſtri Vicario, in quem, ſicut ferè Divinum in modum confluere vidimus ſparſas per alios præſtantiſſimos Dei munere perfunctos Principes prærogativas, ita quædam eidem debetur Immortalitas prope Divina.

(1) *Cauſæ, propter quas protrahendum ævum Sanctiſſimi Clementis ſperandum erat.*

(2) *Negatur eumdem videri potuiſſe confectum ætate.*

Regiminis præclari Securitas

IN

ALEXANDRO VIII.

Pontifice Maximo

Ex actis ante Regnum, & primis Imperii diebus.

ORATIO XXII.

Dicta in Templo S. Athanaſii.

POſt duo tandem Secula, & quinque pręterea luſtra nulli ex Regio Venetorum Senatu præbuiſſe Regimen Apoſtolicæ Navis Sacrum Purpuratorum Patrum Collegium *glorioſè pœnituit*, Eminentiſſimi Principes. Petrus imperat verè optimus Otthobonus, quem non præeſſe Sacræ Reipublicę tanta omnes admiratione corripiebantur, quanta ſuſpendebat olim non intuitos in Capitolio Simulachrum Catonis. Octavus regnat verè Maximus Alexander, cujus Auſpicia eos deſpondent Chriſtianis Principibus de Barbarie Othomanna Triumphos, quibus comparatæ videri poſſint Præludia, & Rudimenta, quas huc uſque retulimus, Palmæ: perinde ac Philippi Trophæa fuerunt ſubluſtris Aurora diei fulgentiſſimæ, qua Macedo inclaruit Alexander. (1) Omnes quidem Chriſti nomine conſecratæ gentes hac audita incomparabili Electione pręgeſtient, ſed Græca præ reliquis exultabit, Patriæ Maximi Pontificis Reipublicæ magna ex parte ſubjecta, & reliqua ſubiici am-

(1) *Ob Alexandri Electionem Græcæ præ reliquis Gentibus exultatio.*

Digitized by Google

ambiens : ac Veneto plus Alexandro, imperante ſibi, gloriata, quàm Pellæo, Græci olim Imperii Conditore. Quamprimùm ille deſituri Regni, ejuſdemque tantùm in corpora, molitor fuit. Immortalis hic, inque volentes etiam animos, Fundator erit. Hæc me, aliaque plurima, Chriſtianæ Rei fauſtiſſima, ominantem temerè conceptæ fiduciæ coarguet nemo. Utcumque maxima ſint, imparia tamen Eximii Principis Virtuti cenſeri debent Auguria, ob quæ, veluti jam impleta, Sacræ jam nunc Reipublicæ gratulamur. (1) Ne verò nimiæ apud quempiam confidentiæ notam incurramus, dum penè certum, & exploratum nobis eſſe ſtatuimus futuri temporis exitum, ejuſdem fiduciæ recludimus fontes. Ex eo videlicet, quod omnes Dotes conſtituentes Ideam Purpurati Principis omnium aptiſsimi Regali Sacerdotio fulſerint in Petro Cardinali Otthobono, & ex ipſo Sacri Principatus Exordio, exoriri conficimus Securitatem Præclari Eccleſiæ Regiminis in eodem Alexandro Octavo Pontifice Maximo.

(2) Optimè ceſſurum olim Quiritibus graviſsimum, perneceſſarium, & maximè periculoſum cum Tigrane, ac Mitridate, potentiſsimis Regibus bellum ſpopondit Cicero, ſi ad illud adminiſtrandum Pompejus Magnus eligeretur. Romanos autem metu, ac ſeipſum exoneravit tam amplæ ſponſionis invidia, cum oſtendit, ineſſe Pompejo dotes illas, quæ Summum Imperatorem conſtituunt. Quemadmodum ergo Tullius, ea, quæ in Supremo Exercituum Duce, ita nos, quæ in Maximo Sacrorum Antiſtite requirantur, ut idem cenſeri poſsit abſolutiſsimum cæterorum Exemplar, in Orationis aditu decernamus.

(3) Heroica ornamenta Senatoris Eccleſiæ, Sacro cujus Imperio teneri ambiat Orbis terrarum, cenſuerim eſſe, quod Religionis, cæterarumque Virtutum profundo quodam, & ex intimis animi penetralibus erumpente fulgore inclareſcat, non extimo tantùm, ac prima ſpecie vulgi oculis blandiente. Quod ea illum perpetuò coronaverit Prudentiæ fama, ut nullus occurrat, cui hujuſce de illo laudis palmam præbere poſſimus. Quod omnium ſit, præcipuè Sacrarum, genere Doctrinarum excultus; in iis verò, quibus homines temperantur, omnes illi deferant Sapientiæ Principatum. Quod in rebus agendis, in multiplici Regimine, neque in Populi tantùm, ſed & Principum animis pertractandis exercitatiſsimus ſit: & præcipuè ab aliis Pontificibus frequenter conſultus, ſicuti pluribus placuit Imperii Adminiſter, ac penè Particeps, ita placiturus omnibus ſit ejuſdem Imperii Moderator. Quod diuturnum ſplendorem Purpuræ attulerit, Supremo Faſtigio proximus: & Eccleſiæ Divinæ, ac Pontificii Status bono in pluribus Patrum Conſeſsibus, ſummo cum plauſu, & Auctoritate proſpexerit. His certè laudibus ſi præterea in conſiliis omnibus, quorum fuerit Auctor, exitus Fœlicitatem, quam ſpondere de ſe ipſo nemo poteſt, adiicias: quis inficiabitur, Sacrum hunc Principem Exemplar illorum eſſe, quos certa propemodum, & explorata Chriſtianæ Reipublicæ Fauſtitas ad Regnum depoſcit?

(1) Recenſitæ ſingulæ Dotes, explentes Ideam Sacri Principis, qui omnium maximè idoneus ſit Supremo Eccleſiæ Magiſtratui, ita in Magno Alexandro ſummæ ſemper omnes extiterunt, ut illum nominaſſe ſupervacaneum fuerit, poſtquam ſuis eumdem coloribus repræſentavit Orationis noſtræ partitio. Poſt Argumentum itaque generatim propoſitum perorare poſſemus, hanc ſolùm adumbratam Supremæ Virtutis Imaginem, Formam geſturi vices Divini Regis, & certiſsimam Auſpicem humanæ Fœlicitatis, exhibentes admirationi, & amori populorum. Sed, ne voluptate fraudemus exultare geſtientes in ampliſsimo Egregii Principis laudum campo, quaſdam ex innumeris delibabimus. Nec profectò metuimus, ne, dum ea dicemus, quæ de aliis, abſque blandiendi periculo, prædicari nequeant, captare novi Principis gratiam videri poſsimus. Toto profectò cælo abſumus ab adulandi neceſsitate, dum tanta ſe nobis ingerit, quæque ab alio nullo Principe meti poſsit, ſaltem conferta in manipulos, laudum ſeges.

Uberrimum laudationis argumentum ingreſsis ipſa dicendarum rerum copia præpedit orationis curſum: cumque plurimæ ſe nobis exhibeant ſemitæ, quodam, ut ita dicam, implicamur labyrintho virtutum. (2) Aliquem Doctrina commendat, ſed idem non eminet in adminiſtranda Republica: alium effert Experientia rerum, ſed idem non emicat ſplendore Sapientiæ: hunc Le-

(1) *Afferemus cauſas certitudinem ſpondentes præclari Regiminis.*

(2) *Comparatio cum ſponſione facta a Tullio.*

(3) *Idea S. R. E. Card. omnium aptiſſimi Summo Pontificatui.*

(1) *Dotes omnes Ideam hanc conſtituentes in Petrum Card. Otthobonum confluxerunt.*

(2) *Nulla penitus ipſi defuit ex iis, quæ alios illuſtrant.*

Legum peritia, ſed non Naturæ, ac Divinarum Scientia rerum, ſpectandum facit: Miti quiſpiam indole amorem rapit, ſed Robore pectoris non obarmatur in crimen. Quæ ſparguntur in cæteros laudes, in Alexandrum confluunt omnes, & quæ, ut inquit nobilis Vates, *diviſa beatos efficiunt, collectas tenet*. Quoniam igitur inopes facit ipſamet copia, incerti, quam ex innumeris dotibus primam aggrediamur, præſtantiſſimæ relegemus Vitæ veſtigia, ex quibus præcipua emicant argumenta certiſſimæ Fauſtitatis, orituræ mortalibus, eò quòd Supremum humanæ Apicem gloriæ Maximus hic Heros attigerit.

Niſi plurimæ in ipſo extarent, & eminerent Cauſæ ſpondentes Orbi terrarum Optimi Regiminis Securitatem, (1) expenderem Patritiæ, ac præclariſſimæ Domus decora, Patriæque ornamenta, cujus Senatum, ut olim Romanum, Regum Concilium Legatus Pyrrhi Cineas appellaret. Magni Facundiam, Sapientiam, Fidemque recolerem Patris, qui admirationi fuit illis ipſis, quos cæteri Principes admirantur: a quo collata in Patriam beneficia perpetuis eadem proſecuta fuit gloriæ monumentis: cujus etiam Pietas Centum ab hinc Annis Romæ fulſit in illuſtri Sepulchro, (2) quod hic demortuo Fratri excitavit in Divi Marci Baſilica, cum Epigraphe: *Hieronymo Ottbobono Fratri Marcus Ottbobonus Eques Patritius Venetus poſuit Anno Milleſimo quingenteſimo Nonageſimo*: Magni, inquam, innuerem Patris præconia, niſi eadem obrueret Parente dignus Alumnus Maximus Filius: ut Alexander imminuit gloriam Philippi, Socratis Plato, Ariſtoteles autem Platonis: quos pariter in medium affero, quia Mentis etiam Paternæ, ab illo Eloquentiâ, & regendorum animorum Scientiâ imbutus Filius duplici nomine Soboles cenſeri poteſt. (3) Avum Stephanum, Proavum Antonium enumerarem, qui fortiſſimè pro Patria, & Religione pugnantes in Turcas occubuerunt, alioſque Literis, & Armis inclytos; niſi crimen eſſet, emendicare a Syderibus lucem, quam Soli affundas. (4) Id unum expendo, quod in præfixum Orationi album collineat: a Sapientiſſima videlicet Patria, Sapientiſſimoque Patre, eamdem ſponderi in Filio Sapientiam: & ab ardore, quo Proavi decertarunt in Barbaros, magnanimam incendi in Nepote ſitim penitus delendi Turcarum Nomen. Neque verò tacitus præteribo inſignem, quam Chriſtianæ Reipublicæ ominatur, fœlicitatem Patris Vita, cum integra ſemper valetudine ad ſextum ſupra nonageſimum annum protenſa: quæ pariter ævi diuturnitas, Seculum quandoque ſupergreſſa, perpetua ſerie contigit Majoribus plurimis, ſi eos demas, qui præcox in præliis fatum laceſsiverunt. Horum porrò Anni Reipublicæ conſecrati, aliique plurimi, quos Optimo Parenti mortalium, ademptos ſibi, noſter, aliorumque devovet amor, ſi iis addantur, quos eidem alioqui decretos Viride Senium, & Mentis Juvenilis Vigor deſpondet: plura profectò fœliciſsimi Imperii luſtra geſtientibus populis augurantur.

Jam verò, alienis poſthabitis fontibus laudum, quæ ſibi ſuo quaſi jure præmia præſumit Morum Integritas, (1) & Sapientia illo regnante, cujus Adoleſcentiam Cæleſtes hæ Charites excoluerunt? Fœlicem Patriam Urbem, & Italiæ Athenas Patavium; fœlices Fortunium Licetum, Bellinum, Vecchium, illuſtria nomina, quibus indultum fuit, eximium ejus ingenium doctrinis imbuere! Neque Amænioribus tantùm literis, Cæſareoque, ac Pontificio Jure, cujus Oraculum Urbi patuit, & Orbi terrarum, cum ſententiam tulit; inque aureis *Deciſionibus* perpetuo Seculorum plauſu celebrandis; (2) ſed Philoſophiâ quoque, & Arcanis Divinitatis, omniumque demum Encyclopædiâ Doctrinarum. Vehementer admiratus fui, cum exceptus humaniſsimo alloquio, unà cum duobus Collegii Græcorum Alumnis, ab Eminentiſsimo Principe interrogantem audivi, quænam uni ex ipſis Theologiæ ſtudioſo Quæſtio tunc eſſet præ manibus, quidque in illa decerneret ipſius Magiſter; acceptoque reſponſo, multiplici, doctiſsimaque argumentatione impugnantem alieni Præceptoris Aſſertiones: idemque præſtantem contra ea Phyſicæ Aſſerta, quæ Alumnus alter, ad ejuſdem tunc ſtudium incumbens, pridie ſtatuta in ſua fuiſſe dixerat Academia. (3) Enimverò exclamare compulſus fui, ſapientius nihil auditurum me fuiſſe ab illis, qui aliarum omnium curarum expertes his tradendis e ſuggeſto doctrinis inſenuerunt, ac domum regreſſus hujus commemoratione prodigii omnium tunc, aliáſque

(1) *Regalis Patriæ, atque ampliſſimæ Domus decus attingimus.*
(2) *Patris.*
(3) *Avi, Proavi.*
(4) *Ex eorum laudibus Auguria.*

(1) *Integritas Petri, & Sapientiæ ſtudium in Adoleſcentia.*
(2) *Omnium in illo Doctrinarum Encyclopædia.*
(3) *Prodigia memoris Animi.*

que frequenter, aures, animoſque ſuſpendi. Quorſum hæc recenſeo, quæ levia in Maximo Principe videri poſſint? Ut ſuus videlicet ſit honor eximiæ Viri, ornamentis omnibus cumulatiſſimi, (1) Moderationi, cujus hoc, & aliud multiplex decus indicatum non video ab iis, qui Purpuratorum Patrum Elogia texunt. Hæc quidem cum oſtenſa profectò ſint, antequam typis ederentur, Sacris illis Principibus, qui ætatem adhuc agitabant, in comperto eſt eximia Maximi Cardinalis Modeſtia, qui plurimas involvi tenebris juſſit dotes ſuas, quarum aliquibus perfuſi cæteri eas plerumque optarunt poſteris tradi. (2) Hinc autem ſolùm eruimus, quàm grande ſibi præſidium, & decus ſpondere poſſint quocumque Doctrinarum genere inclyti Viri a Principe, qui ſingularum pretium optimè novit, & claritatem ſingulis contulit eaſdem ſapientiſſima ſua mente complexus.

Literis omnibus eruditus, ſuique præſertim, aliorumque animos temperandi ſcientiâ clarus, tantæ conſentaneum Sapientiæ, ac Virtuti theatrum, (3) Romam viginti natus annos ingreditur: Romanæque Rotæ Decani, ac præclariſsimi Viri, Joannis Baptiſtæ Coccini domum frequentans, hujuſce Curiæ uſum edocetur, præter quem nihil habuit, quod ab Urbe gentium Magiſtra diſceret eximius Juvenis: aut ſaltem nihil hinc ab aliis hauſit, quin illis magno cum fœnore plurimùm rependerit ex animi bonis, quibus ubertim affluebat. (4) Ferè ſtatim Præſulibus accenſitus, Urbibuſque regendis admotus Pacem populis attulit, Juſtitiam, Fauſtitatem: ſemperque Major apparens eo, quod tunc adminiſtrabat, Regimine, cum Spoletani a finitimis diſſiderent, ipſe ad concertationem ſedandam feſtinare juſſus mira Dexteritate, Solertia, Candore, Facundia, ad arma ruituros animos extemplò compoſuit. (5) Præſagium hoc fuiſſe reor pronæ in obſequium voluntatis, quam in omnibus Chriſtianis Principibus experturus ſit ad extinguenda bellorum incendia inſigni, qua præſtabit apud omnes, Auctoritate, humaniſsima Indole, qua omnium amores demeretur, & eximiâ Sapientiâ, quæ innumeras ipſi artes conciliandi Fœderis ſuppeditabit.

Quæ ſe mutuis Juſtitia, & Pax oſculis appetiverunt, ut Divinæ perhibent Literæ, humani quoque Regiminis Fœlicitatem præ reliquis Uirtutibus elaborant. Juſtitiæ verò non illuſtre ſolùm, dum populis præeſſet, noſter Heros ſpecimen præbuit, illius omen, quam Summo in Imperio præſeferet integerrimam; verùm etiam cum Romani Areopagi Judicibus quamprimùm aſcriptus, (1) quos Rotæ Auditores appellant, totius Italiæ, imò & Europæ plauſum retulit, Sapientiâ celeberrimus, & Æquitate: eoque ſuos inter Collegas in pretio habitus, ut omnium propemodum Oraculum, ac Tribunalis ampliſſimi Arbiter videretur.

Nec diu licuit præclaro illi Senatui Maximi Viri conſortio frui, quia ſecundum ſupra quadrageſimum ætatis annum cum attigiſſet, (2) ab Innocentio Decimo, perſpicaciſſimo, æquiſſimoque meritorum Cenſore, in Sacrum Cardinalium Collegium relatus fuit, (3) in quo quanta claruerit Auctoritate dicant Comitia pro Summis eligendis Pontificibus habita, in quibus non ſemel præcipuus Auctor fuit Imperii deferendi iis, quos illi adminiſtrando aptiſſimos arbitrabatur, quique illi regendo pares ipſo experimento comperti ſunt. Illa dicant publici boni ſtudioſorum colloquia Principum, in quibus ſi alii ſcrutabantur vias ineundas ad exoptatum terminum aſſequendum: ſuggerebant alii, quænam ſuſcipiendis conſiliis moram obiicere poſſent: erant, qui prudenti lance librarent illa, quæ hac curſum, aut illac utilius poſſent inflectere: Ipſe tandem omnium Sapientiſſimus decernebat, quà iter inſtituendum eſſet, non ſine optatiſsimi exitus ſecuritate. (4) Neque tantùm Socii conſiliorum omnia expertiſsimæ illius Prudentiæ tribuebant; ſed aliorum quoque animos tanta dexteritate tractabat, ſuumque adeo in amorem rapiebat, ut libentius illi ejus in ſententiam irent, quàm ſuam ipſe alios in ſententiam optaret adducere. (5) Brixienſis dicat Eccleſia aliquandiu ſumma cum Religione, ac Sapientia temperata, & ſtatim alteri tradita, cum publicum Chriſtiani Orbis bonum ab hac illum Principe Urbium abeſſe prohibuit. (6) Illuſtris dicat Præfectura ſupplicum Libellorum pro Sacer-

(1) *Et ſummæ Moderationis.*
(2) *Præſidium Literatis Viris ab illo deſponſum.*
(3) *Acceſſus ad Urbem.*
(4) *Præclarum Urbium Regimen.*
(5) *Imperium in omnium animos.*

(1) *S. Rotæ Auditor eligitur.*
(2) *Refertur in Sac. Cardinalium Collegium.*
(3) *Quæ illius Authoritas in Conclavibus.*
(4) *Mira dexteritas in animis pertractandis.*
(5) *Egregia Brixienſis Eccleſiæ adminiſtratio.*
(6) *Et Prodatarii Muneris.*

Digitized by Google

cerdotiis, aliiſque Sacris Reditibus impetrandis, quam Datarii Munus vulgus appellat, egregiè obita, ſumma cum Æquitate, Prudentia, & geminante collatum donum Celeritate. (1) Plurimi dicant Eccleſiæ Senatorum Conventus, in quibus grande ſuffragium tulit: quos fulgore mentis negotiorum omnium latebras pervadentis illuſtravit: quorum demum illimis Oculus, & vitam illis affundens Animus videri potuit. An unus verò, aut alter, aut tertius hic Cætus fuit? At vix ullus ex plurimis, qui haberi ſolent, exemit onere Sapientiſsimum Principem ad omnia natum Chriſtianæ Reipublicæ diſcrimina propulſanda. Supremus hinc Fidei Quæſitorum Senatus inter primos Veritatis Aſſertores, & Vindices illum ſuſcepit, ſemper quidem conſervandæ integerrimæ Religioni ſolertiſſimè invigilantem; (2) at ſe ipſo majorem in extinguendo Errore, ab Inferis recèns iterum excitato per ſomnia opinantium, nullum ſupereſſe contrahendæ Periculum Culpæ, ſi ſemel fluxarum rerum amore, ipſiſque ſenſibus, intelligentia, & voluntate ſpoliatus animus vivida Fide affigatur Divinitati; (3) poſtmodum enim Quietus hic amici Numinis Intuitus, & Amplexus abrumpi non poterit, licet in probroſa quęvis facinora Inferior Pars hominis provolvatur; hæc quippe non ipſe, jam donatus conſortio Divinitatis, Homo perpetrabit, ſed Malus in illo Dæmon, Deiferum Hominem ſua perverſitate non inquinans. In hanc peſtem exarſit Divinę gloriæ ſtudio mirificè incenſus Princeps, & ad ſuam operam pro virili conferendam eidem penitus e Chriſtianis finibus eliminandæ ſibi ævum credidit propagari. (4) Sed non eam ſolummodo, verùm etiam Hydras Hæreſum omnes, Mahometicam, & Ethnicam impietatem, illius Ardori, ac Sapientiæ Divinum Numen tradidit elidendas. Quid reliquos interea recenſeam Patrum Conventus, quibus vitam, & ſpiritum fuit impertitus? (5) Sive qui Antiſtitum, & addictorum Divino cultui virorum cauſas cognoſcunt: ſive Concilii Tridentini Interpretum: ſive illos expendentium, qui Eccleſiis opportunè præficiendi Epiſcopi videantur: ſive de his ipſis jam electis Examen coram Pontifice Maximò inſtituentium: Illum Fidei propagandæ ſolicitus Cœtus: ad Libros illum expurgandos, aut prohibendos incumbens: illum Congregatio, quam dicunt, Conſiſtorialis: Apoſtolica illum Viſitatio: illum Gratiæ Signatura: Indulgentiis illum, ac Reliquiis, aut depellendæ olim Peſti addicta Eccleſiæ Divinæ Cardinum Sodalitia: & alia, quæ præterimus, plurima ſaluberrimarum Ducem, ac penè Arbitrum ſententiarum perpetuò ſuſpexere.

(1) Illius conſilium in omnibus, quæ ingruebant, maximèque arduis Reipublicæ negotiis quęſivere, quotquot ante illum imperavere, Pontifices. Ad omnia ſuperanda diſcrimina fatalem, ut ita dicam, ejus Sapientiæ Clypeum, & Haſtam adhibuerunt. Nec ſua unquam ſpe fraudati fuerunt, quoties humanum hoc Prudentiæ Numen ante jactum lapidem adeſſe potuit; ad illum enim quandoque a puteo revocandum Divina requiritur virtus. (2) Cæterùm, quæ mortales aſſequi poſſunt, omnia illi fauſta ceſſerunt, cui nullum antecellere credidit Fama e Sacris, Profaniſque Principibus, unum idemque Seculum decorantibus.

(3) Quot verò ex iis, quæ innuimus, erumpunt Cauſæ ſtatuentes Fœliciſſimi Regiminis Securitatem? Si Auctor ipſe fuit, ac Princeps conſiliorum, ut Optimos Eccleſia Pontifices ſortiretur, ac penitus introſpexit dotes Muneri propemodum Divino pro dignitate gerendo perneceſſarias, has in illo deſiderabimus? Si Prudentiæ principatum illi ultro ſolertiſſimi Principes deferebant, quam proferet e Suprema Religionis Arce, nihil relinquens Orbi terrarum ſub Sapientiſſimo Sacrorum Antiſtite formidandum? Quia

Nullum Numen abeſt, ſi ſit Prudentia; ſed nos
Te facimus, Fortuna, Deam, Cæloque locamus.

Si nulli labori parcens innumeris interfuit, in devexa etiam ætate, Purpuratorum Conſeſſibus: ac ſynceram in omnibus, ſolidamque, nihilque affectatam Pietatem exeruit; quàm vigilem, & ad omnia intentam ſolicitudinem in ipſo rerum potito ſpectabimus? Si ejus Facundiæ, Sapientiæque ampliſſimi Collegæ, atque ipſi Divinitatis Proreges tantùm perpetuò tribuerunt, gratam quodammodo vim ſuis ab illo ani-

(1) *Summa ejus exiſtimatio in Sacris Congregationibus.*
(2) *In illa S. Officii exarſit contra Quietiſtas.*
(3) *Peſtilentes horum Errores.*
(4) *Contra Sectas omnes flagrabit in Imperio.*
(5) *Ferè omnibus Sacris Cœtibus interfuit.*

(1) *In arduis omnibus cauſis quæſitum ejus Oraculum.*
(2) *Quoties ante jactum lapidem conſultus fuit, impendentia mala prohibuit.*
(3) *Heroici Securitas Regiminis orta ex indicatis dotibus.*

Digitized by Google

animis inferri profeſſi : (1) per annos ſeptem, ac triginta, quibus Purpuram decoravit, regnaſſe videri poteſt; ideoque tanti Experimentum temporis ad Regnum tandem aliquando ipſi demandatum attuliſſe.

(2) Qua porrò gloria circumfluit hic ad Sacrum eidem patefactus Imperium aditus? Quæ magnam Maximi Principis Electionem circumſtant, Divino illam Numini manifeſtis argumentis vindicantia, ideoque Orbi Chriſtiano ſpondentia inſolitam Fauſtitatem? Eam certè præſumere urgemur ab ipſa Divinitate, quæ non incaſſum Prodigiis adeſſe voluit renuntiationi pulcherrimæ. (3) Parcas, Optime Princeps, ea recolenti, quæ moram Tibi obiiciebant, ut Sacræ Tuæ Præfecturæ gloria ex ipſa ſumat incrementum Arduitate: ac pateat, quid ex illa ſpondeat mortalibus Providentiſſimus Deus ejuſdem Aſſertor. Increbuerat rumor, e primaria quempiam Romana Nobilitate Cardinalem, ex qua plurimi meritis præclariſsimi Comitiis intererant, ad Solium evehendum. (4) Legendus credebatur ex iis Collegiis, quibus aderat Ductor: aut ex eo potiùs, quod Trium ac Triginta Purpuratorum numerum, quamvis deſtitutum Duce, conflabat. Neque ullam veri ſimilitudinem præferebat conſilium ſeligendi Unum ex Quatuor, qui, nullius ductum ſecuti, ſupererant ex vetuſtiſſima Claſſe, jam honeſtata Duobus ex ipſa vocatis ad Apoſtolicum Thronum: interque hos illo ipſo, qui omnium poſtremus illum inſedit. Neſcio qua demum de cauſa a duobus jam ſeculis, & annis præterea quinque ac viginti, nullus aſcitus fuerat ad Sacrum Imperium ex Venetis Patribus; quamvis aſſuetis a prima pueritia experrectum animum magnis conſiliis exercere; ideoque aptiſſimis populorum Regimini. (5) Summa, qua Maximus hic Heros floruerat in aliis Comitiis, & apud ſuos Deceſſores, Auctoritas abalienare ab illo quorumdam animos, injuriâ certè, ſi minus jure, potuiſſet; quamvis enim in omnibus Reipublicæ commoda perpetuò ſpectaſſet, ſemper tamen pars aliqua invidiæ adhæreſcit iis, qui conſuli ſolent, ac plurimi fieri conſueſcit eorum ſententia. Licet autem tot ſubeſſent cauſæ, quæ ſummam ab Orbe terrarum in præclariſſima Electione fœlicitatem avertere poterant, eam tamen omnium vota ſunt aſſecuta.

(1) *Regnaſſe in Purpura videri poteſt.*
(2) *Electionis gloria.*
(3) *Ejuſdem arduitas.*
(4) *Multiplex hujuſce arduitatis cauſa.*
(5) *Alia cauſa.*

(1) Adminiſtrandi quidem a Te Regni ſpem non ſine quodam ſacro metu conceperamus, cum ea non eſſet in mortalium genere conformatio morum, cui tam ingens fauſtitas conſentanea videri poſſet. Tuum cæteroqui in ſinum confugiebat concuſſa Reſpublica, ſupraque Te, ut inquit ille, ruebat Imperium. Si læta ſolùm, & proſpera rerum facies Eccleſiam exhilaraſſet, Tuis fortaſſe annis parcendum fuiſſet. (2) Sed aſpera, & ardua neceſſitatem Tui Magnanimi pectoris, Sapientiſſimique conſilii Electoribus impoſuerunt. Ter Optimus dignus eras, qui ab Optimis, in hoc præſertim maximarum rerum articulo, eligereris. (3) Olim enimverò rapi ad Supremum Faſtigium promerebaris; ſed viſum Superis fuit expectari tempus, quo magis liqueret, Maximum a Te collatum fuiſſe Chriſtianæ Rei munus perpetuis exercitam laboribus vitam coronante laborioſiſſimæ oneribus ſenectutis. Mirandum alioqui fuiſſet, quod Electores egregii Meritiſſimo Principi huc uſque Imperium diſtuliſſent.

(4) Poſt moram non diuturnam Comitiorum, in quibus auſus fuit nemo parem Te Divinis obeundis Vicibus diffiteri, omnia in unum ſuffragia conſpirarunt. Electus autem a Senatu ſuffragiis, a Populo, ac Regibus, & omnium quidem votis, eligebaris. Prodigio ſimile videri potuit, quod cùm apertè plurimi grande hoc Decretum parturirent, illud deinde fauſtiſſimè pepererint omnes; cum abortum pati perpetuò conſueverint hujuſmodi fœtus, quos per dies plurimos Sacri Senatus eniti laborant. Fluxerunt autem, cum de Te ageretur, dies Quatuor & Quadraginta. Ac tanti quidem fuiſſent Anni, ac Luſtra, quæ Te moderandis generis humani habenis admoverent. (5) Et quis in Regali Sacerdotio Tuo mortalibus indulto, dum tanta illius neceſſitas Eccleſiam urgeret, & ad illud aſſequendum tot eſſet repagulis obluctandum, Providentiſſimum Divini Numinis conſilium non intuetur? Quis ab hoc tam præſentis Divinitatis inſolito molimine non haurit Fœliciſsimi Regiminis Securitatem? Profectò non incaſſum per Prodigia ſe mor-

talium

(1) *Tantam mortale genus fauſtitatem non promerebatur.*
(2) *Sed difficillimis temporibus neceſſarius erat.*
(3) *Divinum dilatæ Electionis conſilium.*
(4) *Totius Chriſtianæ Reipublicæ votis electus eſt.*
(5) *Singularis providentiſſimi Numinis favor patuit in hoc Electione.*

Digitized by Google

t·lium conſiliis palam, & apertiſſimè Deus immiſcet.

Evectus igitur ad Petri Solium fuit Maximus inter Purpuratos Principes Heros Petrus Otthobonus, (1) inque illo juſſa eſt imperare ſumma Religio, eximia Morum Integritas, Prudentia major humanâ, omnigenæ Doctrinæ fulgor, Juſtitiæ Ardor, Indoles beneficentiſſima, Magnanimitas, Humanitas, Candor, omniumque Virtutum, & Gratiarum exultans Chorus. (2) Neque abs re magnum ab Alexandro Nomen aſcivit. Ipſe quidem unius ex illis memoriæ Pontificum conſulens, quibus contulit Regnum, ſibi aliquando deferendum; ſed ad illud ſeligendum actus divinitus in certum Omen multiplicis, reſponſuræ ampliſſimo Nomini, fœlicitatis. Nequo verò in Profani tantùm Alexandri fortunæ Auſpiciis hæſurum me, quiſpiam arbitretur. Omnium, qui ante illum hoc uſurparunt, Pontificum præcipuas dotes unus repræſentabit.(3) Si *Primo* (4) Sanctiſsimo *Alexandro* plurimùm debet Chriſtiana Fides, ab illo innumeris, & præſertim nobiliſsimorum Quiritum animis inſinuata, ſacroque deinde ſanguine aſſerta: eam Noſter ampliſſimè prolatabit, cujus incenſus mirifico ſtudio fulſit in Sacris Conventibus Fidei Quæſitorum, eidemque propagandæ ſtrenuiſſimam operam conferentium. Si (5) *Secundi* prærogativa fuit, quod merito eximiæ virtutis prælatus fuerit Romanis Præſulibus, quorum plurimos egregiæ tunc dotes ornabant: quod ſubverterit inſanam audaciam Cadolai: quod per Sanctitatem, & Doctrinam Petri Damiani ſuſtulerit Schiſmata, Tyrannos frænaverit per Gulielmum Normannum: quod Henricum Tertium Cæſarem, de magnis criminibus ad ſe delatum, ad dicendam cauſam ſua fretus auctoritate Romam advocaverit: ita quemadmodum ſimilis Heroi Noſtro ſortitio contigit præ tot illam promeritis Purpuratis Quiritibus, perinde Pontificia Magnanimitate, quoniam Catholici Principes in officio ſe continebunt, utetur in Barbaros. Si, præter alias innumeras dotes, (6) *Tertius* illuſtratus fuit ex domito Friderico Imperatore, cui Venetiis ſuos ad pedes accidenti, Super Aſpidem, inquit, & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem: eundemque habuit obſequentem in expeditione in Saracenos ſuſcepta: contra Noſtrum invicti animi Principem frontem eriget nemo, atque Ipſi facillimum erit optimos Reges urgere ad ſupremum excidium Turcarum Tyranni. (1) Si *Quartum* inſeruit Heroum concilio ardor animi in Manfredum, & Ezzelinum, in Albigenſes, alioſque Hæreticos: calcar additum Regibus ad ſubſidium Paleſtinæ ferendum, quod, illo auctore, Sacrumque indicente bellum per ſolenne præconium, in ſe plurimi receperunt: & præter Danielem Ruſſiæ Regem ad Romanæ cultum Cathedræ revocatum, Græci omnes ad Fidei cum Latinis conſortium perpetua contentione ab Optimo Pontifice allecti: & Ille, quo præclariſſimo ætas noſtra ſuperbit, Hæreſes fœliciſſimè, ac Schiſmata profligabit, ac poſt occupatam Conſtantinopolim nulla ſupereſſe gaudebit in Oriente Chriſti nomine conſecrato nobiſcum Religionis diſſidia. Nec minor Illi, (2) quàm *Quinto*, & *Septimo*, inerit Sapientia, Integritas, vigilantiſſimum Studium, & Amor in Urbem Romam, quam *Quintus*, licet difficillimo tempore, exemit a jugo Ladislai, *Septimus* autem ob eandem Cæſareo certè animo, niſi viribus, exornatam, non minorem, quàm Auguſtus laudem fuit aſſecutus. Cum *Vno*, quem conſultò præterivi, commune nihil habebit, præter anſam illi oblatam exercendæ Auctoritatis ampliſſimæ in celeberrima Linea, qua detegi paulò ante inceptam partem maximam Terrarum Orbis diviſit inter Caſtellæ, ac Luſitaniæ Reges. Pronum Heroi noſtro pariter erit, (cui, præter Pontificium Munus, ſuæ quoque Prudentiæ omnes antegreſſæ, reliquarumque Virtutum omnium Fama pondus Auctoritatis augebit,) Thraciam, Syriam, Ægyptum, Perſidem, dividere inter Chriſtianos Principes, ubique gentium ſpargentes ſub illius Auſpiciis Fidei Trophæa.

(3) Et curſim Octavus ipſe numerus expendendus eſt, qui multiplici nomine contigit Alexandro, non ſine augurio fortis optandæ, cum illum impleant ea, quæ, Divini Magiſtri ſententiâ, ſtatuunt Beatitatem: inque illo definere Spei complementum, Summamque Virtutum; Magnus Gregorius affirmaverit: neque ulterius intendi, quæ corporibus accidunt, Qualitates, Philoſophi doceant: præter Arcana, quæ,

(1) *Virtutes, quæ in illo imperare juſſæ ſunt.*
(2) *Cur aſcitum ab illo Alexandri nomen.*
(3) *Sunt in illo dotes omnes Pontificum Maximorum, qui hoc nomine inſigniti fuerunt.*
(4) *Primi.* (5) *Secundi.* (6) *Tertii.*

(1) *Quarti.*
(2) *Quinti, & Septimi.*
(3) *Fœlix Omen ex eo, quod Octavus ſit inter Alexandros.*

Digitized by Google

quæ in hujus perfectione Numeri Pythagoræi, ac Platonici contemplabantur. (1) Nec defuere, qui animadverterint Aeris Serenitatem, ipſiuſque, ſubtriſtis antea, Solis Lætitiam eo temporis articulo, quo de recreando per Alexandri Electionem mortalium genere palmare Decretum ſancitum fuit: ſuccedente quoque Favonio in imperium Romani aeris, pulſo moleſtiſſimo Noto nos vexante, dum incertus de ſumma fortuna noſter animus quatiebatur. (2) Et Brunonis quoque Viri Sanctiſſimi, cui conſecratum diem albo perpetuò lapide fauſtiſſima hæc Electio conſignabit, Brunonis, inquam, *Glorioſa Pænitentia* viſa quibuſdam fuit reſpondere Vaticinio Sancti Antiſtitis Malachiæ. Quamvis his aliunde, nec omnibus congruente Interpretatione, Propheticis verbis occurrimus in Orationis Exordio.

Sed cur a præteritorum facinorum gloria, & iis, quæ Magni Pontificis Electionem circumſtant, indagamus cauſas afferendæ mortalibus ab Alexandro certiſſimæ Fauſtitatis, (3) cum Facta ipſa loquantur, primos eximii Principatus dies illuſtrantia? Quem non incendit filiis inſitus in Parentem amor, cum Sol hic, tunc primùm exortus, ad tenebras e Vaticana Baſilica depellendas illatus in illam fuit? Quod erexit gaudium animos exultantes, cum Vultum illum ſuſpeximus, ex quo in Populum Amor, Religio ſpirabat in Deum? Intuitum illum cœleſtium verè Paternum oculorum: nativam illam, temperatam humaniſſima Indole, Majeſtatem, quæ ſuperbiæ nihil ex gloriæ incremento contraxerat: Alloquium illud, quo e ſublimi Sede dignabatur Præſules iter ante illam inſtituentes: nunquam antea viſam Affabilitatem, ex qua Major Imperio, & eidem aſſuetus Animus emicabat? Tunc enimverò altius inſonabant feſtivæ populorum voces, quorum clamore concuti videbantur Porticus, ac Templi marmora, nullis quatienda cæteroqui arietibus Seculorum. Neque verò tenues in laudes Populus, ac Senatus Quiritum effundebatur; ſed in egregias, Magnoque Principe dignas, cum in Pontificia Sede ſupra omnium capita, non tam geſtatorum manibus, quàm plauſibus univerſorum elatus, neſcire videbatur omni ſe præeſſe mortalium generi: adeò nihil nativæ oris dignitati addiderat Principatus. (4)

(1) *Et ex Electionis tempore.*
(2) *Et ex die conſecrata S. Brunoni.*
(3) *Plauſus illi datus, cum in Vaticanam Baſilicam illatus eſt.*
(4) *Mira illius Humanitas, aliæque Virtutes ab ipſo vultu ſpirantes.*

Incerti hæſimus, Dominum ne, an Parentem ſuſpiceremus. Sed eò magis excelſus, & eminens in Cælum efferebatur, quò ſe amplius mitiſſimo intuitu, dignatione, & alloquio ſubmittere geſtiebat. Quid, cum procumbentes ad proculcantis Tartarum Pedis, & Cælum aperientis Manus oſculum Collegas paulò ante ſuos arctiſſimo devinxit amplexu, ac ferè penetralibus animi inſeruit! Quàm certa Charitas, Moderatio, Manſuetudo, Humanitas, Beneficentia ſpondetur a pulcherrima Optimi Pontificis Indole, in Vultu, Oculis, Geſtibus manifeſtiſſimè coruſcante!

Et has quidem Divinas Charites geſta, & verba omnia Maximi Antiſtitis eloquentiſſimè conteſtantur. (1) Oculos illico, & curas per Orbem Terræ cum Sole diſpergens, datis ad Maximos Chriſtianæ Reipublicæ Principes Pontificia manu exaratis literis, illorum in ſe amores hac etiam humanitate magis incendit, ut in magnis, quæ molitur pro Divinitatis gloria provehenda, Miniſtros illos habeat alacres, & expeditos. Vix Regnum auſpicatus oſtendit eamdem Securitatem, quam aliis comparant obiti Supremi Magiſtratus Luſtra. Indicto ſtatim Duodecim e Sacro Senatu Virorum Conſeſſu ſententias eorumdem exploravit pro avertendis incommodis, & incrementis Eccleſiæ ſedulò accurandis. Præmiorum, quæ conferri ſtatim videmus, hilari Spe magnanimam Virtutem fovet, ac vegetat. Nec periculum ſubeſt, ne Metus quoque Supplicii ſub Sapientiſſimo Principe, quem decipere nullus queat, deterreat a Crimine. Inter inſanabiles tamen, ut inquit ille, morbos, neceſſaria quandoque, Principis indignatio non numerabitur; cum Æquiſſimus Judex, idemque Mitis, & Pœnæ terminum ſtatuere, & cauſas cognoſcere præclarè noverit: neque is ſit, quem vel Detractorum malitia, vel Natura ſubtriſtis, & in Condemnationem prona, tranſverſum agat. Non difficiles aditus, non admiſsionis mora, niſi cum Publicarum cura rerum privatis obſtat ſingulorum votis. Non mœſti, ac ſpem elidentes, ſed blandi, ac fiduciam lactantes, excipientis Vultus. Rogari aliquando faſtidiens preces occupat, & ingerit munera, gratiarum etiam actione quandoque prohibita: vel ſaltem auget in majus Beneficium ſplendido dicto, ac teſte amantiſsimæ voluntatis, quæ culpare videtur petitorum modeſtiam. Perpetuo curarum flectitur curſu, inſtar Cæleſtium Orbium, qui terrarum commodo conſulentes

tes

(1) *Prima Sapientiſſimæ Curæ.*

Digitized by Google

tes veneratione fruuntur plurima , quiete nulla.

(1) Licet oneret Illum Maxima Fama, qua Regnum inivit, eamdem tamen auget quotidie admirabilior, & major: adeoque reliquos antegreſſus, ut deſit, quem æmuletur, niſi Seipſum. Quàm jucundo ſenſu blanditur animis Quiritum experrecta illa, & vivida inductio naturæ, feſtinantis ad publicam Fœlicitatem afferendam? Moroſæ quidem, ac ſæpe nocituræ Cunctationis odium, exortum a Mentis robuſtiſsimæ vaſtitate, circumſpicientis omnia, & etiam in futurum curas ejaculantis, mirificè hilarat Principum Aulas. Præſertim verò cum liquidò conſtat, ita pertractanda negotia, ut lentè feſtinando neque tarditas frigoris eadem deferat. neque impetus caloris evertat.

(2) Hinc in eo, quod præcipuè Principem oſtendit, videlicet in eorum ſelectu, qui ſtrenuam ſub illo publicæ ſaluti operam navent, laus utraque fulſit feſtinationis, & moræ. Quæ præterea comprehenſio Meritorum, qnod Æquitatis lumen, quis commune bonum amantis animi nitor? Ut nihil immerenti collatum, ſive ſuo quoſdam in Munere confirmaverit, ſive ad reliqua inſignes Viros aſciverit! (3) At Ille, cui prçcipuas tradidit Sacri Miniſterii partes, Maximi Patrui Nomen, ac Dotes referens, perpetuâ famâ efferet Electorem ſuum, qui rectè, ac ſapienter inſtitit mori, recepto ab omnibus ferè, qui ante illum noſtro, & huic proximo, Seculis imperarunt, Pontificibus, interque hos ab ipſo Beato Pio Quinto, antiquæ Sanctimoniæ retinentiſſimo Principe. Nullius adeo intereſt Principis gloria, quàm qui eidem obſtringitur non ſolùm in ſe collatæ beneficentiæ, ſed etiam infuſi a natura Sanguinis nexu. Ab hoc autem fonte Sors nulla derivaretur in præſens, niſi adeſſet in Petro maxima cum Alexandro ſimilitudo. Quis autem in Juvene Religionis ardor, quæ Ingenii, ac Doctrinæ multiplicis ornamenta, quæ ſenilis Prudentia, quàm apta Indoles adminiſtrandæ Reipublicæ, prima ipſa die viſa Par ampliſſimo Magiſtratui, & manifeſto in ſole ſtatuens, a quo diu fuit edoctus, Sapientiſſimum Patruum! Hoc ergo etiam nomine præclarè de omnibus mereris, Pontifex Optime, quod hunc, futurum Romæ Præſidium, ac Decus Purpuræ, ac Beneficentiſſima Tua, (1) Magnanimaque conformatione animi cum illo imbutos Fratris Tui, ac Sororis, Filios ad Tecum afferendam fœlicitatem publicam evocaveris.

Ex iis, quæ Quatuor intra dies præſtita vidimus, Cauſas eruimus, certiſſimam nobis vindicantes in poſterum Fauſtitatem? (2) Nec illam admiramur, qua fruimur in præſens? Per eam certè producti plures in Annos Principatus Fama immortalis vigere poſſet. Et nobis illam Quatuor ipſi dies peperere. Jam Exteri ad Urbem feſtinant: ſuum pecunia curſum inſtituit: artes florent: Inopia, mater vitiorum frequens, vulgo ſubtrahitur: recens doctrinæ vigor accedit: novus Aulam ſplendor exhilarat: recreatur Præſulum ſpes: Auctoritas Principis, cui Conſtantiâ pectus armari, Juſtitiâ manum, dubitat nemo, frænum omnibus iniicit: peccare vetat ipſa Clementia, cum omnes pudeat moleſtiam creare Paterno, ac Beneficentiſſimo Principis animo: bonis redundat univerſa Reſpublica ſupra votorum audaciam.

(3) Conſilium ipſum a plurimis jam ſuſceptum de tribuenda Heroi Maximo Præfectura Sacrorum, adeoque ipſa tantùm Spes Electionis fauſtiſſimæ, de medio ſuſtulit Diſſidiorum Cauſas, recedente Magno Regnatore ab iis, in quibus animum obfirmaverat. Quæ verò hinc Romæ quies, quæ artificibus commoda, quis Aulæ fulgor, quod Eccleſiæ decus adjectum eſt! (4) Vix illo renuntiato Pontifice, ac profectò in præmium Electionis pulcherrimæ, illuſtres Urbes, inclytamque Provinciam recepit Apoſtolica Sedes. Hæccine Hiſtorico, & compendiario quidem, more tantummodo indicamus, in quibus amplificandis nullo negotio triumpharet cujuslibet Oratoris infantia? Sed enim numeroſæ ſuæ gloriæ ſucceſeat Maximus Principum, ſi tantùm innuimus, quæ celebrari pro dignitare non poſſunt, niſi creſcat in immenſum Oratio. Quæ fauſtiſſimi Regiminis Meridies erit, ſi Auroræ plauſerunt Superi tot in nos donis munifica manu congeſtis? Innumera ſoboleſcent, ob quæ agendæ erunt Principi gratię, cum Urbi ſecuritatem, Sacręque Suę Sponſæ Provincias illico redonaverit.

(5) Unus, & alter effluxerat, ex quo regna-

(1) *Auget maximam Famam de illo ſparſam.*

(2) *Egregius Miniſtrorum ſelectus.*

(3) *Præconium Petri Cardinalis Ottboboni, in quo inſtauratæ Dotes Maximi Patrui.*

(1) *Aliorumq; ex Regnatrice Domo Principum.*

(2) *Fauſtitas a primis quatuor Imperii diebus parta.*

(3) *Et ab ipſo Alexandrum eligendi conſilia.*

(4) *Et ſtatim poſt Electionem.*

(5) *Nuntii relata Victoria.*

Digitized by Google

regnare cœperát, dies, cum, Arrha inſtantium ſub illius Regimine Triumphorum, certiſſimus Romam nuntius erexit ſex internecione deletorum Turcarum millium, præter innumeros, quos flumen abſorbuit: in præcipitem fugam cum imbellium copiarum reliquiis acti Viſirii: occupatæ Niſſæ nobilis Urbis, & Arcis, cum ingenti cibario, & bellico apparatu: patefacti Sophiam, & ad celebres Trajani Portas militaris expeditiſſimi itineris: jamque conſignatæ Trophæis Invictiſſimi Cæſaris dimidiæ viæ, quę Viennâ Conſtantinopolim ducit; cum præterea de reliqua facillimè conficienda formidandum nihil ſuperſit, ingerentibus ultro Leopoldo vectigal, & ad acceptiſſima Exercituum Deo illius Vexilla convolantibus Serviis, ac Bulgaris: ex quibus qui in Patria ſe regione continuerunt, comparato animo ſunt ad Turcas a tergo invadendos, dum fronti exultantia victoriis agmina inſtabunt.

(1) Cum hæc in anteceſſum dona Cęlum indulſerit, dum agebatur de Magno Eccleſiæ Viduæ oculis ſubjecto Sponſo ſufficiendo, augurari libet in extrema oratione, quam eidem Dotem decreverint Superi. Sophia, Trajani aditus, & nomen a Philippo, & Adriano ſortitæ Urbes, loci naturâ impares obſiſtendo recentis militiæ artibus, nec ſatis a conſternatis metu Thracibus defenſæ, quamprimùm nobis patebunt. Ut quinque ab hinc annis in conſignato Typis Libello ſpopondimus, omnes e Græco Ritu Chriſti cultores nobis contra Barbaros adhæſuros: idque in Boſnis, Raſcianis, Serviis, Bulgaris, Morlachis, Epirotis, Achaicis, Peloponneſiis, Atticis, aliiſque plurimis impletum vidimus: ita idipſum certò ſpondemus de Thracibus, cæteriſque Turcarum adhuc Tyranno ſubjectis. Nobiſcum illi contra oppreſſores ſuos arma diſtringent. Penè jam ſibi ingeſtis vinculis exempta Vienna, occupata Buda, Belgradum, aliæque in Ungaria, finitimiſque Provinciis inclytæ Arces, cumque univerſa Peloponneſo Atticæ pars, aliæque non contemnendæ Urbes, & Inſulæ, quæ Optimi Deceſſoris Imperium illuſtrarunt, Sydera erunt a fulgentiſſimo alterius Sole fœliciter obruenda. Audito Veneti Alexandri Nomine horrore quatientur corda Turcarum: reviviſcet Græcia, Macedonia cum Epiro triumphabit: geſtient Jonii, Cretici, Cyprii maris, ad Boſphorum uſque porrectæ Inſulæ: Thracia ipſa, cum, Cæſarea olim, miſera nunc ſervitute ingemiſcente, Urbe proximæ ſpe libertatis exultabit: cujus compotem fore ſe ominabitur univerſus Oriens, una ex parte complexus conſecratas ab induto Mortalitatem Divino Numine Regiones, ex altera protenſus in Perſidem, & alia barbara Regna, Macedonis olim Victoriis illuſtris, Majoris nunc Alexandri Auſpiciis in Divinum, per Chriſtianorum Principum, ac Venetæ præſertim Reipublicæ Trophæa, Imperium fœliciſſimè vindicandus. Nulla ſubeſſe temeritas poteſt grandibus votis, & magnanimæ ſpei, quam animat Alexandri, & Veneti quidem, Nomen, & Virtus. Verùm, utcumque vinci rogaturi ſint populi, non unus nobis Annus Jordanem, Euphratem, Tigrim, captos Magni Nominis Famâ, Maximæque Virtutis admiratione ſociabit. At Magni Conſtantini Urbem, antequam Secundum aggrediatur annum Maximus Alexander poſt creditam Patrocinio ſuo Chriſtianam Rempublicam, noſtri juris fore propemodum video. Non hæc, ipſi penè impervia Macedoni, Tyrus eſt. Arx illi nulla: Murorum propugnacula Romanis decedunt. Sexaginta fortium bellatorum millibus ceſſuram affirmant expertiſſimi viri. Quid, ſi ſuppetias eidem a Scythis afferri prohibeant Moſchi? Quid, ſi terra, marique illam urgeant Fœderati Principes? Quid, ſi Divinum Numen, quod omne in Turcarum animis, perpetua ſeditione furentium, ſeſeque viduantium fortiſſimis Ducibus, quibus guttur elidunt, conſilii lumen extinxit, aliis quoque Prodigiis adſit? Enimverò, ſi expediat hyemes in barbaros armare, duratus adamantis in morem Helleſpontus bella transferet tergo: ſubſident, ſi fuerit opportunum, montes, areſcent flumina, litora conjunget Oceanus. Sed non flagitamus Prodigia, cum abunde ſit conſuetam ſervari ſtrenuitatem in Cauſæ Propugnatoribus, a quibus per ſeptem jam annos perpetua Victoriarum ſerie Barbari debellantur.

Exactis Europâ Turcis ſpectantem Orientis Solis cunas Orbis terræ partem luſtrabimus. Præter immiſtos jam glorioſiſſimo Fœderi, Cæſarem, Reges, Regiaſque Reſpublicas undique Barbariem urgentes, jam ferè intueor, non ignotas Ægypti, ac Paleſtinæ littoribus, anchoras admoveri: inſerta olim Engaddi, & Hiericuntis hortis iterum florere pulcherrima Lilia: aſſueto rurſus gladio meti avidas Libani Cedros, Palmas Idumes. Quis importunus hic monitor funeſtat animum commemoratione obſtaculorum, quæ Sacræ viam Expeditioni nunc intercludunt? Obvium eſt affirmare Gordios difficultatum Nodos Sapientiſſimi Ale-

(1) *Fauſta Auguria.*

Digitized by Google

Alexandri Gladio ſcindendos. Ut olim magnificè dixit apud Senecam Megara;

Si novi Herculem,
Lycus Creonti debitas pœnas dabit:
Lentum eſt, dabit: dat: hoc quoque eſt lentum: dedit:

ita, quia novimus Alexandrum, non ſolvenda in poſterum ab illo dicimus Contentionum implicatiſſima Vincula, ſed jam ſoluta. Omnia illius virtuti repagula cedunt. Principum nemo magnanimis conſiliis obſtat; cum omnes beneficentiâ rapturus ſit ſuis obſequi nutibus geſtientes: jamque vias profectò invenerit, in quibus ineundis acquieſcere poſſint omnium animi: & aliquid præterea indulgendum eſſe fœliciſſimæ Opportunitati delendi penitus hoſtes Chriſtiani Nominis, nemo non videat. Utcumque maxima præſtet, ac penè Divina poteſtate, ad omnia tamen opportuna temporibus obtinenda plurimùm addet Pontificis Nomini honor habitus Alexandro.

Grande Victoriarum pretium erit Divina Fides latiſſimè amplificata. Lutulentæ ſuæ poſt Mille ab illius exortu annos interitum Sectæ imminere, præloqui compulſus fuit, ea ſolùm vice propheticè locutus, infanus Arabs. At melior, ac verè divinitus afflatus, Vates Martinus Stridonius (præter alia a nobis alibi recenſita inſtantis Omina fœlicitatis) ſynceram Chriſti Religionem quamprimùm in Conſtantinopolis Foris, & expiatis Fanis apertè Græcâ linguâ prædicandam, diſertè prædixit. Poſt illam occupatam Urbem in conſtantiſſimum Maximi Pontificis obſequium venturos omnes Græci Ritus Sectatores, ominari auſim. Neque nihil conferet ad eos alliciendos Veneti Pontificis Nomen; quemadmodum enim Regali ejuſdem Patriæ humano famulatu ſervire ambiunt, ita Divinas in illo Vices obſequio amantiſſimo proſequentur. Sacra Latinos inter, & Græcos Fœdera conflari a Venetis Eccleſiæ Moderatoribus conſueverunt. Sed Quartum deſtituit Eugenium fœlicitas conſtantis in pleriſque Græcorum ingenii, quæ Octavum ad gloriæ faſtigium efferet Alexandrum. Cum primùm a ſancito Florentiæ Sanctiſſimo Religionis conſortio reſilierunt, nondum in illos animadverſum divinitus fuerat. Imperio deinde, Cæſareaque Urbe capta, & everſa, miſeros pœna ipſa excæcavit. Nunc etiam Tyranni metus concutit, veritos, ne cum Fide Arma quoque nobiſcum in Turcas conſociaturi credantur. Non pauci verò ex iis, quos barbaries Othomanna non premit, indecorum putant in Sacris non ſequi pleroſque ſuorum infœlix etiam nunc jugum ferentes. At fractis omnium vinculis, flagrante amore in ſuæ Libertatis Auctores, reſtituta cæcutientibus animis die ab ipſo Libertatis bono ſuaviſſimè ingerente comparationem cum Supplicio graviſſimæ captivitatis Tertium jamdiu Seculum ingreſſo, ultro requirent Ovile Romani Paſtoris, intra quod ſuo infortunio edocti perpetuò ſe hilares continebunt. Alios etiam in Occidente ad Alexandri Annos illuſtrandos Eccleſię Triumphos adornant Superi. Quæ in magnum, Illius præſertim ope, non erupit incendium peſtilens libidinis, & ſuperbiæ flamma, & ſub Quieto fortaſſe nunc etiam cinere ſcintillas fovet, penitus extinguetur. Plurimis Tartarea Hæreſum Hydra verticibus orbabitur. Quo in Oriente corruet funere Mahometica Superſtitio, geminos idem Mahometes Occidentis Lutherum opprimet, & Calvinum. Conſecrabitur iterum cum finitimis Inſulis, olim florentiſſima Regia Sanctitatis, Anglia, illius ad Solium revocato Præclariſſimo Rege, Fortiſſimoque Religionis Catholicæ Defenſore. At indicata fœlicium Eccleſiæ fatorum Præſagia hoc uno, eodemque omnium fauſtiſſimo continentur: Diutiſſimè Chriſtiano populo præerit Alexander. Suorum, quæ non ſine Prodigiis terræ indulſere, munerum Superos optimos non pœnitebit. Ferè omnes, qui cæterorum aptiſsimi ad Sacrum Regimen habiti ſunt, cæteris diutius illud adminiſtrarunt. Ita Petrus, & qui omnium Primi ſumpſere Sylveſtri, Julii, Damaſi, Innocentii, Leonis, & Gregorii Nomen: Tertius pariter Leo: Secundus, ac Tertius Alexander: Tertius Innocentius: Septimus, Nonus, ac Tertiuſdecimus Gregorius, & Quartus Eugenius; ne unum alteri præferam ex iis, qui noſtro Seculo imperarunt. Hos inter, qui diu ac præclariſsimè Regale Sacerdotium exercuerunt, & quorum aliquibus Agnomen Magni tributum fuit, cæterorum etiam Heroicæ Virtuti tribuendum, Magnus enumerabitur Alexander. Hoc enimverò grande Agnomentum non adhæſiſſe reor pluribus idem promeritis ex Maximis Pontificibus Alexandri Nomen ſortitis, quia Divino conſilio reſervabatur Octavo.

Pa-

Pugnantium cum ſingularum Victoria Virtutum Triumphum fulſiſſe

IN

CÆSARE CARDINALI RASPONO.

ORATIO XXIII.

Habita in Templo Recedentium ab Hæreſi, quos hæredes idem inſtituit,

Ad Eminentiſſimos S. R. E. Cardinales.

QUamvis immortalitate famæ digniſſimo Viro Cæſari Cardinali Raſpono, Eminentiſsimi Principes, æternum Sepulchrum excitatum ſit in animis poſterorum, ſique par illius mentis amplitudini quæreretur urna ad ſacras erepti nobis beneficentiſſimi animi exuvias excipiendas, publico illa juſtitio a Regnis omnibus paranda eſſet, quæ perfida Hæreſis hydra veneno infecit; (1) tamen hic qualiſcumque doloris cultus nunquam æquius Optimo Parenti a filiis, amantiſsimo a populis Principi, perſolutus eſt, quàm in præſentia tribuatur ab iis, quos hæredes idem inſtituit Eccleſiæ parentis nuper in ſinum receptis, extincto huic Romanæ Purpuræ Syderi, cujus deſiderium honeſtiſsimo fletu lamentantur. Sed quemadmodum tantæ beneficentiæ memor animus æquiſſimo hoc jure præſtat; ita triſti ſilentio, & mæſtitia tacita, defixa hæc, virtute, auctoritate, potentia, præcipua Urbis lumina fluctuare me cogunt incertum animi: omnemque ardorem linguæ in laudem incomparabilis Herois effundi prægeſtientis quaſi flumine quodam lacrymarum obruunt, & extinguunt. Quidni enim in tanto luctu ſqualeat oratio? Quid argumenti amplitudini par afferri ab imparato poſsit, qui licet laborioſâ diuturni temporis curâ omnes induſtriæ nervos intendiſſet, nihil tamen auguſtâ coronâ dignum hiſcere auderet? Quia tamen parendi religio nos urget, cum immenſa nobis laudum ſeges oboriatur, & infinitum ſit ire per ſingulas, eas tantùm in lucem, ac veſtræ Purpuræ ſolem educam, quæ ex inuſitato quodam genere pugnantes invicem Cæſaris dotes duxere notam. (1) In aciem digeram prima fronte in bellum euntia ſimulachra Virtutum: ex quo certamine, cum omnes ex æquo referant palmam, inſignem Cæſari triumphum adornabunt.

(2) Pugnam Virtutum, & Criminum in Julio Cæſare olim Roma ſuſpexit. Egregiam Patriæ navavit operam ejus imperium amplificando. Sed ipſi deinde jugum tyrannus impoſuit. Commendarunt illum eximiæ vires mentis acerrimæ? Sed eidem pulchritudo, & ſanitas ſerena, & inturbida profectò defuit. Magnitudine animi præſtitit incredibili? Sed penſi nihil habuit, & moderati: & infinito impetu, & ultra mortale appetens, ad ulteriora perpetuò rapiebatur. Naturâ audaciſsimus verecundiam identidem ex compoſito induit. Inſigni tolerantia laborum excelluit? Sed luxu identidem diffluxit, atque deliciis. Mirifica exarſit gloriæ ſiti? Sed venturis curas ſeculis minimè inſeruit publicas res ordinando: nec illuſtre quicquam mole, vel inſtituto fundavit. Egregiâ ſolertiâ, & ingenio præditus ſuos perpetuò ſe ad fines evolvit? Sed illa ſive virtute, ſive arte præpoſtera, qua ſuum latus hoſtibus objecit, mentis hebes videri potuit. (3) Ut conflictatio Virtutum, & Criminum miſtum gloriæ dedecus, ac ruinam tandem peperit Cæſari Dictatori: ita pugnantium Virtutum ardor, nullo vitiorum confinio violatus, humanâ majorem Cæſari Cardinali laudem aſſeruit.

Et primò quæ a nobiliſsimis, & ante ſex omnino Secula illuſtre ab Hoſtaſio Romano Senatore, Ravennæ in Urbe Æmyliæ Principe, genus trahentibus, Proavis hauſit, ornamenta curſim perſtringimus? (4) An non ab iis traheret Magnanimitatem, & vigorem mentis eximium, cum iidem fuerint Patriæ Conſervatores, & vindices: neceſsitudine, & affinitate Polentarios Ravennæ, Ordelaffos Forolivii Principes, Malateſtas, Gonzagas, aliaſque regnatrices familias attige

tige

(1) *Parentandum huic Heroi eſſet a Regnis omnibus infectis Hæreſi.*

(1) *Eligemus tantùm illius Virtutes viſas inter ſe pugnare.*

(2) *Certamen Virtutum, & Viticrum in Cæſare Dictatore.*

(3) *Virtutum ſolummodo in Cæſare Cardinali.*

(4) *Magnanimitas, & Vigor mentis infuſus a nobiliſſimis Proavis.*

Digitized by Google

tigerint: præclaris honorum inſignibus, nobili, & multiplici Comitatu a Regibus, Cæſaribus, Summiſque Pontificibus fuerint illuſtrati: illis patriæ urbis, quam in Pontificiam ditionem revocaverant, traditæ fuerint claves: illis collati Militares omnes Magiſtratus, & ipſa non raró Suprema Exercituum Præfectura? Neque veró ſingula triumphalia nomina recenſere perbrevi oratione aggredior; ſi enim, quos admiratus fuit Eridanus, Ticinus, Tyberis, Nicolaum appellem, Paulum, Ludovicum, illum cum Azzone Eſtenſi, alterum cum Fortebraccio congreſſum, tertium in Exercitu Julii Secundi Commiſſarium, ut dicimus, Generalem: mihi Proſperum Sequana obiiciet contra Hugonottos invictum Ducem cum ipſo Mambruno eorumdem Principe ſingulari pugna decertantem, & ejuſdem Mambruni Patruelis fortiſſimum interemptorem. Si Rhenus laudibus in cælum feret Joannem Equitem Rhodienſem. Hoſtaſium Juniorem, & Herinum virtutis merito egregiis a Friderico Tertio Cæſare, Theſeum a Carolo Quinto præmiis donatos, occurret Jordanes, qui ſuas aquas barbaro Saracenorum ſanguine coloratas ante Quingentos ferè annos oſtendet a Petro Pontificiarum Copiarum Ductore. An non ad propriam gentis ſuæ generoſæ virtutis ſpeciem exprimendam Cæſar excitaretur?

Per togatas ille laudes velificatus ad gloriam, poſt Adoleſcentiam in Patria, & in hac ipſa gentium olim Regina, nunc Arce religionis Urbe, ſingulari cum ſtudio Innocentiæ, & perpetuo nobilium omnium diſciplinarum cultu, tranſactam, publicum in bonum conferens animi opes, (1) mirabile ſtatuit fœdus Magnanimitatem inter, & Moderationem, Vigorem, & Suavitatem morum illuſtrem, quibus præcipuè dotibus nobiliſsimi ejus Proavi inclaruere.

(2) Quæ illius amplitudo animi ad omnia ſumma nati, dicant ornata non ſolùm in Purpura, ſéd etiam antequam Sacro Præſulum cœtui afcriberetur, religioſiſsimè Templa: Reſpublica dicat, cujus ad dignitatem omnia ſtudia contulit: dicant exantlati pro eadem tuenda labores aſsidui: dicat ſublimis indoles, perpetua curarum, & negotiorum, inſtar cæleſtium orbium, vertigine circumacta: dicat in ſollicitudines innumeras diviſa, & omnibus tamen mirificè intenta mens. (1) Neque enim uno, vel altero tantùm implicitus munere Cæſar fuit; ſed idem aliquando pluribus ſimul admotus ob inſignem, quæ de illius animi robore, qualibet rerum mole capacioris, Sapientiſſimis Principibus inhæſit opinio. Hinc uno, eodemque tempore Sacræ Conſultationis, & Avenionenſium, & Melitenſium Cauſarum, & inſtituti ad reparandam flagrante Peſte Urbis incolumitatem Sacri Cœtus a Secretis, & omnium, quæ ad Maximi Pontificis Nepotem, eumdemque Pontificii Status Præſidem deferebantur, Controverſiarum Auditor, & Summorum Cauſarum Fidei Quæſitorum a Conſiliis fuit. Ut his difficillimis Reipublicæ temporibus illius virtus effulſit! Ut ille turbido mari gloriæ portum intravit, cum per fluctus ante iviſſet incredibilium laborum, ſecurus ſui, publicæ rei amore ſollicitus! Ut nullâ injuriâ, difficultate nulla ejus conſtantia labefactari unquam potuit! Ut nullum ſubterfugit unquam Vitæ diſcrimen, & famæ! (2) Ut fortior Avis plurimùm contulit, non ad conſuetos hoſtes, ſed ad Cerberum illum, qui contra hominum ſcelera frequenter exertat fauces, elidendum! Annonæ videlicet caritatem, quam, dum aliis primò Principibus vigilantiſſimus Miniſter aderat, deinde in Urbini Regimine omni ſtudio compeſcuit: Peſtilentiam, pro qua Romanis a finibus abigenda ſedulò laboravit, & in illuſtria ſæpe diſcrimina vitam projecit: qua tempeſtate profectò non imbelli, nimiaque clementia fracta, indole Reſpublica indigebat: Bellum, cujus ſemina fœliciſſimus Aſſertor Pacis extinxit!

(3) Prudentiſſimo conſilio flexanima Cæſaris vis, & artificium naturæ ſuaviſſimæ devinciendis animis apprimè factum, ad ſerenandum Inclyti Regis animum adlectum eſt, & virtuti comes adfuit divinitus eidem indulta fœlicitas. At cum privatis Virtutis hoſtibus quàm ſtrenuè manus conſeruit, qui, oblata ſibi frequentia munera ſemper execratus, invictum ſe præſtitit Patronum, & Vindicem æquitatis? Magnanima ergo, & acri bellicoſiſſimorum Parentum luce coloratos mores exhibuit Cæſar.

(4) Ut verò idem magnam indolem moderatè ſubmiſit? Ut ſuavi ejuſdem robur ingenio temperavit? Poſt Trigeſimum ætatis an-

(1) *Mira animi Moderatio temperans Magnanimitatem, & Vigorem.*

(2) *Multipliciter oſtenſus animi Vigor, & Amplitudo.*

(1) *Illuſtria plurima onera illi impoſita.*

(2) *Pugnavit contra verum Cerberum, Famem, Peſtilentiam, & Bellum.*

(3) *Lectus ad ſerenandum Maximi Regis animum.*

(4) *Summa Moderatio, qua ferè, & penè coactus accenſitus Præſulibus fuit.*

Digitized by Google

annum, laceſſitus, & ferè coactus a Chriſtianæ Reipublicæ Præſide, ſacrum Præſulum ordinem ingreſſus; licèt ſplendidæ illum Affinitates cum regnantibus ante Principibus, qui Melleum Orbi univerſo Seculum attulerant, adeoque ipſum pariter ſacro nectare liberaliſſimè donaſſent, ad ſimile decus invitaviſſent, Hoc unum deinde ſibi aſcivit, ut bono famularetur publico, Principis, Negotiorum, & Famæ Servus: nihil ſolicitus emolumenti, & amplitudinis ſuæ. Fidem profectò, integritatem, amorem Innocentio Pontifici præſtitit ſingularem, a quo, ut Phidiæ Simulachra, ſtatim aſpectus, & probatus eſt adeo, ut arcana etiam Imperii, ac Domus, ejus in ſinu ſæpe deponeret. (1) Sed nullo defuit officio Principibus iis, quibus idem tunc offenſus, ipſe multiplici nomine conjunctiſſimus erat. Dum breves turbines, diuturnam deinde Italiæ ſerenitatem commendaturi, impendebant, ita Regibus, & Regum Patri Regali Sacerdoti gratioſus fuit, ita inſigni utrorumqne teſtimonio commendatus, ut omnem ſuperet fidem Prudentia illa, quæ, ſi eximia ſit, nullum non modò cæleſte Numen, ut inquit Vates, ſed neque ullum nobis poſſe Mortalibus ex Numinibus, humanarum rerum Arbitris, deeſſe monſtravit. His artibus cum privatum ſtudium nihil unquam ex ejus virtute decerpſerit: cum ad culmen honoris obliquo tramite eluctari contenderit nunquam, in illuſtri fuit gloriæ faſtigio meritò collocatus.

(2) Jam verò quid Sole clariores referam cæteras laudes, quæ inſigni fulgore Urbem illuſtravere? Quid facilitatem illam, qua ſe omnibus, ac præſertim Egentibus, dabat non magis auri, quàm ſui, liberalis: inito mirabili conſortio illius, quam celebravimus, acris indolis cum ſuaviſſima? (3) Quid amplexam omne genus hominum Charitatem, qua, cum domum rediret unâ vel alterâ poſt meridiem horâ, Peſtilentiæ præſertim tempore, a Supplicum agminibus obſidebatur, & nullius vota in aliud tempus differre auſus, moram ſæpe per horas in ſcalis trahebat, prolixas Pauperum preces audiens, & ſingulorum cauſas cognoſcens incredibili clementia, non ſine Aulicorum, ipſorumque clientium admiratione.

(4) Quod illi mite, ac beneficum ingenium Pontificiæ, quam Metaurus alluit, Ditionis mirificos amores conciliavit eam Provinciam adminiſtranti. Quæ de illius Integritate fama tunc Urbem erexit! Enimvero quæ Areopagitarum olim in Attica univerſa fuit exiſtimatio, ut non hominum, ſed Deorum illud Tribunal videretur, eadem de illius prope Divini Regiminis artibus vox percrebuit. Legibus, & inſtitutis longè prudentiſsimis provinciam temperavit. Affluens bonorum in populos vena beneficentiſsimo a corde dimanavit: Famulantibus animis jura dixit: Ejus vel ferientis dexteram exoſculati ſunt omnes.

At in Urbe, quam redux deinde exhilaravit, clemens habitus humaniſsimi oris, cryſtallinus fons animi innocui, pulcherrima Virtutis inteſtinæ lux e moribus efflorescens, ingenium nec arrogans, nec obnoxium; quorum alterum eſt alienæ libertatis obliti, alterum ſuæ: præclaram illi omnium commendationem vindicavit.

(1) An hic ego Amicitiæ, cujus Exemplar fuit, ſine qua magnas Urbes magnas ſibi videri ſolitudines ex veteri Adagio affirmabat; & grati non erga Magnos tantùm Principes, ſed erga ipſos etiam Famulos animi, quibus obſtrictum ſe frequenter profitebatur, laudes intexam: (2) ſi eædem pugnare videntur cum auſtera, & difficili, quam erga optimè de ſe meritos, & ſingulari ſtudio dilectos ſibi, Fratrem, Fratriſque Filios, mentem exhibuit? Sed enim hæ quoque ſunt ex pugnantium illarum Charitum choro, quæ immortalem Cæſari triumphum decrevere. Uſque adeo benefici nitoris radiis ad interitum uſque fulſit iis, qui fidam, & induſtriam ipſi præſtiterant operam, ut annuos Septingentos aureos, qui eidem pendebantur, in illos partitus ſit. Sed privato ſtudio intactus, aut major, Trecentos reliquos ultro dimiſit, quos conferre poterat ſanguine ſibi conjunctiſsimis, & amore.

(3) Hoc admiror arbitrium ex rigido virtutis decreto temperatum? Non Sacrorum modò proventuum tenui particula ſuos aſpergere non eſt auſus, ſed eorum, quæ ſibi ipſi ſubduxerat, illos minimè ſcripſit hæredes. Quibus errorum nube diſcuſſa Sol illucet pulcherrimæ Veritatis, eidem antea nobiſcum Chriſti Domini, ſed non ejuſdem Vica-

(1) *Oſtendit veriſſimè dictum fuiſſe: Nullum Numen abeſt, ſi ſit Prudentia.*
(3) *In Purpura conſortium acris Indolis cum ſuaviſſima.*
(2) *Charitatis Prodigia.*
(4) *Præclarè adminiſtrata Urbini Legatio.*

(1) *Amicitia, & gratus animus erga ipſos quoque famulos.*
(2) *Auſteritas erga Sanguine ſibi conjunctos.*
(3) *Non hos, ſed accedentes ad Catholicam Fidem conſtituit Hæredes.*

Digitized by Google

Vicarii, cultui mancipatis, opulentam hæreditatem reliquit.

(1) Hoc enimvero Sapientiſſimi Principis judicio gloriari vos plurimùm decet, qui olim inſanarum opinionum oceano fluctuantes nunc ſalutis portum ſubitis. An non cæleſtem veſtris ille animis auram afflavit, dum poſthabitis ſuis vos filios adoptavit? Nihil illuſtrius vobis ad gloriam potuit accidere, quàm hujus nobiliſſimi, a quo peramanter, & liberaliter fovemini, Sodalitii Conditor Clemens, (quem ſanctiſſimè imperantem Deus Optimus Maximus diutiſſimè ſervet incolumem) & ejuſdem Amplificator Cæſar.

(2) Neque verò nihil ad te pervenit, præclara Cæſaris Familia, ex immortalis facinoris gloria. Non illuſtria tantùm ille tibi legavit innumerabilium exempla Virtutum; ſed pronus in poſteritatem æternum tibi contulit patrimonium honoris. Tuum nomen cognitum exteris gentibus per Heroes bellica Virtute præſtantes, iiſdem illuſtrius erit hoc heroicæ liberalitatis argumento, cui maxima vis inerit, ut ad Romana Sacra plurimi alliciantur, qui ſe Fratribus, & Fratrum Filiis a Purpuratis Romæ Principibus præferri comperient.

(3) Te porrò nunc alloquor, quacumque de Cæli parte, ut opinari licet, nos audis, Religioſiſſime Princeps. Non ſolùm tibi obſtricti plurimùm ſunt recentes filii pugnantis Eccleſiæ ob ea, quæ, animo certè, niſi cenſu, regali, eiſdem legaſti, ſed ob illa etiam, quæ cæteri conferent: ii præſertim, quibus non aderit, ut tibi, ſed quærendus erit hæres: hoc laceſſiti exemplo, quod latè pertinebit ab poſteros, Munificentiæ tuæ. Ut in ludis Olympicis metam pretergreſſi aliis lampadem tradere conſueverant, ita ſplendor hic religionis tuæ plurimorum faces accendet.

Quid verò profuſa dona generoſiſſimi animi dicendo attero? Quæ largitus Cæſar fuit ſtudio pietatis, quæque ſuis ſubtraxit, admiror? (4) Præſtolamini, ut arbitror, Auditores, a me in præſentia commemorandam voluntariam illam Sponſionem, qua pluribus ante obitum annis obſtrinxerat ſe, ad Famæ celebritatem, ad commendationem poſteritatis ampliſſimam? Sed neque Cæſaris laudes venabor ab eventibus iis, quos ipſe Hippocentauris, quaſque ſpeculantur Philoſophi, Chimeris conferebat; cum tamen ab aliis ſummo par haberetur Imperio: neque hoc prodigium moderatiſſimi animi, & religioſiſſimi, dicendo tentabo, cum ſatius ſit integrum illud, illibatumque cogitationum veſtrarum ſapientiæ ſervari. Illud ſolummodo innuam, ab his, quas ſibi manicas, & ineluctabiles compedes injecerat, liquidò conſtitiſſe, quis Heroicæ Virtutis ſenſus illius animo inſederit, cum ea præſtare decreviſſet, quæ non ſemper ad Aras excepti Pontifices præſtitere, ut videlicet nihil penitus ad ſuos ex Imperii amplitudine redundaret.

(1) Sciſſa demum poſt Cæſaris interitum eſt nubes illa, quæ cæleſtes duas heroinas illius in corde certantes mortalium oculis ſubducebat, ſitim videlicet arduæ, & inſolitæ Virtutis adipiſcendæ: & animi Demiſſionem eximiam, qua nihil ſe ſupra communem modum eniti oſtendebat. Innotuit demum quàm frequentibus Cælum precibus aggrederetur: quàm innocuos animo foveret ſenſus: ut motus illius omnes comprimeret: ut nulla ejus mentem procella turbaverit: ut inter orandum indulgentia ſe illi Numinis tota infuderit: quod ex iis, quæ ipſius manu exarata, cæleſtis documentis vitæ, & habitis cum Divinitate colloquiis, reperimus, animadverſum eſt.

(2) Quamvis neque noſtris ille ſubtrahere potuerat oculis cæleſtis illum colorem indolis, ſuorum omnium decorum fontem, illam deliciarum fugam, graviorum curarum remiſſionem nullam, niſi quam a ſtudiis Sapientiæ capiebat. Quæ quidem ſevera & mitia, conſueto ſibi prodigio, miſcuerat adeo, ut iis egregiè perficere potuerit animum præclari Principis: ab aliis omni Antiquitatis, præſertim Sacræ, cognitione imbutus, luci tradiderit inſigne Opus Lateranenſis Eccleſiæ hiſtoriam amplexum.

(3) Sed cæterarum, quæ Cæſaris vitam exornavere, certamen laudum abrumpere me cogit numeroſa Ægrotationis gloria, in cujus difficilis, ac diuturnæ dies innumera propemodum pugnantium decora Virtutum incluſit: quæ tamen compendio involvam, ne diutius peccem in publica commoda, Auguſtiſſimorum clementiâ Auditorum abuſus.

(1) *Iidem plurimùm gloriari de hoc poterunt.*

(2) *Gloria, quæ hinc redundat in præclaram Cæſaris Familiam.*

(3) *Apoſtrophe ad illum, qui alios ad ſimile decus Exemplo ſuo invitat.*

(4) *Innuitur Votum, quo ſe obſtrinxerat, & ex quo ſumma fulget animi Moderatio.*

(1) *Studium arduæ, rariſſimæque Virtutis, & animi Demiſſio ſingularis.*

(2) *Sapientia, & aliæ dotes.*

(3) *Aliæ prima fronte pugnantes Virtutes viſæ in ſuprema Ægrotatione.*

Digitized by Google

buſus. Portentum primò videri potuit, a felle, iracundiæ fomite, omnes venas depopulante, mitiſſimo viro mors illata. Inſigne obtemperandi medentibus ſtudium, cum tamen inanes eorumdem conatus eſſe probè comperiſſet, cumque exilientis e corpore animi alis illatus inferi geſtiret Cælo. Prodigioſus in penè depoſito corpore pœnarum ardor, quo Cruci ſuffixum Deum perpetuò alloquutus ab illo non calicem, ſed oceanum cruciatuum flagitabat exhauriendum. Prodigioſa conteſtatio, qua nihil omnino ſupereſſe in hac valle, & exilio mortalitatis, quod ſuum diſceſſum frænare poſſet, ingenuè profeſſus eſt; cum tamen ipſius animum promerita ulterioris fulgura gloriæ perſtringere potuiſſent. Quæ cæleſtis Moderatio vera demum Magnanimitas cenſenda eſt: quæ ſcilicet, ipſo Ariſtotele teſte, cum ſummos honores promereatur, ipſos tantummodo ambit. Idcirco vilem, & ſuperbam cupiditatem inhiare Cæſar noluit gloriæ perituræ. Prodigioſam demum, affirmavit ipſe, videri ſibi fiduciam, qua nihil formidabat infligendum ſibi a Judice Divino, cujus ultionem frequentiſſimè a ſe provocatam fuiſſe dicebat, adeo de Patris amantiſſimi clementia certus erat. Sed profectò formidinis cauſa nulla ſuberat Integerrimo Viro, qui perpetua exercitatione virtutis, & inſonti traducta vita Divinum amorem promeritus, omnibus munitus præſidiis Chriſtianorum Sacrorum, eo religionis, & pietatis ſenſu deceſſit, ut religioſiſſimi, & ſupremi plurimorum certaminis experientiſſimi, qui ei aſtiterunt, viri profeſſi ſint, nullius a ſe unquam ſpectatum Interitum, quem prona magis ſydera viſa ſint invitare.

(1) Nefas hic eſſet ad lacrymas in extrema oratione relabi, dum Cæſar, non modò mortalium omnium exceptus animis illius in admirationem effuſis immortale pectorum Capitolium ſubivit; ſed illos, ut arbitror, fœliciores triumphos incæpit, quibus impares nimium, niſi etiam ridendi, videri poſſint plauſus eumdem appellantium veſtro, Quirites, Cæſare præſtantiorem: Magnanimitatis, Moderationis, & Virtutum omnium Exemplar: (2) Peſtis, ac Pelli, magna ſaltem ex parte, Propulſatorem egregium: ipſam Beneficentiæ, & Amicitiæ indolem: ad Romana Sacra accedentium populorum Patrem: Animorum Magnetem: Præclarum Sapientiæ lumen: Romani olim, nunc Divini, Cæli fulgentiſſimum Sydus.

(1) *Ad lachrymas relabi non decet.*
(2) *Cæſari debitæ Appellationes.*

JOANNEM WILLHELMUM IGNATIUM

Neoburgi, Juliæ, Cliviæ, Montium Principem &c.

NUNC

Sereniſſimum Comitem Palatinum Rheni

Celebrari non poſſe.

ORATIO XXIV.

Dicta in Triclinio Collegii Romani.

ALexandrum accepimus, (1) Sereniſſime Princeps, a nullo ſe beneficiis victum unquam fuiſſe magnificè ſolitum prædicare. Eam nos Macedoni, qui prodigentiâ, & ſuperbiâ munerum par eſſe voluit fortunæ ſuæ, gloriationem permittimus, adeoque Tuæ in nos beneficentiæ pretium reddi non poſſe profitemur, nullam ut partem Tuorum in nos meritorum non modò referendâ, ſed ne cogitandâ quidem gratiâ conſequi valeat tenuitas noſtra, & ob hoc ipſum, quod in præſentia æqui bonique conſulit facilitas, & Clementia magnanimæ indolis Tuæ, obſequii noſtri vectigal, præclarè iterum de nobis meritus videaris. (2) Quo enim, Patres, honore augemur, dum quinque Cæſarum Nepos, & ab iis fontibus proveniens, qui Cæſares tredecim, Uxores Cæſarum quinque, duos ſupra viginti Reges, Reginas omnino quatuor, & triginta dederunt Europæ, humaniſſimo nos alloquio ſæpè dignatus, hæc tecta ſubire, nobiſque adeſſe conviva non renuit? Idcirco cum pars ulla mutuæ voluntatis, quam re deſperamus, ne verbis quidem cumulatè reponi poſſit, non ego Tuorum uberi commemoratione munerum Tua tibi in nos beneficia faciam jucundiora. (3) Sed neque id ipſum præſtabo, quod Sympoſia Sapientum, Gnoſſia Platonis Convivia, Xeno-

(1) *Alexandri Magni jactatio.*
(2) *Summus honor ab hoſpite Principe nobis allatus.*
(3) *Condire nequimus Epulas laudibus Heroum.*

Digitized by Google

Xenophontis Attica, Deiphili Delphica, Cyrenaici Ariſtippi Panathenæa conſueverunt, ut videlicet epulas condiam Heroum laudibus, quia neque temporis ad dicendum præſcripti anguſtiis definiri Tuæ dotes poſſunt, neque illuſtri eas in ſole ſtatuendo egregii Principis modeſtia vulneranda eſt. (1) Illorum igitur morem ſequutus, qui antequam Regalis ædificii molem conſtruant, evanidis coloribus, niſi potius umbris, tantummodo innuunt, quod opus moliuntur, indicabo veſtigia, quibus exaggerata laudatio poſſet inſiſtere, plura enumerando nomina, ob quæ commendari pro dignitate non potes.

(2) Adoleſcentes Principes ornaturi Rhetores aut ab Avis mutuantur, quæ redundent in Filios ornamenta: aut quę præclara minantur in poſterum, vernantes eorumdem juvenum dotes recenſent. (3) Nos verò neque Proavorum laudibus Sereniſſimi Joannis Willelmi Ignatii gloriam amplificabimus, quia illorum ipſe radios hebetat claritate ſua; neque ob innumeras, quibus in præſentia floret ipſe, Virtutes, magnum illi ſplendorem adiiciemus, quia laudes, quas promeretur maximas, majori expectatione ſuſpendit. Palatinæ, Bavaricæ, Haſſiacæ, Auſtriacæ, quarum hic pulcherrimus fructus eſt, Regali, & Cæſarea Stirpe præſtantium arborum efferam gloriam? Ex quibus illa ad Ricardum Imperatorem, ad Ludovicum Bavarum altera, præclaram originem refert: tertiæ, præter plurimos Reges, ipſi Divi ſunt inſiti, eademque præ cæteris omnibus mortalibus fulgoribus Hungariæ Reginâ Divâ Eliſabethâ meritò gloriatur: Ultima Sole clarior omne præconium recuſat?

(4) At quo me crimine obſtringam, ſi quicquam alienum ſuſpiciam in Principe, in quo nihil a Fortuna ad Virtutem transferre oportet? Qui proavos omnes ipſo vultu ſpirat? Qui licet Nobiliſſima Europæ Regna Magnus Hoſpes inviſat diſſimulata claritudine ſua, nullo tamen ſipario involvere poteſt inclytam lucem, quæ potius ipſa moderatione oculos, & admirationem omnium invitat: &, perinde ac emicans e larva fabularum animorum Regina Veritas: ſub electro latitans apis ab arguto Vate laudata: ſub nube deliteſcens, aut in eadem roſcida pictus Sol: ita ſine ſceptro, & diademate fulgurat Regalis Indoles Tua.

(1) Ditionis, quæ a majoribus accepta ſuberit æquiſſimo regimini Tuo, amplitudo & gloria tibi conferet decus? Pluribus veterum Regnis præſtare dicam Neoburgenſem, Clivienſem, Juliacenſem, Montenſem, Ducatus? Proximum dicam Sanguinis jus ad ſuccedendum Sereniſſimis Comiti Palatino Rheni, & utriuſque Bavariæ Duci? Tuos dicam Comitatus in Veldentz, Sponheim, in Marchia Ravensburgenſi, Dominatum in Ravenſtein, aliaſque florentiſſimas, ditiſſimaſque Provincias, & amantiſſimas Principum optimorum?

(2) Sed hic, utcumque maximus, Tuæ Virtutis, & Sapientiæ campus, quàm anguſtus illius menti, & ingenio eſt, quem immenſis Regnis temperandis plurimorum Omina, & ſpes alacres deſtinabant. Profectò antequam Urbem præſentiâ tuâ decorares, Sereniſſime Princeps, plurimus in ore Quiritum eras, qui non abſurdo præſagio adoptandam in alia etiam Imperia Regalem Indolem tuam affirmabant, niſi Principem ſuo in ſinu egregium bellorum Ducem ipſi devinctiſſima Polonia quæſiviſſet. Quod argumentum eſt Famæ illius, quæ de mente Tua, cuivis Regnorum oneri pari, longè latèque diffundebatur, & præclaræ, qua Tua Domus circumfluit, Gloriæ, ferè omnes Regnatrices Europæ Familias neceſſitudine, & affinitate contingens; cum ad ſimilem fortunam e Regalibus Sveciæ, & Galliæ Domibus huc uſque Principes ſint aſciti.

(3) Prætermiſſis Heroibus innumeris, illorum ſaltem e Majoribus Tuis, qui ad Te propius pertinent, decora delibando, dicam a magnanimo Avo Wolfgango Willelmo, auſu Sanctiſſimo, fœliciſſimoque poſt maxima ſuperata certamina in univerſa Neoburgenſi Ditione jugulatam Hæreſis Hydram, & contra eandem in aliis Provinciis ſuſceptum bellum erectis Arcibus Religionis, & comparata pugnantium pro eadem ſtrenuiſſimorum militum manu? Inſigne ab illo Catholicæ cauſæ collatum præſidium exequar verbis, dum primus ipſe ex Magnis Germaniæ Principibus contra impiam, ſed infœlici fato florentem honore ſummo ea tempeſtate Superſtitionem prætulit facem, quam deinde ex illo non ſine incredibili Vatica-

tica-

(1) *Celebrari pro dignitate Princeps non poteſt.*

(2) *Quænam laudari ſoleant in Principe adoleſcente.*

(3) *Hæc in eo extolli nequeunt.*

(4) *Nefas eſſet aliquid alienum in ipſo ſuſpicere.*

(1) *Attingendum non eſt decus ampliſſimæ illi deſtinatæ Ditionis.*

(2) *Optatur fuerat ab inclyto Regno.*

(3) *Delibantur nonnulla de Principis Avo profligatore Hæreſis.*

Digitized by Google

ticanæ Fidei triumpho alii Maximi Principes, & Sapientiſſimæ Reginæ ſuſceperunt?

(1) Aviæ Tuæ religioſiſſimæ Magdalenæ Maximiliani Bavariæ Ducis Sororis laudes perſtringam, quæ uſque adeo Charitatis in pauperes, præter cæteras cæleſtes dotes, ardore fulſit, ut, dum larvati per urbem incederent, Sereniſſima Princeps pauperis perſonam induta pro egentibus, ſuis deliciis, ſtipem emendicaret?

(2) Sed majorem fortaſſe contra hoſtium Fidei errores, & coronata in aliis Principibus crimina, gloriæ quæſtum Religio facit in Sereniſſimi Joannis Willelmi moribus, qui ſeveriſſimo cultu Virtutis conſecrat Divino Numini ætatis florem, & anno Piaculari præſtantiſsimus inter exteros Principes, qui Romæ non degerent, alios exemplo ſuo laceſsivit ad religioſiſsimè adoranda Romana Templa, & regnantem in Urbe Divinitatis Vicarium.

(3) Paterna ſaltem, & Materna decora Tibi laudi tribuam? Sapientiam illam excelſam Sereniſsimi Ducis Philippi Willelmi, Cæleſtis Regis cultum inſignem, egregias imperandi artes, in omnia intentas magnanimas curas, in populos amorem, &, qua ipſius virtuti plaudere videntur Superi, fœlicitatem?

(4) Auguſtæ Parentis Tuæ Religionem, qua Hæreſim ante contrahendas cum Catholicæ Fidei addictiſsimo Principe nuptias ejuravit: virilem Prudentiam, qua Sereniſſimi Friderici de Haſsia Fratris ſui dotes planè regias æmulatur: eximium Pietatis cultum, quo Divæ Eliſabethæ Ludovico Haſsiæ, ac Thuringiæ Lantgravio nuptæ mores repræſentat?

(5) Sed aliud quodcumque laudum diadema recuſant Parentes optimi, præter Filium, qui Gaudium, Corona, & Menſura votorum Parentibus eſt: qui uſque adeo glorioſiſsimis Patrum exemplis inhæret, ut illorum propemodum deterat lucem gravitate, conſtantia, ſenili prudentia, ex qua nihil fortunæ blandimenta decerpunt, & inſigni moderatione: quæ animi ornamenta in Principe Adoleſcente majorem admirationem exſuſcitant. Hinc magna Tibi a Majoribus gloria conciliari nequit, cum pulcherrimo ipſe crimine illorum claritatem imminuas: perinde ac ſimili fulgentiſsimo ſcelere Auroræ matris lucem Sol filius extinguit.

(1) Imò palmam Soli videris eripere in concertatione prænobilis culpæ, quia licet ex Auroræ ſinu naſci videatur ille Syderum Cæſar; tamen, antequam noſtro idem exoriatur cælo, Auroram ipſam generat flore vicini luminis ſui. At verè ipſe Maximis a Progenitoribus in lucem editus eorum aliquid gloriæ detrahis comparatione præſtanti.

(2) An verò Tuo plurimùm aſtipulantur honori Tuæ ipſæ dotes? Enimverò debitæ & ipſas præmio laudis ob plurima nomina fraudandas opinor. Quid enim in cælum efferam Pietatem illam, qua ne latum quidem unguem a Parentum Imperiis deflectens ſummo illos cultu, & amore proſequeris? Magna hinc illi ad gloriam referetur via, qui Parentes nactus ſit ſtudio, & amore ſuaviſsimo ſe penitus eximiæ ſpei Filio indulgentes? quique ab inſigni, qua præſtat, prudentia edocetur, Phaetontes Imperii fore Juvenes Regios, qui præſcriptam a Majoribus ſemitam non inſiſtunt: quo nomine Caligulam Tiberius Cæſar meritò appellavit?

(3) Ad laudes pertinere tuas arbitrabor ardorem diſcendi, quo Palladis gremio innutritus, non otio, & deliciis diffluentem, ſed perpetuo excultam labore adoleſcentiam tranſegiſti? Quo antequam ſextodecimo ætatis anno illuſtria itinera aggredereris, Suadæ Regnum, Muſarum, & ipſius Naturæ per Philoſophiam fontes adjuiſti? quo Matheſis cognitione non leviter tinctus? quo, præter Germanicam, & Latinam, Italicam etiam, & Gallicam, linguas optimè calles, neque in Hiſpanica peregrinaris?

At hoc multiplicis doctrinæ præſidium omnino comparandum Principi cenſuit Plato. At ipſa, quos ſuis uberibus admovet, nimium jucundo nectare paſcit Sapientia: ut proinde parum ex eo Tibi ad commendationem accedat, quod tanto delinitus illicio præſtitiſti.

(4) Nec abſimili planè de cauſa prætercam laudationis fontem, quem recludit ſitis nobiliſsima Regna inviſendi. Quis enim ignorat, quanto ea Tibi, ut priſcis Sapientibus, compendio, & voluptati fuerit, dum acri,

(1) *De Avia religioſiſſima.*
(2) *Sed hinc augeri nequit Principis laus.*
(3) *Neque ex Paternis eximiis dotibus.*
(4) *Aut Maternis.*
(5) *Pulcherrimo crimine claritatem Parentum Filius imminuit, ut Sol Auroræ.*

(1) *Imò illuſtrem Solis culpam antegreditur.*
(2) *Ipſa quoq; ſumma ejus Pietas commendatione fraudari poteſt.*
(3) *Et inſigne Sapientiæ Studium.*
(4) *Et iter ſuſceptum ad Europam perluſtrandam.*

Digitized by Google

acri, & vivida Britannorum, candida, & diligenti Belgarum, alacri Gallorum, & nobili, ſolerti & ſplendida Italorum indole, quas regiones ore illo Tuo Sereniſſimo illuſtraſti, has omnes Germaniæ Tuæ, Tibique præſertim a natura inditas perfeceris laudes, quas hauſta ab innumeris Urbibus prudentia Homerici Ulyſſis, a multiplicis metalli conjugio Corinthii pretium æris, Glyceræ pictura ab omni florum genere aptè conſurgens, Horatianæ apis Dædaleum opus a delibato Tiburtini viridarii rore, Zeuſidis Alcmena ab Agrigentinarum Virginum lectiſſima venuſtate, a pluribus Hermogenis formis exortus elegantiæ decor adumbravit.

(1) Plurimùm Tibi gloriæ quæſitum dicam a nobiliſsimorum Aulicorum comitatu? Sed enim omnino is maximo Principi debebatur, ideoque ſplendidè attolli oratione non poteſt; ſua enim non ſolùm in Cælo peregrinantem Jovem minimorum ſyderum agmina, ſed vos etiam, mortalia Numina, profectò decent. Eorumdem ſaltem moderationem, pietatem, fidem, ornabo, quæ Aulam Tuam conſtituunt virtutum omnium larem, ac Templum? Sed quì poſsint iidem integerrimis ſui Principis moribus non conformari? Habetis hoc cum Divinitate commune, mortalium Arbitri, ut veſtras aliis virtutes facili negotio inſeratis. Præterea cum Religioſos Viros adoleſcentiæ Inſtitutores Tuæ Domi contineas, quid mirum, ſi eadem Sacræ Domus imaginem refert?

(2) At hoc ipſum miris præconiis efferendum plurimi affirmabunt, quod diurnos, nocturnoſque Teſtes velis Innocentiæ Tuæ Divino cultui addictos. Ego verò, quoniam ab ingratiſsimis modeſtiæ Tuæ laudibus omnino temperare decrevi, confidentiſsimè dicam, decus hinc Tuum in excelſo, & illuſtri apice minimè collocari; cum enim nihil velandum ſit in Moribus Tuis, quos penitus inſpici Tibi perhonorificum eſt, Tuaque omnia arcana tutò ſubire Fama poſsit, nihil in illis inventura, quod carpat, mirabimur, quod illorum optes religioſiſsimos, tuique amantiſsimos Teſtes?

(3) Neque verò magna in laude ponemus ipſum prodigioſum Tuæ vitæ Candorem, quo ſapientior Ulyſſe, dum Orbem Terræ luſtras, & maria, Sirenum cantibus aures ſubducis: fortior Hercule Regna omnia ſuis trophæis illuſtrante, Lernæam Superbiæ Hydram, Erymanthium probroſæ Voluptatis Aprum, Nemeæum Iræ Leonem extinguis. An enim ſummæ Prudentiæ Princeps cum eodem Hercule inſanires in Lydia, & rejectis magnanimis exuviis Gentilitii Leonis Tui, jam debellata Monſtra imbelli colo tribueres ulciſcenda; veluti perpeſsis ignavæ pacis mala Quiritibus ſævior armis, ut inquit ille, luxuria incubuit, victumque orbem ulta fuit?

(1) Magnam Tibi provenire gloriam dicam, quia, cum omnium optimum conſilium ipſe Tibi præbere poſsis, alios conſulere ſæpe non renuis? Sed enim probè noſti, Jovem ipſum, ut eſt in fabulis, Meti, quæ Conſilium Græcè ſonat, nubere debuiſſe, antequam Palladem, hoc eſt Sapientiſsima, quæ Magnorum Principum ex mente naſcuntur, decreta eniteretur.

(2) Quid, quod, ut in orationis aditu profeſsi ſumus, quam materiam laudum res præbent maxime, ſpes eamdem majores ſubducunt. Quæ admiremur plurima, (iiſdem Te, quibus olim alter in diverſo argumento Cæſarem, alloquor verbis:) Quæ in Te, inquam, admiremur, habemus profectò plurima: quæ laudemus, expectamus. Gravis Tibi, ut ait Cicero, adverſaria conſtituta eſt, & parata, hæc ipſa incredibilis Expectatio, quam tamen vinces: Ut proinde mihi crimini a Vobis vertendum non cenſeam, Patres, ſi humaniſsimo, noſtrique ſtudioſiſsimo Principi vicem ſaltem non exolverim debitæ laudis, cum eam Ipſe nimio, quod ingerit, laudationis argumento cohibeat.

(3) At ſaltem quali ſimus in numero, & loco benevolentiæ Tuæ extrema oratione complectar? Sed quid ego Duſſendorfenſia, Monaſterio Effliaca, Marcodurana, Juliacenſia, Neoburgenſia, magnificentiſsimè nobis excitata Collegia? Quid duas in Ducatu Montenſi, alteram in Dominatu Ravenſtenico, quas dicimus, Miſsiones? Quid adhibitam ab Avo Tuo noſtram operam, dum ad Romana Sacra tranſivit? Quid apud nos ſemper depoſitas a Neoburgenſis Domus Principibus animi labes? Quid lectos ex Ordine noſtro Sacros Aulæ Oratores, quid Mo-

(1) *Et nobiliſſimus Aulicorum Comitatus, eorumque Virtutes.*
(2) *Et Morum Inſtitutores Religioſi Viri.*
(3) *Et Vitæ Candor in integerrimo Principe.*

(1) *Et quæſitum frequenter alienum conſilium.*
(2) *Habemus in illo, quæ admiremur: quæ laudemus, expectamus.*
(3) *Ne ipſius quidem in nos beneficia celebrare poſſumus.*

Digitized by Google

Morum Formatores, Literarum Magiſtros? Quid perpetuò nobis in Germania, imò in univerſa Europa collatum Auguſtiſſimum Patrocinium recenſebo, ut hac commemoratione refricem vulnus, quo exulceratur animus impar omnino gratiis referendis?

(1) Profectò hic ipſe triumphus humanitatis Tuæ, quæ perpetuò geſtiendi cauſam his ipſis parietibus præbebit, dum poſteris oſtendi poterit, quem locum inſederit Sereniſſimus Neoburgi Princeps, in quo vivunt omnium Proavorum Cæſarum, & Regum decora, penè ſuggerit de Te conquerendi non ignobilem cauſam, eò quòd nimis excelsâ clementiâ vivere nos cogas ingratos. Supereſt, ut, quoniam Deo ſimilibus Principibus exhiberi gratiæ vectigal nequit, quin hac ipſa, quam non dedignantur excipere, officii, voluntatis, obſequii teſtificatione eorumdem in nos munera conduplicentur, exoratus a nobis interque preces, interque Sacra Deus Optimus Maximus, bonorum omnium elargitor & conſervator, ad ſublime faſtigium Virtutem evehat Tuam, a qua incolumitas, & tranquillitas, & dignitas florentiſſimarum Provinciarum ſpiritum, & vitam hauriet immortalem.

(1) ***Impares laudationi ad Vota confugimus.***

SPECIMEN EPISTOLARUM,

Quibus propria, vel aliena Volumina conſecrantur Maximis Viris, quorum Panegyrici per Paradoxa contexuntur.

Multiplex nexus inter eximias Virtutes

INNOCENTII XII. Pontificis Maximi,

Et Polemicam Hiſtoriam Pontificiam Concilii Chalcedonenſis illi conſecratam,

DUm Sanctos, Beatiſſime Pater, ad Pedes provolutus humillimum hoc offero vectigal obſequii, non ſequor communem ſua Opera conſecrantium morem, ut ſcilicet Panegyricos texant Magnis Principibus, quorum Patrocinium ambiunt, & ultro fateantur oblati a ſe munuſculi tenuitatem. Modeſtia illos Tua omnino recuſat, & ſupervacaneum eſſet Scriptori tenuiſſimo exilitatem ſui partus profiteri. Erectus igitur ab eximia humanitate Optimi Principis fiduciam potius induo affirmandi non contemnendam eſſe materiam, quam pertractamus, licet nullo Auctoris artificio commendetur. Magnis quandoque placuit Viris abjectum Argumentum excolere, ut de Re Ruſtica ſcripſit Varro doctiſſimus Romanorum. Contra verò ſupra ſe ipſos aliquando aſſurgunt alii ad magna, licet imparibus viribus, tentanda, & Margaritas colligunt ſuo candore, ac magnitudine placituras, licet egregiæ ſcriptionis auro non illigatas. Hujuſmodi eſſe illas, quas conſecro Sanctiſſimo Nomini Tuo, eaſdem in Sacrorum Conciliorum oceano expiſcatus, præfari audeo, (1) & Cauſas recenſens hujuſce Nuncupationis ea tantùm ex innumeris innuo Divinis Donis in Te congeſtis, quæ ſuſcepto a me labori penitus conſerta ſunt, Pontificiam Orientalium Synodorum Hiſtoriam aggredior ſuo propemodum jure Maximi Pontificis ad pedes convolantem, ac præſertim Illius, qui, (2) cum reſpuat Oratorum Præconia, uberrimam quotidie ſegetem laudum congerit Hiſtoricis, eas olim poſteris in præclarum exemplar, & admirationem ampliſſimè tradituris. Arcana hæc noſtra cenſeri poteſt Hiſtoria, cum in unum coaleſcat ex variis hinc inde decerptis ſegmentis, imò potius eruatur ex latebris, expendendo vim Aſſumptionum deliteſcentium

(1) *Eas tantùm SS. Pontificis dotes innuam, quas conſertas habet hoc Opus.*

(2) *Prima.*

Digitized by Google

tium in multiplici forma loquendi, agendique a Conciliis adhibita; ex qua in lucem proferimus, quænam eſſet Vetuſtis Temporibus de Romanæ Sedis Auctoritate Sententia Univerſalis Eccleſiæ. Hæc porrò Narratio, vim ac poteſtatem, & quaſi ſecretos verborum, (1) & rerum ſinus pervadens, Illi debetur, qui non prima tantùm ſpecie, ſed ſolida intimaque Virtute parit admirabilitatem: quemque ii magis ſuſpiciunt, quibus ſecretiores integerrimi Illius ab ipſo ætatis flore animi ſenſus introſpicere conſuetudo familiaris indulſit. (2) Is certè eſt, de quo Arcana ſine ullo detrimento Famæ ſcribi poſſet Hiſtoria, imò cum inſigni laudum incremento: & cujus geſta ſiniſtram in partem interpretari nec ipſa queat virulenta indoles hoſtium Apoſtolicæ Cathedræ. (3) Polemica eadem eſt, quam exaramus, Hiſtoria, poſt ſingulas cujus particulas cum Schiſmaticis frequentiſſimè congredimur, & Hæreticis. Et aurea in eoſdem tela Tui Mores intorquent, Beatiſſime Pater, ac geſtarum a Te rerum commemoratio, ſi obduratum in perfidia quorumdam ex iis animum non debellabit, at certè inſigni eos Romam allatrantes rubore perfundet. (4) Non raró certamini inſiſtimus, ſed perpetua Ratiocinationum ſerie amicam pugnam urgemus: perinde ac Cæleſtes Ipſe quotidie ſagittas in Adverſarios Veritatis intorques. Non frequentiſsimæ tantùm, ſed (abſit vero invidia) & Novæ ſunt ferè omnes, (5) quas in medium producimus, Animadverſiones: Ut nova pariter ſunt pleraque Prodigia decorum omnium, quibus in amorem, ac venerationem Tui corda mortalium rapis. (6) Pervulgatam Antiquo Ævo Eccleſiæ perſuaſionem repræſentamus Illi, qui Veterum inſtaurat Cæleſtia exempla Pontificum. Teterrimi Romæ hoſtis Petri Suavis Polani cineribus inſultamus, ſtolida ratiocinandi arte conficientis, (7) Succeſſorum Petri Auctoritatem imminutam fuiſſe ob eam, quam ipſis deeſſe præſumit, perfectæ complexionem Virtutis: dum (ſi quicquam vecordis hujuſce hominis Dialectica conſequi valet) Heroica Integritate Vitæ omnes fateri cogis obiti a Te Muneris Sanctimoniam. (8) Experimenta propemodum innumera exercitæ a Petri Cathedra in Univerſam Eccleſiam Poteſtatis oculis opportunè ſubiicimus Illo regnante, qui omnium maximè ſui ſecurus fungi poteſt Divinâ ſuâ Chriſtiani populi Præfecturâ, cum nihil in illo ſit, quod carpat Invidia, nulliſque Idem ſit amoris in conſanguineos vinculis irretitus. Superbè jactavit olim Archimedes Terram a ſe movendam, ſi conſiſtere extra Terræ ambitum potuiſſet. Affirmari ex vero poteſt, omnia Sanctiſſimo Pontificis illius Arbitrio licere in Chriſti cultorum animos, vices exercendo Divinitatis, qui Cælum incolens mente nullatenus adhæret ſolo: utque idipſum præſtent, qui ei Sacro in Imperio ſuccedent, cavit Sanctiſſimis Legibus, ac publicæ rei mirificè profuturis. (1) Leonem Magnum Orienti, univerſoque Orbi Chriſtiano jura dantem exhibemus ea tempeſtate, qua Solio inſidet magnanimos a Nobiliſſimis, & Principibus Proavis ſpiritus hauriens, non modò frænum, ſi fortè in nos irruerent, Thraciæ Genſericis, & Attilis injecturus, & *Raſtrum* ad eos compeſcendos futurus *In Porta*, ſed etiam ad eos penitus proterendos Cæleſtia, ut jam præſtat, Chriſtianis arma Principibus præbiturus, & *incendiarias* jacturus *Ollas* in acies, & arces barbarorum: Pauperum, ut olim Leo, amantiſſimus Pater, eos incredibili charitate adoptans in filios, in Patriarchalis Palatii hoſpitium inducens, & pluribus centenis aureorum millibus donans: ſuaviſſimo alios quavis hebdomada excipiens alloquio, omneſque ab iis potentiorum injurias propulſans: nihil Idem ſibi e Sacræ Sponſæ gaza delibans, nihilque ſumens e Principatu præter laborem, & curas, quibus perpetuis urgetur: Egregios cum Leone peculiaribus Eccleſiis Paſtores præficiens, diſciplinam inſtaurans, uni Virtuti, ac Sapientiæ patere jubens aditum ad Honores, & omnium maxima ſollicitudine incenſus Catholicorum animos in priſcæ Virtutis aurum revocandi, ac lucem iis afferendi, quos multiplicis tenebræ Superſtitionis involvunt. Ob hæc, & alia omnia Divina ornamenta, quæ Magni Cognomentum Leoni pepererunt, quæque in præſentia minimè deſideramus, eandem adhæſuram auguror iiſdem veſtigiis in ardua Heroum ſemita difficillimis temporibus inſiſtenti Nuncupationem. (2) Sed, ut in iis immorer, quæ jucundiora profectò accident ſtudioſiſſimo immortalis hominum Salutis Parenti, Volumen illi dicamus nonnihil eidem Saluti, Divino favente Numine, collaturum. Omnibus quidem Heterodoxis, niſi eos perditiſſimum Sacrarum Legum odium penitus dementaverit, plurimùm proderit hic intueri pluſquam Trecenta Septuaginta Experimenta Pontificiæ in Chriſtianum quoque Orientem Poteſta-

(1) *Altera*. (2) *Tertia*. (3) *Quarta*.
(4) *Quinta*. (5) *Sexta*. (6) *Septima*.
(7) *Octava*. (8) *Nona*.

(1) *Decima*. (2) *Undecima*.

tis, adeoque manu propemodum contingere, a Luthero, Calvino, Illyrico, inſani mendacii pluſquam trecenties confeſſionem extundi, dum Romani Epiſcopi Regimen intra Suburbicarias Eccleſias ex Nicæno Decreto continendum eſſe mortalium audaciſſimi fabulantur. At Græci Sectatores Ritus (qui latiſſimè per Orientem, Septentrionem, ac Meridiem, per Tertiam certè Chriſto Domino conſecrati Orbis Partem, funduntur) victas tandem Veritati manus daturos hilari ſpe præſumo. Quid enim reponent, cum ſuos ſpectabunt Cæſares, Antiſtites, ac Patriarchas Romani Paſtoris virgam exoſculantes, Romanum Magiſterium adorantes Generales Synodos in Oriente celebratas, & Romanis Juſſionibus perinde obtemperantem Chalcedonem, & Conſtantinopolim, ac ipſa Romana Suburbia? Et hæc quidem pluſquam tercentena manifeſtiſſimæ Veritatis documenta non in Latinis ſolùm Chalcedonenſis Concilii Actis, & Literis ad eandem Synodum Spectantibus, ſed & in Græca eorumdem Actorum, & Literarum, pervulgata, & ab ipſis quoque Schiſmaticis recepta, Verſione intuebuntur, cujus verba, & contextum non raró expendemus. Pudori non erit erectæ Græcorum indoli a Sexcentis triginta, qui Chalcedone convenerunt (quorum quinque ſolummodo Latinum Ritum ſequebantur) ſuis Præſulibus edoceri. Iis accedet Atteſtatio aliorum ſupra bis mille; nam cæterarum quoque in Oriente celebratarum Synodorum polemicam Hiſtoriam molimur, Sacram in Nicæna Sylveſtri, in Sardicenſi Julii, Damaſi in Conſtantinopolitana, in Epheſina Cæleſtini, in Quinta Vigilii, Agathonis in Sexta, & utriuſque in Septima, & Octava, Primi ſcilicet ac Secundi Adriani, Monarchiam uberrima ſerie recentium Ratiocinationum exhibituri. In unum Volumen congeſtas illas, quæ Chalcedonenſem præceſſerunt, Synodos Sanctos Tuos ad pedes, favente Deo Optimo Maximo, afferendas confidimus, Beatiſſime Pater. (1) Diuturnum verò fore fauſtiſſimum Imperium Tuum, ac ſub illo Hæreſim, & Mahometicam Impietatem profligandam, Fidei autem Concordiam in pulcherrimo Latini, Græcique Ritus diſcrimine ſanciendam ominamur. (2) Hos certè triumphos promeretur Hominum Pater Sanctiſſimus, qui nihil præter Divinam Gloriam anhelat. Stetit Auguriis fides, quibus ante annos omnino Quadraginta puerili non ſemel carmine Florentiæ præſenſi eam, qua, Te in Solium evecto, fruimur in præſentia, fœlicitatem. Quo quidem tempore peramanter excepiſti devinctiſsimum cultum Federici Parentis mei; illum verò animo nunquam Tuo excidiſſe frequentiſsimè profiteri dignatus es. Ea eſt humanitas Maximi Principis, ut hanc quoque commemorare auſim Cauſam, quæ ad frequens tributum perſolvendum incendit geſtientem Scriptorem, præter cæteras jam recenſitas ipſi Argumento Scriptionis innatas. Vale, Sanctiſsime Pater, ac diutiſsimè Cæleſti hac Tui Regiminis forma ad Cælum erige corda Mortalium.

(1) *Duodecima.*
(2) *Tertiadecima.*

Cauſæ, propter quas Sanctiſſimi Pontificis

INNOCENTII XII.

Dotes exigunt Nuncupationem Tractatuum de Præſtantia, & Infallibilitate Pontificia.

Duo iſti, quos excudo, Tractatus fructus quodammodo ſunt decerpti ex Arbore Tibi, Pater Sanctiſsime, conſecrata, ex Polemica ſcilicet Concilii Chalcedonenſis Hiſtoria, quam, favente Divino Numine, conſequetur pugnans Narratio cæterarum Orientalium Synodorum iiſdem prope Divinis auſpiciis decoranda. In me receperam aliud vertente hoc anno ejuſdem Hiſtoriæ Volumen Sanctos ad pedes deferre; ſed vetitus ab aliis ingruentibus curis hoc ſaltem Opuſculum repræſento, quod Pontificiæ Triumphum Auctoritatis exhibet in eadem Sacroſancta, & Orientalium omnium numeroſiſsima, Synodo Chalcedonenſi. Earum nulla, quæ in Occidente conflatæ ſunt, plura mihi, & validiora Veritatum, quas propugno, Argumenta ſuppeditaret. Ex iis, quæ in medium profero, patebit, ſtolidè malignam eſſe Schiſmaticorum, & Hæreticorum Calumniam affirmantium, in ultimis Græcorum Conciliis aliquid fuiſſe indultum Apoſtolicæ Sedi, eò quòd, cum in ruinam vergeret Græcorum Imperium, fulciri cuperet Latinorum præſidio; in Occidentalibus autem Synodis facili negotio potuiſſe Romanos Antiſtites plus ſibi, quàm illis Vetuſtum Ævum conceſſerit, arrogare. Nihil abſurdius unquam effutivit Impietas, quia in poſteriorum nulla Romanæ Cathedræ Dignitas magis eluxit, quàm in Chalcedonenſi, quæ florente multò magis, quàm

Digitized by Google

Latinum, Græcorum Imperio, & a Patribus ferè omnibus Græcis celebrata eſt. Abſolutâ Vir Maximus alterius Hiſtoriâ Concilii, a quo nuper aucta Sanctitas, & Religio fulgorem intendit Cathedræ Petri, eamdem magis illuſtrari dixit a Principe tunc in ea confidente, cujus præconiis eximio ſuo coronidem Operi impoſuit. Id ipſum tentare non audeo poſt meam exaratam Hiſtoriam, antequam palmaria hæc ex illa inferam Corollaria, quia inopem me facit ipſamet copia. Quemadmodum igitur in obſequentiſſima Narrationis Polemicę Nuncupationę ea tantùm attigi ex cæleſtibus Donis in Te congeſtis, Beatiſsime Pater, quæ ſuſcepto tunc a me labori penitus conſerta erant, & quodammodo ipſi Argumento ſcriptionis innata: ita nunc amantiſsimum Græcorum Antiſtitum cultum erga Regale Tuum Sacerdotium expendens, illas tantùm prope Divinas Dotes delibo, quæ, votis omnibus a me quæſitam, Græcorum ſpondent fœlicitatem. Nihil ad illos in obſequium Vaticani ſuaviter rapiendos efficacius eſt, quàm manifeſta Sanctimonia Succeſſorum Petri, & eorumdem Paternus in ipſos Amor. (1) Utrumque hoc illicium nunc ſortiuntur, dum Fama vulgat Virtutis Heroicæ Prodigia totius admirationem Orbis excitantia. Delapſum e Cælo aliqui putaverunt mirabilem illum Sacerdotem, cui nulla fuiſſe dicitur Genealogia. De quo unquam hoc licuit illuſtrius ſuſpicari, quàm de illo, qui conjunctos ſanguine Principes nullâ penitus ſacræ particulâ gazæ reſpergens Inopes tantùm munificentiſsimus Pater adoptavit in filios: atque hos frequenti alloquio, ac perpetuâ Tutelâ dignatur? (2) Ab Apoſtolorum olim Coryphæis humana omnia exutis, Petro, Paulo, Joanne, Andrea, exculti Græci quàm proni erunt ad Venerationem Pontificis Maximi, cujus Munus non ex illibatæ tantùm ſecuritate Doctrinæ, ſed ex Imitatione quoque Apoſtolicæ Sanctitatis, jure appellatum vident Apoſtolatum in Chalcedonenſi Concilio? Tot, ac tam præclara ſunt, (3) quæ pro aſſerenda Æquitate, emendandis Tribunalibus, publici rationibus Ærarii vindicandis, uni Virtuti, ac Sapientiæ, relinquendo aperto aditu ad Honores, prohibendâ in poſterum nimiâ erga ſuos indulgentiâ decreviſti, ut ſingula ex innumeris Heroicis geſtis, atque decretis, comparare poſſent ſingulis Sacrorum Principibus, adeoque omnia plurimis, Nominis Immortalitatem. Minimè neceſſaria eſt inſignis quædam, ac prope Divina Virtus in Antiſtite Summo ad omnes ejus ad cultum alliciendos, cum Petri Dignitas, ut Magnus inquit Leo, etiam in indigno Hærede non deficiat. Sed, ſive magna Fœlicitas maximè dilectis Cęlo Principibus indulgeatur: ſive maximos, ut ait Plato, ſui amores pariat ſubjecta oculis Virtus, profectò celeberrima Græcorum ad Apoſtolicam Sedem Confugia, (1) & Communes ad Romanum Patrem Gentis illius Acceſſus potiſsimùm contigerunt, cum præcipuâ quadam inſolitę Virtutis gloriâ inclyti Pontifices imperabant. Ita provocavit ad Julium damnatus a Synodis Athanaſius: ſtaturùm ſe Damaſi Definitionibus, dixit Baſilius: eodemque regnante Sanctiſsimo Pontifice Romanæ præconia texuit Eccleſiæ Nazianzenus: ad Innocentii Primi confugit Chryſoſtomus Patrocinium. Ut verò prætereàm Antiquas, quæ tot erga Chriſti Vicarium Græci obſequii Trophæa ſtatuerunt, Synodos ſub Sylveſtro, Damaſo, Cæleſtino, Leone, celebratas, præclariſsima fuit Græcorum ad Romanæ Fidei conſortium Reverſio in Lateranenſi Concilio ſub Innocentio Tertio, in Lugdunenſibus ſub Innocentio Quarto, Decimoque Gregorio, impellentibus præterea Chriſtianos Reges, ac Cæſares in Turcarum exitium, & egregiè proinde de Græcia meritis, in Florentino demum ſub Eugenio Quarto: qui omnes contemptu terrenarum rerum, & Cęleſtium amore Supremi Sacræ Reipublicæ Moderatores inclaruerunt. (2) Quid memorem cæteras Innocentiorum dotes eamdem ſpem augentes miſerrimi Schiſmatis evertendi? Sive, præter jam recenſitos, inſignem in oppugnando altero Schiſmate Petri Leonis conſtantiam Secundi: ſive Octavi labores pro ſanciendo Chriſtianorum Principum in Barbaros Fœdere, qui fœlicius Conſiliis, Auro, Lachrymis Undecimi reſponderunt: ac Decimi ardorem animi novis in Erroribus opprimendis? Si ludit in Orbe Terrarum Sapientia, nec rarò Nominum Auſpicia completa vidimus, contemnenda nequaquam videntur illa, quibus Sanctiſſimi Principis Nomen, & Mores debitam eidem Fauſtitatem ominantur. (3) At ejuſdem Paterna in Græcos propenſio mirificè fiduciam, aliunde jam excitatam, incendit. Sicut aliis omnibus Pontificii motibus animi, ita huic quoque piæ in Græcorum ſalutem inductioni fuit cæleſtis Origo. (4) Quidni enim nil, præter Cælum, ſpirans Sanctiſſimus hominum Parens amet præclarè olim de-

(1) *Cauſa prima.*
(2) *Altera.*
(3) *Tertia, imò multiplex.*

(1) *Quarta.* (2) *Quinta.* (3) *Sexta.*
(4) *Septima.*

de Catholica Religione meritam Gentem, dilectam Superis, Cælumque tot primæ Magnitudinis ſyderibus locupletantem, firmantem in Conciliis Arcana Fidei, tracturam nunc ſecum Provincias, & Regna innumera, quæ vel illius Ritum ſequuntur, vel ſi aliis, præter conſuetos Orientalium Schiſmaticorum Errores, ut Abyſſini Neſtorii, aut aliorum Hæreſibus inficiuntur, Præſules certè accipiunt ab Alexandrino; ideoque illius reſipiſcentis veſtigiis inſiſterent, & communis Græciæ ad Unitatem Fidei Reverſio Tertiam addictorum Chriſto Domino mortalium Partem ad Romani Paſtoris Ovile revocaret. Hæc expendens Pater Beatiſſimus, miro prolatandæ ſtudio Religionis exæſtuans, paterna Græcos Charitate complectitur: in eorum plurima favorem decrevit; molitus alia fuit; ab illo quempiam diſcedere Ritu prohibuit: jura Collegii pro ipſorum filiis erecti, & Optimi beneficia Fundatoris dum fovet, eadem multipliciter inſtaurat. Huic ille uni Nationi Templum a fundamentis extruxit, in quo Sacra Græcorum Ritu perpetuò celebrarentur, ut in hac Arce Fidei Conſortium utriuſque, Occidentalis, & Orientalis, Eccleſiæ ſemper fulgeret. Dum in hoc illuſtri Templo plurimos Innocentio Duodecimo, Supremo Principi Antiſtitum, Patri Maximo, ac Beatiſſimo Papæ, orari Annos quotidie audio ſub Sacri Finem, hic enim mos receptus Græcis eſt, incredibili gaudio geſtio; omnes quippe in hac una diuturni, ac Seculum prætergreſſuri, Ævi Tui, Pater Sanctiſſime, Fauſtitate fortunas Eccleſiæ Univerſæ, atque ipſi præſertim Græciæ concedendas, video flagitari. (1) Primos Imperii Tui Annos frequentiſſima Venetiis, in Ruſſia, in Peloponneſo, alibi, ad Romanam Fidem Græci Ritus hominum acceſſio inſignivit. (2) In Ungaria verò, Dalmatia, Servia, Raſcia, Schiſma ejurantium ea vis fuit, ut una tantùm Diœceſis, immenſa quidem, & Moncacio ad Eſſeci Pontem protenſa, pluſquam Trecentos cum univerſo ſingulorum grege numeret Parochos exoſos Photium, Epheſium, omneſque ſuperbiſſimæ, ac nefariæ Separationis Auctores. Plurima hæc Centena Animorum Millia eſſe cenſeo Præludia cæterorum, qui, omnem numerum ſuperantes, Tuos procumbent ad pedes, Beatiſſime Pater, in ſolenni omnium ad Catholicæ ſinum Eccleſiæ Reditu, ad quem obtinendum hoc quoque Opuſculum conferre nonnihil fortaſſe poterit, ſi eidem cum tenuiſſimo Auctore benedicat Sanctitas Tua.

(1) *Octava*. (2) *Nona*.

Eximio Rhetori, ac Theologo

SFORTIÆ CARDINALI PALLAVICINO

Præcipuè dedicandum Volumen pertractans de Juriſprudentia ab Angelo Bernabò.

Quod ego Te, Princeps Eminentiſſime, Vulgaris homo publicè alloquar, Tibique conſecrem dona non mea, aliquis fortaſſe vertet audaciæ, & alio inſuper nomine inopiam mei conſilii culpabit. (1) Si enim a præclariſſima luce Nominis Tui gloriam meis Typis quærebam, cur non illi delicias addixi ſuas, Rhetorum ſcilicet flores, & Naturæ, ac Divinitatis arcana, quibus pulcherrimos annos donaſti, quæque egregio Magiſterio profeſſus es; ſed potius Legum decreta, quæ vaſtiſſima quidem mente complecteris, non tamen alios eorumdem Scientiâ Tua Docentis vox, aut Scriptoris calamus locupletavit? Verùm & clementiſſimæ humanitati Tuæ ingrata non accident munera erudita, & utcumque me deprimat ſortis abjectio, amare certè in me potes beneficia Tua. Acceſsit favor comprobationis Tuæ Typographis, qui ſapientiſſima Opera Tua Summorum Virorum nomini conſecrarunt: quæ me in præſens exempla confirmant, magiſque meus obſequentiſſimus cultus, cui ſeſe palam oſtendere votis ambitioſis prægeſtienti hæ ſolùm præſtò ſunt eruditæ Doctorum hominum opes meis ſumptibus publici juris effectæ. Quin ipſa etiam docta Volumina ſponte ſua ad Regalis Tuæ Purpuræ, hoc eſt ad Literatorum Principis, patrocinium volant. (2) Inter ingenioſas verò lucubrationes conſultò ſelegimus illas, quæ Leges, & Jura deſcribunt; quamvis enim ampliſſimus animus Tuus Doctrinarum omnium fontibus inundetur, ſitque Scientia qualibet prodigioſè dives, & eorum, qui nunc ætatem agitant, Nulli Secundus, comprehenſionem tamen abſolutiſſimam Juris, & Legum in Te ſuper alia omnia miramur; quia cum hujuſcemodi facultas peculiaribus Patrum Decretis, & alieni placiti eruditione definiatur, jure meritòque ſuſpicimus, quod præfervidum Ingenium Tuum ſuis alis ad Cælum eniti conſuetum, hiſce ſeſe carceri-

bus

(1) *Cauſæ, propter quas illi præcipuè conſecrandum hoc Opus.*
(2) *Prima.*

Digitized by Google

bus adeo conſtanter incluſerit. Quæcumque priſci Sapientes ad rectè temperandas Reſpublicas decreverunt, ea Tu omnia, ad ludum, vel ad quietem animi a gravioribus ſtudiis, edidiciſti duobus illis, quibus totum Divinæ Scientiæ Cælum annis dimenſus es, quod alii vix quatuor percurrunt: & ea tunc Cæleſtis Ingenii argumenta Quiritibus exhibuiſti, quibus jam tum Ingeniorum Phœnici Pico par Aquila dicebaris, & ſenes literarum Antiſtites pluribus Tecum uno diebus congreſſi, non Te Palladi proximum, ſed in Te renatam Palladem venerabantur. Tunc Ipſe non rarò digreſſus e Cælo, & Aſtræâ Tecum in terras revocatâ, quæ Jura Pontifices, quæ Cæſares dixere, complexus animo es. (1) Quamobrem illam præcipuè Tibi Scientiam devovemus, cujus dominatus in Te præcipuè admirationem laceſſit, velut etiam adeptio ipſa fuit omnium maximè prodigioſa. (2) Quid, quod Æquitatis leges ſuo veluti jure Auſpicia Tuæ Purpuræ flagitant: & quia, cum viva ſis Principum Sacrorum Idea, ex ipſa natura, moribuſque Tuis leges haurire, & exprimere deberent mortales: & æquiſſimo Ipſe olim imperio populos moderatus es, natus ad imperandum ex Præclariſſimo ſanguine Proavorum, quos Principes, & ſummos Exercituum Imperatores coluit Italia, timuit Europa. (3) Ad hæc juris, & æqui retinentiſſimum, & cuilibet repugnare pro æquitate paratum Te Roma admiratur. Et Legum, (4) quæ hominum mores temperant, amantiſsimum Te prodidere Divina de Humanis Actibus, deque Natura Boni Volumina Tua, & ex aureis libellis, quibus Theologiæ ſuccum omnem operoſiſsima brevitate incluſiſti, qui de Jure agit, & Juſtitia nulli primas concedit: &, quibus frequentiſsimis referta eſt mirabilis Hiſtoria Tua, (5) Sententiæ Politicis inſtitutis informant Principes Viros, Animatas nempe Leges mortalium, ut illos Pindarus dixit. (6) Tua verò Virtus digniſsimum Te exhibet, qui non receptis ſolùm Proavorum decretis temperes Populos, ſed recentia Ipſe jura condas populis adoranda. Si Legum olim latores ad aucupandam authoritatem decretorum ſuorum ementiti ſunt intimam familiaritatem Deorum, tanquam ex iis præclara illa Legum inventa peperiſſent; adeoque quas Bactrianis Zoroaſtres condidit leges, retulit ad Horomaſin, quaſque Scythis Zamolſcis ad Veſtam, quas Cretenſibus Minos ad Jovem, quas Solon Athenienſibus ad Apollinem, quas Carthaginienſibus Charondas ad Mercurium, (1) quas Pompilius Romanis ad Ægeriam, Te nunc intuemur non fictam Palladem ex imperantis Jovis mente prognatam, ſed veram authoritatis commendatricem Tuæ, notitiam, & familiaritatem Cæleſtium aſſecutum: & tum ex Ingenii præſtantia prope Divina, & Mente, qua donatus es aurea, ſicut illam in omnibus Plato Principibus exoptabat, tum ex Virtutum cultu religioſiſsimo exemptum propemodum communi ſorti mortalium. (2) Quantum eſt Tibi cum Cælitibus conſortium, quos perpetuò candidiſsimis, & labi cuilibet intactis, etiam in lubrico juventutis vere, mox etiam ſanctis Moribus repræſentaſti: ob ſpretas olim opes, & ſummos honores, quibus Tua Virtus velificabatur, quique a Te Reluctante tandem aliquando lucem acquiſivere, mortalibus venerabilis: ſemper cum priſcis Sapientibus colloquutus, vel illos ad vitam revocans in eruditis Colloquiis, quæ Muſæ perpetuò frequentant, & Charites: ad humanas non dico voluptates, ſed neceſsitates ipſas rarò ab altiſsimarum rerum cogitationibus avocatus, & fermo tantùm uberrimo ingenioſæ pabulo dapis recreatus, adeo ſupra mortalium vulgus, & priſcos legum Latores aſſurgis, (3) ut ſancire jura poſsis majus omnino, quàm illorum placita, pretium habitura. Porrò cum ſemper fœliciſsimus animus Tuus lucidum veritatis Cælum pervolitet, neque hominis tantùm, quod rari mortales, ſed ex hac noſtrati, & communi concretione ſolutæ Mentis perpetuò vitam ducat, mirabimur, quod petitum e ſyderibus aurum ſupra paginas eruditas diſpergat? Mearum partium duco, veluti Sacra Divorum, ſcriptos a Te Libros venerari. Sed (quoniam noſtris in officinis ab Eruditis, qui eas frequentant, Viris ſummorum hominum librantur Ingenia, velut in ædibus Laurentii Medicei Regnorum pondus explorabatur) ex innumeris, iiſque doctiſsimis viris accepi, ingenioſius nihil, ſolidius, profundiuſve Theologicis Tuis Operibus reperiri, & in illa, velut in Uniones, & Adamantes, ſparſum per immenſas aliarum gemmarum moles pretium, & candorem omnem confluxiſſe: Tragediâ, qua D. Ermenegildi magnanimum celebras fatum, ſuavius, aut doctius nihil Hetruſcas Muſas emodulatas, adeoque in Italico certè, quidni & in Latino, illam Cothurno Principem eſſe. Hiſtoriam verò

(1) *Altera*. (2) *Tertia*. (3) *Quarta*. (4) *Quinta*. (5) *Sexta*. (6) *Septima*.

(1) *Octava*. (2) *Nona*. (3) *Decima*.

verò Concilii Tridentini ob immenſas, quibus affluit, opes ingenii, ac doctrinæ, ob acutiſsima tela, quibus hoſtem ſapientiſsimè, & verè Palladis haſtâ tranſuerberat, ob Rhetoricæ elegantiæ lepores omnes, & Matronæ cultu indutas Veneres elocutionis, quibus egregiè repræſentas, quas aureus de Stylo liber Tuus, priſcis Rhetorum præceptis omnino ſuppar, leges præſcribit, ob allata Romanæ Fidei emolumenta, cæteraſque eximias prærogativas, non Hiſtoricorum modò aurei ſæculi Principibus palmam dubiam facere, ſed præſtantiſſimum profectò eſſe omnium Opus, quæ demum cumque maternâ linguâ exarata Italiam exornavere. Animos mihi tandem addit beneficentiſſima Humanitas Tua, ut communes ad Te deferam de Te ipſo Typographorum omnium querelas. Suæ illi fortunæ iraſcuntur, quòd privatis colloquiis Tuis ſemper intereſſe non poſſint, aut illa ſaltem ab aliis accipere poſteris omnibus a ſe commendanda. Enimvero ſicut Amanuenſes quamplurimi Moeoræo adeſſe Regi perhibentur, & labore improbo excipere quæcumque prodeunt oracula ex ore barbari Principis, ut illi ineptè, ſic nos prudentiſſimè legeremus in publicum Typis proferendas, quas Roſas, quos Uniones loqueris in communi quovis congreſſu, vel rura perambulans, a Te Apolline in Parnaſum mutata, vel tenuiſſima dape reficiens vires, adeo ut pretioſius omnino convivium a Te cænante adornetur ingeniis, quàm alii immanibus Voluminibus Typos vexantes per annos plurimos chartis impalleſcentes inſtruxerint. Vale, Princeps Eminentiſſime, ac diutiſſimè Vive Famæ ſuperſtes Tuæ, quoſque Lectorum oculis invidet eximia copia, mirificæ ſapientiæ theſauros auribus eruditis indulge.

Concentus Virtutum

Eminentiſſimi Principis Cardinalis

CAMILLI MAXIMI

cum Tragœdia

P. STEPHANI TUCCII, quæ inſcribitur: Chriſtus Judex.

Octogeſimus ferè annus agitur, Eminentiſſime Princeps, ex quo exceſſit vir immortalitate digniſſimus P. Stephanus Tuccius, cujus mirabilis Tragœdia, quæ inſcribitur, Chriſtus Judex, editionis cupiditatem in plurimis excitavit; at innumera, quibus occupata erat, ſcriptorum menda, ac præſertim implexæ invicem, & permiſtæ ſcenæ, hanc in omnibus voluntatem infregerunt. Laborioſâ curâ, nec pœnitendâ, conjectando ferè, & hariolando, potius quàm plures codices conſulendo (omnes enim corruptiſſimi erant) Auctoris mentem aſſequutus, ſic deterſi carmen, ac emaculavi, ut ad priſtinam integritatem, ac ſplendorem rediiſſe tandem judicari meritò poſſit. Repertum theſaurum publico deberi, & quod egregiè ſcriptum eſt, ſcriptum omnibus cenſui: meumque putavi, quod, ut prodeſſet omnibus, publicum facerem. Cum autem innumerabilia in me Tua ſint merita, Princeps Eminentiſſime, cumque, licet univerſa mea ad Te ſtudia deferam, probè animadvertam, eximiæ ſapientiæ Principis doctrinis omnibus ornatiſſimi omnino impar eſſe vectigal, quam Tibi nuper Encyclopædiam conſecravi: alieno ſaltem e cenſu proferre munuſculum decrevi, quod non indignum eſſe reor ſumma eruditione Tua. Et quoniam immortalitati donare illos nequeo, quibus mea nuncupo, ut Apion de ſe apud Tiberium Cæſarem gloriabatur, (quamquam nec Ipſe indiges præſidio noſtro, qui Tuarum jure virtutum perennis famæ regnum ingrederis) hujuſce Opuſculi gloriæ, non ante, ut arbitror, interituræ; quàm ab ipſo deſcripta ſuprema rerum humanarum cataſtrophe tandem exhibeatur, conjunctiſſimum Te penitus eſſe ambio, dum eidem e tenebris educto lucem quæro a fulgentiſſimo ſplendore Nominis Tui,

Æqui-

Digitized by Google

(1) Æquitatis amantiſſimo Principi, quique in ferendo ſuffragio præclarè ſequitur exemplar Divini Regiminis, conſentaneum duxi, Chriſtum Judicem repræſentare. Non minus Tibi, quàm Catoni, convenit nobile illud Marci Tullii præconium: (2) O te fœlicem, a quo rem improbam petere nemo audet! Qui causâ laborat, ſe Tibi, vel amico judici, approbari poſſe deſperat. (3) Ad hæc Juſta cum omnibus facis, ſingulari Deum Religione, Charitate populum, & incredibili utramque fortunam Tuam moderatione proſequutus. Hinc alio inſuper nomine ampliſſima auſpicia Tua flagitat Carmen, quo cenſura de humano genere ferenda deſcribitur, quia, (4) cum viva Ipſe ſis Principum Sacrorum Idea, ex ipſa natura, moribuſque Tuis leges haurire, & exprimere mores Immortali Judici probandos cæteri poſſunt: (5) ac Tua virtus eximia digniſſimum Te exhibet, qui alia etiam jura populis tradas. (6) Interim verò cum alienæ fœlicitatis ſtudioſus unicè ſis, Regalis Tuæ Purpuræ patrocinio dignaberis carmen, quod ſaluberrimo timore viam aperiens divinæ charitati mirabilem afferet medelam animis laborantibus, qui eam a ſe, quam malint, in hac Tragœdia perſonam gerendam eſſe certò credant. Præſertim verò ſi mentes irritent oculis ſubjectæ fidelibus inſperatæ converſiones humanarum rerum miris a Poeta coloribus delineatæ. Quod præſtari facili negotio poteſt, ſi præter conſuetam ſcenam ſtatuatur aliud tabulatum nubibus obſitum, imminens interiori proſcenii parti: neque porrò neceſſarii ſunt volatus, & machinæ, quæ magnos exigant ſumptus, aut inſolita theatri pictura, præter imaginem urbis, nemoris, horti, rupium, & oſtii tartarei, quæ in promptu eſſe ſolent ubicumque tragica ſpectacula exhibentur. Quorſum hæc, inquiet, aliquis, tam prolixè, & ultrà epiſtolæ modum, præfamur cum Sapientiſſimo Principe, qui conſecrati ſibi Operis dotes ſtatim animadvertet? Tecum videlicet præloqui audeo, quæ cæteris eſſent Lectoribus innuenda, quia eadem ſcribenti mihi affulget lux Humanitatis & Clementiæ Tuæ, quæ me ad fiduciam colloquii ſolet erigere. Hac fretus non prætermittam cæteras eximii carminis laudes, quæ jucundum omnigenæ doctrinæ Tuæ pabulum erunt. Admirabilius nullum hujuſce Tragœdiæ argumento excogitari poteſt, adeoque implexum, patheticum, moratum, miſerabile: quas dotes in præſtantiſſima Tragœdia requirit Ariſtoteles; (1) ideoque cum præclarè doceat præcipuam artem, qua populi in officio continentur, Divini ſcilicet Judicis metum, gratiſſima accidet Illi, qui egregiè callet imperandi artes: (2) & quæcumque ad rectè temperandos populos ſancivere jura Pontifices, & Cæſares, complexus animo eſt: quæ doctrina Illum maximè decet, qui originem ducit a Nobiliſſimis Proavis, quos Principes, & ſummos Exercituum Imperatores, & Patriæ Patres, ipſa olim coluit Romana Reſpublica, & conſequentia deinde ſecula ſuſpexere pacis, & belli artibus florentiſſimos. Præter eximiam ſcientiam Juris, & Legum, (3) Philoſophiæ maximè addictus es, cujus præcipua pars Ethica ſummopere acquieſcet in hac Tragœdia præclarè informante hominum mores. (4) Neque ſuæ deliciæ deerunt Theologiæ, & cognitioni Sacrarum Literarum, ad quas perpetuò reſpicit Vates, inſerens carmini præcipua Sanctiſſimæ Fidei arcana, & quæcumque in Divinis Voluminibus habentur de ſupremis mundi temporibus. Hæc quidem omnium ornamenta doctrinarum ita in Te confluxerunt, ut excellas in ſingulis: quod quidem decus in Viro exempto a publicis muneribus eximium ſpectaretur; at in Principe, qui dignitatem, & gloriam maximis in Chriſtianam Rempublicam meritis, ſummiſque rebus geſtis ſit conſequutus, prodigioſum videri poteſt. Sed enim ſublime ingenium, & incredibilis ardor, quo ſuis perpetuò fontibus inhiantem vidit Sapientia, omnibus Te literis irrigavit: cui ſiti maximam etiam noctis partem ſopori ademptam indulges: & ea omnia, quæ ſemel hauſiſti animo, perpetuò retines, ac tempeſtivè profers ex immenſo ærario memoriæ: Ut proinde ſingulare docentis acumen, hiſtorica narrantis elegantia, politica cenſentis ſolertia, & ſuavis eloquentiæ flumen, Urbem rapiat in admirationem Tui. (5) Ad hæc Poeticæ, & illuſtrium Artium, quæ illi famulantur, quæque manus, oculoſque

(1) *Cauſæ, quæ me ad conſecrandam hanc Tragœdiam Ampliſſimo Principi impulerunt.*
(2) *Prima.* (3) *Altera.* (4) *Tertia.*
(5) *Quarta.* (6) *Quinta.*

(1) *Sexta.* (2) *Septima.* (3) *Octava.*
(4) *Nona.* (5) *Decima.*

que exigunt ingenioſos, & veteris eruditionis blanditiis caperis. Tuum idcirco in ſinum ſponte ſua volat hoc carmen, cujus profectò ſtyli candor ejuſmodi eſt, ut aureum Latii ſeculum exhibeat; nativa enim eſt, non adventitia ejus elegantia, quamque non quæſiviſſe precariò, ſed in illam jus habere videtur Auctor, & poteſtatem: ubique ampla, erecta, nervoſa: (1) ſpinoſa nunquam, auſtera, obſcura; ideoq; repreſentans candidiſſimum, & elegantiſſimum animum Tuum. Quodque in uno Principe Poetarum admiramur, ambitioſum in ea eſt nihil, ac nimium: perinde ac in moribus Tuis. (2) Ut omnibus illa eſt numeris abſoluta, ita in Te mirificus quidam concentus eſt laudum: vaſtæ capacitas Mentis, exacta Prudentia, præcellenſque Judicium, Excelſa Magnitudo animi, Conſtantia, Gravitas, Indoles Suaviſſima, & Humaniſſima, ac plena Pudoris ingenui, ideòque populis omnibus, ac Principibus apprimè grata. Hinc quoniam ad teſtimonium, gloriamque maximam hujus Tragœdiæ pertinere putavi (3) Sapientiſſimi Principis laude ornari, qui non ſingulorum modò Vatum, ſed illuſtrium etiam Academiarum Apollo ſit, rogo, dignitati, ad quam meas nugas provexit indulgentia Tua, adiicere digneris fauſtum alienæ virtuti ſuffragium: ac præſtes, ut in Auctore quoque hujuſce Carminis gloriati judiciis Tuis poſsim. Explicata igitur, & omnium animum ſerenante Tua illa fronte idem excipe, ac eximia, qua polles, auctoritate tuere. Vale, Princeps Eminentiſsime, & Chriſtianæ Reipublicæ fœlicitati diutiſsimè Vive.

(1) *Undecima*. (2) *Duodecima*. (3) *Tertiadecima*.

Ea tantùm Maximi Viri

P. JOANNIS PAULI OLIVÆ

PRÆPOSITI GENERALIS SOC. JESU,

Et Pontificii Concionatoris

Dotes attingam, quæ nexum habent cum Epiſtolis P. Bernardini Stephonii eidem conſecratis.

THeſauros magna ſaltem ex parte illi deberi, cujus e ſolo eruuntur, vetuſta lex præcipit, Religioſiſſime Pater. Cum ergo repertæ ſub fauſtiſſimo noſtri Ordinis Regimine Tuo, Te probante, prodeant in lucem maximum ab eloquentia, ingenio, elegantia nactæ pretium, poſthumæ opes immortalis Auctoris Bernardini Stephonii, Tuo nomini meritò cenſentur, velut in anteceſſum, obæratæ. At ego poſtquam hoc aurum ab inducto exſcribentium incuriâ ſqualore deterſi, conſecrantium Opera ſolenne munus tentare non audeo, Tuas ut laudes enumerare aggrediar; cum dives, & ampla materia Stephonium ipſum deterrere poſſet, quamvis omnes facundiæ nervos intenderet. Illas igitur tantùm delibo, quæ huic Opuſculo, ejuſque Auctori, cognatæ ſunt, dum plurima recenſeo nomina, ob quæ illud Tibi nuncupandum videtur. (1) Quem illius Auctor in Rhetorum exedris principem locum tenuit, ſacra Tibi roſtra detulerunt. Miris utriuſque facundia dilaudata præconiis, Principum, Romæ, Orbis terræ plauſus laceſſivit. Inſignis utriuſque in dicendo vis, ſerius, quique Reginam eloquentiam deceat, graviſsimus cultus. (2) Neque verò quòd Latina illum, Italica Te Suada finxerit ad omne decus, quicquam diſcriminis ſubeſt; cum eadem in utraque triumphet ars, idem ingenium. Quid, quod in præſentia ſubſunt prælo ſex ingentia Latii linguâ exarata Volumina Tua, quorum ſtylo quid ingenioſius, aut efficacius ad rem ipſam vivis coloribus exhibendam? Quod verò pondus, quæ illuſtrium copia rerum!

(1) *Primus nexus*. (2) *Alter*.

Digitized by Google

rum! Quàm acutæ, quàm uberes in ſingulos Sacrarum apices Literarum animadverſiones! Quæ ſententiarum, quæ ſimilitudinum fulgetra! Quæ fulmina ad animos igne divino incendendos! Quis porrò in ſcribendo curſus, an volatus experrectæ mentis! Adeo ut octo majores paginas ſingulis antemeridianis horis ditiſſimi animi ſyderibus locupletaveris; intra quatuor annos ſex ingentia Volumina, graviſſimis aliis curis implicitus, exegeris; ex his verò unum quarto nondum expleto ætatis luſtro confeceris, (1) Quibus pariter ingenii alis in ſcribendo celerrimè raptum Stephonium ferunt. Hæccine porrò *Fragmenta* nuncupas, quibus regale, ac planè cæleſte convivium adornas animis? Enimverò vix ſalubriores epulas inſtruxerunt alii. Ut proinde minimè temeraria expoſtulatione de Tua modeſtia conqueri audeam, quòd in ſacris Concionibus cujuſquam alterius auctoritate rationum momenta fulciveris, cum tot adeſſent Tibi Tui ex oceano ingenii exorti ſententiarum uniones argumentationum auro illigandi. Quamvis Tuæ pariter dicendæ ſint alienæ opes, quas non digeſtas ab aliis in claſſes dicendarum rerum, ut plerique ſacri Oratores præſtare conſueverunt, adeoque non in ſtagna collectas, ſed ab ipſis fontibus hauſtas, diverſæ ab illa, quæ Auctoribus erat præ manibus, materiæ ut plurimùm aptaſti, ſingularem hoc ipſo artificio promeritus laudem ingenii. Et has quidem aliorum gazas, meritò cenſendas Tuas, in ſexaginta ſupra Centum Volumina diſtributas, & ad quodlibet argumentum ditandum accommodatas publicæ luci exponere meritò poſſes, non ſine illuſtri, quod provocares, præconio Tui, & inſigni compendio Reipublicæ Sapientum. Quod ſi alios Sacræ Interpretes Paginæ hoc honore affeciſti, ut illorum ſententias proferres Tuarum ipſe ditiſſimus, par Tibi referent poſteri, depopulando locupletiſſima æraria Tua, Teque inter inſignes Divinorum Interpretes Oraculorum frequenter in medium afferendo. Atque has damnaveras tenebris cæleſtes fodinas, Vir Sapientiſſime? In hoc etiam Stephonium æmulatus, (2) cujus Opera cum inſignem in omnibus admirationem ſui concitarent, eadem ipſe ignis tantùm, quo conflagrarent, luce digna cenſebat. Plurimùm hoc etiam nomine Sacræ Literæ debent ingenioſiſſimo Divini Verbi Præconi Antonio Vieiræ, qui ſummis precibus, ac penè officioſo convicio pulcherrimam hanc prolem a Parente ſuo carceri devotam in libertatem aſſeruit. Qui ſacris Concionibus Tuis plauſus datus hucuſque fuit eximius, hæc idem Commentaria proſequetur. Ut dicentem æquavit nemo, (uſurpatis in Nuncupatione libri de Stylo Sfortiæ Cardinalis Pallavicini verbis utor) ita fortaſſe Tuam nullus laudem æquavit ex iis, qui dictas in ampliſſimo, auguſtiſſimoque Orbis terræ theatro ſacras Orationes ſubjecerunt typis. (1) Tanta dicentem admiratio ſemper excepit, ut quæcumque ultima audiretur oratio, omnium, quæ auditæ ante fuiſſent, pulcherrima crederetur: quod etiam declamanti Stephonio perpetuò contigiſſe narratur. Hinc mirum nulli videri poteſt, quod poſt divinam ambroſiam Summis quatuor Pontificibus ſuppeditatam, ægrè vacationem a præclaro munere ſumma contentione precum potueris extorquere. In quo eximiam ſitim audiendæ veritatis in Arbitris ſacrarum rerum meritò ſuſpicimus, cum ſalubrem laborantibus medelam animis, adeoque identidem abſynthium, ſummo candore, ac Apoſtolica libertate, licet aureo in calice, propinares. Quis verò bibulis auribus non inhiaret illi, qui cæleſtem referret Joannis prope Jordanem perorantis ardorem animi, aperta Alteri Divinarum Literarum arcana, Alterius aurea facundiæ flumina, & ſaluberrima cordibus, quæ ſacros redigebant in cineres, Pauli fulmina? Neque verò, quod præſtitum ab aliis abunde fuit, ſingulas ego Tuas in dicendo laudes ingredior. Eas tantùm innuo, quæ plurimum præſeferunt admirabilitatis, eò quòd pugnantes invicem videantur. Quis unquam in animum induxiſſet, dum tam illuſtri verborum, & ſententiarum ſerie contextas orationes audiret, ne apicem quidem unum ante a Te ſcripto exaratum, vel dictatum aliis fuiſſe, & vaſta ſolùm mente conceptum partum in regali conſeſſu edendum in lucem? (2) Quis unicam tantùm diem meditationi dicendarum rerum indultam identidem Tibi fuiſſe; cum triduum ſolummodo conceſſum ſubinde fuiſſe Stephonio meritò ſuſpiciamus? (3) At ſcriptarum ab

(1) *Tertius.* (2) *Quartus.*

(1) *Quintus.* (2) *Sextus.*
(3) *Septimus.*

Digitized by Google

hoc, quo Latina noſtri ſeculi facundia tantopere ſuperba incedit, rerum copiam admiramur, licet pleraſque illius animi moderatio poſteris inviderit? Quis porrò hac ipſa laude Tecum decertet, qui, præter Pontificiarum tres ingentes Concionum Libros, ſacrarum ſex Parænеſum, quibus domi nos ad religioſam virtutem incendiſti, Sermonum duos, quæque nunc avida præſtolatur Europa, ſex pariter Divinas in Literas Divina Volumina, pretioſos alios theſauros conſultò ſupprimis, quatuor videlicet in ſingulos ſolennis jejunii dies conciones, in plurimos octo; nam octies in principibus Romæ Baſilicis per cinerales ferias, quatuor videlicet annis quotidie, quatuor verò aliis Dominica, & Mercurii, ac Veneris die Quirites profluo illo Tuo cæleſtis fonte ſapientiæ lactaſti, diverſum quot annis præbens animis pabulum; & ſupra ducenties, præter editas in lucem Allocutiones, divinum nectar ſacris alumnis Tuis inſtillaſti, quo pariter publico juri conſignandæ paginæ rigari ambiunt. Et magnam horum partem a Te ſcriptam, quæcumque certè oculis non abnuiſti, præparata typis fuiſſe inter publicas ſummi Regiminis curas, nemo non admiratur. Plura ex Te uno prodierunt Opera, quàm ex omnibus in unum collectis Deceſſoribus Tuis ingenioſiſſimis, & ſapientiſſimis viris. Ad hunc verò Supremum Tui Ordinis Magiſtratum aptam indolem ſortitum Te fuiſſe dicerem ab illuſtribus Majoribus Tuis, ac duobus præſertim Avunculis, qui Sereniſſimi Duces Genuenſis clavo Reipublicæ præfuere, ſi addere Tibi quicquam ad dignitatem terreni Generis decus, niſi contemptu ſui, poſſet, majori generoſitate pectoris faſtiditum; ut de Honorato, cui religioſiſſimè addictus es, inquit Hilarius. Huic, quod majus, & auguſtius ſuſcipiendo feciſti, præclaro Muneri Pietatis ac Prudentiæ lux in ipſa Aurora fulgens, in ipſo videlicet religioſæ vitæ tyrocinio, publicis Te omnium votis, ac ominibus deſtinavit. Et illud quidem fruſtra ſubterfugere conatus es, omnia primò majora regimina conſtantiſſimè renuens, & minora tandem excutiens; nam experimentis de more comprobanda non erat Virtus eximia. Fruſtra demum exhorruiſti in Te conſpirantia ſapientiſſimorum Patrum ſuffragia; oppreſſa enim fuit a publico ſtudio verecundia Tua, quæ diu multumque reluctata, ingratiſſimum demum honorem ſubivit, ne minorem illum promeritis ſuis, obſtinato animo recuſando, putare videretur. Illo certè majorem exhibuit Te vaſtiſsimæ capacitas mentis, qua dum ad perpetuum laborem, ac ſolicitudinem publica Te Tuorum res cieret, interim per annos plurimos Sacri Purpuratorum Senatus, Sanctiſsimorumque Pontificum auribus Apoſtolica tuba inſonuiſti: noſque frequenter ad cæleſtes curas erigere non ceſſas publicis allocutionibus; perinde ac ſi Sacris unicè Literis, Tibique vacares, ac Deo. Illis, quas ad poſteros immortales typographorum formæ tranſmittent, venturis curas ſeculis inſerens, perpetuò religioſam hanc Familiam moderaberis: velut in præſentia exemplo illam, ac longè prudentiſsimis legibus egregiè temperas. Prudentiæ quidem (cujus in hiſce, quas Tibi conſecramus, Literis ſplendor illuſtris emicat) Te laus tanta commendat, ut Urbis Oraculum perpetuò habitus fueris; ad res ſummopere arduas a magnis Principibus adhibitus, quas incredibili dexteritate, ac ſedulâ curâ ad finem ſemper fœliciter evolviſti. Auctoritas Tua, Conſilium, Fides, intacti cuilibet exlegi motui cordis nitor, gratiæ non appetens, offenſæ impavidus animus, in ipſis eminens verbis, non omnium modò, qui Te frequentes maximi adeunt Viri, cordibus inſinuavit, ſed imperium in omnes, quos alloqueris, propemodum tradidit. An verò privatis tantùm hominibus admirationem Tuæ mentis ingeris? An illis tantùm e primis unus videris, ut moderatè dicam, qui nunc ætatem agitent, viris? An minor Tua, ut Joannis Pauli Olivæ, quàm ut Generalis Præpoſiti Societatis Jeſu, Fama circumfertur; cum ipſi, qui Proregium Divinitatis Munus tenuere, tanto Te in pretio habuerint, etiam antequam publicam tui Ordinis molem ſubires? Quanti Te fecerit Urbanus Octavus, teſtati ſunt ſuperſtites ex Fratre Nepotes Ampliſsimi, Innocentius Decimus, & Alexander in illius, cujus frequentiſsima colloquia, & conſilia expetebant, Tuo videlicet in ſinu, Tuis in amplexibus deceſſerunt. Atque hic in Te Vicario tunc Generali cum jure Succeſſionis à Tuis renuntiato, jus omne regiminis ſitum voluit; licet ætatem adhuc ageret optimus, ipſique gratiſsimus Præpoſitus Ordinis Goſuvinus, Clemens Nonus latam ab aliis legem, ut poſt novem

elapſos annos communis noſtrorum hominum Cœtus neceſſariò cogeretur, quouſque Te Cœlum nobis indulſerit, abrogavit. Clemens Decimus fraudandas Tua concionantis voce aures ſuas ægerrimè tulit, cum ſerò flagrantibus Tuis, atque iteratis precibus acquieverit. Nam cætera prætermitto, quæ iidem, ac ſanctiſſimè nunc imperans Innocentius, amoris argumenta maximæ Tuæ Virtuti, ac Sapientiæ præbuere. Adeo e religioſæ modeſtiæ nubibus Tuus Romanum in cœlum fulgor erupit. Sed quantùm inclaruit domeſticos intra parietes ſol, qui lynceo lumine negotiorum omnium latebras illico explorans, cum ſydereum Cæſare velocitate certat, dum ſuos luſtrat diſperſos cum ſole filios, ipſiſque paternas porrigit manus. Profectò ſummo mentis acumine ita pervadis animos: ita rationum momenta libras ex tempore: ita nec decipi potes, neque decipere: ita conſulis ilicet, quas Tibi æquiſſimas, & vero Patre dignas flectendi Ordinem leges præſtituiſti, ut unam intra diem conficere ſapientiſſimè poſſis, quæ alios pluribus diebus implicitos detinuerunt. Sed fœlicius latè mananti religioſiſſimæ Exemplo Vitæ, quàm ſaluberrimis decretis ſacras Tuorum habenas flectis. (1) Jamque alterum in Te, quod ſpectabile hoc Tibi dicatum Opus reddit, videlicet Pietatis undecumque his e Literis emicans ſydus, curſim ſuſpicimus. Inter Urbis, & Aulæ ſtrepitus, tot inter in ſe perpetuò redeuntium ſolicitudinum fluctus, Maſſiliæ ſemper, ac Manreſæ ſpecus incolis animo. Summo mane ante alios evigilans, diutiſſimè inter orandum frueris amplexu divino. Mox eidem Tuo Numini ſacras ad Aras occurris, cæleſtem ambroſiam lentè ac ſenſim epotans: ac per diem frequentiſſimè juſſis, quibus mirificè imperas, aliis omnibus curis exulare, Cælum aggrederis precibus. Hinc arbitrium exoritur ex cæleſti decreto formatum; hinc omnis æquitatis color hauſtus ex Deo: hinc a cæleſti radio picta indoles: hinc a Divino expreſſæ Regimine imperandi leges: hinc mortalium heroicus contemptus rerum, ut idcirco Tuum nunquam animum perſtrinxerint Romanæ, quæ Te circumſtant, & ambiunt, fulgura gloriæ: hinc decori lux e moribus, & ipſo vultu efflorefcens: hinc intima, quam in ſingulis colloquiis Tuis deguſtandam præbes, immortalitatis nota: hinc paternum ingenium, quo ſingulos amplecteris, fortunare omnes ambitu honeſtiſſimo flagrans: quam indolem ipſæ pandunt admiſſiones facillimæ: præſefert gratiſſima ſine ullo fulgure lux oculorum: oſtendunt geminata concedendi feſtinatione beneficia, & plerumque ademptus petendi pudor. Quamvis autem omnibus eſſe ames ara perfugii, & ſingulis fulgere radiis nitoris innocui, non turbido lumine; tamen ſi publicæ, quod Te inflammat, rei ſtudium negare cogat, quæ ab exteris noxia flagitantur, inſignis comitas corda ipſorum, quibus abnuis, mirificè rapit. Ut verò eadem ſubit amabilis linguæ gratia, ſuavitas, jucunditaſque ſermonis, nihilque majeſtati detrahentes liberales joci! (1) Quod, invicem certare viſum gravitatis, & leporis conſortium in his etiam Stephonii literis admiramur. Ut ingenia excolunt doctrina, & eruditio, qua condis colloquia; adeout Tuo nunquam e conclavi exeundum ſit, quin plurima notatu digniſſima menti ſe ingerant: quin in præconia Integritatis, Religionis, Humanitatis, & Sapientiæ Tuæ non ſit erumpendum. Et mirabimur, Regimen ornatiſſimi dotibus omnibus Viri Divino ſuffragio comprobari? Dum pulcherrima in Tuis priſcæ Virtutis ſpecies Te Præſide magis magiſque floret in dies: dum incenſum in iis quotidie magis ardorem vides Divini Verbi ſeriò, & ipſa etiam per oppida, & montes, diſſeminandi: dum majores honores decreti ſunt ferè omnibus e Societate Cæleſtibus Viris, quos Eccleſia Divina intulit aris: dum indultum honorificentiſſimum, & proprium Fundatori Sanctiſſimo Sacrum, ſolenniores divina celebrandi Ritus in cultum Indiarum Apoſtoli, Sanctitatis laurea Franciſco Borgiæ, Beatitatis inſulæ magis conſpicuo auro illuminatæ Stanislao, relatus Aloyſius in quotidianos Martyrum faſtos, præludunt aliis, quos non abſimili ſplendore Tuum ante deceſſum illuſtrandos meritò ſperamus. Et hæc quidem ſeri Tui in Cælum reditus ſpes maxima fœlicitate noſtrum erigit Sodalitium, in quod innumera Tua ſunt merita. Cur autem magnâ fauſtitatis hujus fiduciâ non extollamur, cum convulſus nunquam moderatiſſimæ tenor vitæ, Divinis acquieſ-

(1) *Octavus.*

(1) *Nonus.*

Digitized by Google

tens decretis virtus, creſcentes laboribus vires, memoriæ atque ingenii prope juvenilis alacritas, plurima ævo Tuo luſtra ſubtrahere videantur. Excipe interim, Religioſiſsime Pater, aureum hunc libellum, eo etiam nomine debitum Tibi, quod Epiſtolas includat, quarum Volumina Ipſe plurima exhibere poſſes admirationi ſapientum; quodque Styli præcepta recludat, quæ Ipſe Tuis fœliciſsime in Operibus expreſsiſti; Vale.

F I N I S.

Digitized by Google

JOANNIS LAURENTII LUCCHESINII

Lucenſis e Soc. Jesu

Sacræ Congregationis Rituum Conſultoris

ENCYCLOPÆDIA,

SATYRÆ, ET PANEGYRICI,

VARIO VETERUM POETARUM STYLO,

Et aucta Præcepta Rhetoricæ Artis Numeris incluſa.

Quarta quorumdam Editio, aliorum tertia, cæterorum ſecunda.

ROMÆ, Typis Georgii Plachi, apud S.Marcum. 1715.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

CANDIDO LECTORI.

MIRABITUR fortaſſe aliquis, quod pluribus editis Voluminibus congreſſus cum hoſtibus Fidei, & Pſeudopoliticis, nunc Poeta prodire amem, quaſi ſerii laboris pertæſus. Verùm, utcumque ad pangenda Carmina regreſſus fuiſſem, carpendus proinde minimè forem; Exemplar enim mihi eſſet Sanctiſſimus, Sapientiſſimuſque Gregorius Theologus, qui, poſt certamen ſuſceptum cum Ario, Eunomio, Macedonio, aliiſque Perfidiæ portentis, in extrema, nedum in viridi, ſenectute ſcribendis ſacris Carminibus animum iterum adjecit. Sed enimvero, quæ nunc exhibeo, vetuſta ſunt adeo, ut pleraque exarata fuerint ante ſex, aut octo luſtra, unumque ante duodecim omnino. De hoc ut conſtet, ſingulis prænotabitur annus, quo publicè dicta ſunt. Idcirco verò putabit ne quiſquam obtemperare me Horatio voluiſſe præcipienti, ut ad limam verſus identidem revocentur, nonumque premantur in annum? Hæc mihi diuturnæ moræ cauſa profectò non fuit. Adeo nullam iis refingendis curam impendi, ut pleraque, nuper tantùm Tuſculi relecta, viſa mihi fuerint rejectitia proles a patre ſuo dudum extra pomœrium amandata, & nunc primùm ad parentis oculos regreſſa. Religioni duxiſſem ſubtrahere horas cognoſcendis Cauſis eorum, de quibus referendis in album Divorum quæſtio agitatur, & proſequendæ pugnæ cum Vaticani Perduellibus conſecratas, eaſque addicere ſubjiciendis iterum incudi Carminibus. At enim, inquies, cur his, quæ demorſum non ſapiant unguem, carminibus laceſſis publici judicii aleam? Ad hoc præſtandum plures me cauſæ impulerunt. Et primò quidem Typographo demum annui, quia Sexdecim ex hiſce Poematibus prodiverunt olim in lucem, quorum exempla cum deſint, eaque a plurimis (quæ ipſorum eſt humanitas) deſiderentur, ſubjicienda iterum typis fuerunt. Ut illis adjiciantur cætera, opportunum cenſuit authoritas Amicorum, quorum doctrinam, & fidem mihi blandiri non reor. Crimini præterea mihi verterem diutius occultare quædam ex his, quæ nunc primò excudentur, cum celebrent laudes Sanctiſſimi Juvenis Aloyſii Gonzagæ, cui omnia ſumma, ipſamque Vitam debeo; ut in alterius Nuncupatione Libri profeſſus fui. Ad omnia peragenda, quæ aliquid illius in honorem conferre poſſent, me olim obſtrinxi. Cum augenda igitur eſſet aliorum, quæ jam e tenebris emerſerant, altera Editio, quidni cætera quoque Exametra, idemque, quod hæc, pertractantes Argumentum Elegiæ, ſolem aliquando tentarent? Ad hæc, ut aliæ me dotes omnes deſtituant, tria certè ſunt, quæ meas labes excuſent, *Copia* videlicet, *Varietas*, & *Impetus*. *Copia* quidem, qua ſeptem de Cæleſti Præſide Aloyſio, & quinque de Polonorum contra Turcas, alioſque Romanæ Fidei Rebelles Victoriis in longum producta Carmina ſcripſi; & præſtò mihi ſunt in alio Volumine Epigrammata Quadringenta de quatuor ſolummodo Argumentis, quorum unumquodque centenis excolitur, præter alia plurima Epigrammata, Lyricamque Poeſim, ac Tragicam. Sed auſim dicere, multò magis, quàm ubertatem Scriptionum, mihi arridere Copiam Rerum, ac Rationum, quas in unum, idemque Carmen, ejuſque partes, v. g. in Conciones, Laudeſque in Panegyricis, ac Vituperationes in Satyris, a multiplici fonte petitas congerere ſtudeo, ſemper urgendo iter, & novas, diverſaſque formas poeticis coloribus utcumque pingendo. De *Varietate Styli* Veterum veſtigiis Vatum inſiſtere optantis liquebit, opinor, erudito Lectori; quamvis longiſſimè diſtans a Poetica, ut ita dicam, Virgilii divinitate, illa, quibus reliqui nimis exultant, mitigaverim alicubi conſultò ex Legibus, quas inſerui Proluſioni de Carminis Heroici Idea extante in hoc ipſo Tomo pagina 58. & ſeq: Aucta quoque iterum exhibeo Præcepta Rhetoricæ Artis Carminibus comprehenſa, ut Diſcipulorum menti facilius inſigantur: quo nomine a plurimis Humaniorum Literarum Magiſtris explicata ſunt, quouſque ſuperfuerunt Exempla veteris Editionis. Clypeus

peus demum contra Criticos petitus ab *Impetu*, quo pleraque hæc carmina ſunt effuſa, mihi profectò non extorquebitur. Quod enim intra unam noctem properatum fuerit Poema de Luna nubibus tecta, intraque aliam illud de Iride, quæ prope Vaticanum effulſit, manifeſtiſſimum fuit. Ne illi quidem, qui ſe Aſtrologos jactant, divinare prius potuiſſent eventus hujuſmodi. Quod autem ne unum quidem verbum in antiqua Editione immutatum fuerit ab iis exemplis, quę Maximis Principibus oblata ſtatim ſunt, conſtitit ex iiſdem in Teſtes ampliſſimos olim vocatis, ut patet ex unius tunc edita Excuſatione, & alterius Nuncupatione: & nunc compertum erit novam cum veteri conferentibus Impreſſione. Alia, quæ nunc primò prodeunt, extant apud multos, qui ea ſcripta quondam exceperunt Auditores mei, quique nullum recentis elegantiæ lumen illis inductum videbunt. Quò autem, inquies, hæc tendunt? Inanis certè gloriolæ auram nullam captamus, qui Divinam ſolummodo Gloriam quæſivimus Argumentis Carminum aut Sacris, aut celebrantibus Heroes Divinæ Cauſæ Propugnatores, aut adortis Vitia profligare. Si tantùm nævos, aut etiam labes filiorum, qui ſua e mente prodierunt, Pater excuſaret, eò quòd illos frequenter ex tempore, ſemperque breviſſimo effuderit ſtudio, culpandus proinde non eſſet ab æquis rerum æſtimatoribus. Sed nobilior altera cauſæ huic accedit: hæc videlicet præfamur, ut pateat Divinum præſidium illis indultum, qui e ſancto ſui Ordinis inſtituto Religione, ac bonis Artibus imbuunt Adoleſcentes; hi enim, licet aliis curis impliciti, & Oratoriam quoque, ac Hiſtoricam, gravioreſque alias Facultates tractare adacti, aliquid etiam poeticum queunt effingere, quamvis nihil altum ingenio ſpirent. Accipe igitur, Candide Lector, Carmina, quæ olim luſi, dum Poeſi alios informabam, quorum poſtremum dictum eſt ante annos pluſquam triginta. Forſitan illuſtre aliquid hìc reperires, ſi ſoluta Viennæ Obſidio, Recuperatio Budæ, vel ſanctiſſimè, ac ſapientiſſimè imperans, perpetuòque mirificè congreſſus cum Temporum Infœlicitate CLEMENS XI. Pontifex Maximus argumentum ſuppeditaſſet.

ML

MICHAEL ANGELUS
TAMBURINUS
PRÆPOSITUS GENERALIS
SOCIETATIS JESU.

CUM Librum, cui Titulus: *Encyclopædia, Panegyrici, & Satyræ, vario veterum Poetarum Stylo, &c.* a P. Joanne Laurentio Luccheſinio Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut Typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur; cujus rei gratiâ has Literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 4. Novembris 1707.

Michael Angelus Tamburinus.

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Dominicus de Zaulis Epiſc. Verulanus Viceſg.

Digitized by Google

JUcundiſſima mihi fuit Carminum P. Jo: Laurentii Luccheſinii e Soc. Jeſu Lectio, qua Reverendiſſimi Patris Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri juſſu accuratè perfunctus admiratus in iis ſum ingenii vim præclaram, atque multiplicem, ad quam adjunctâ Latini ſermonis copiâ, & omnium diſciplinarum egregiâ notitiâ, ita Veteres Poetas Author exprimit, ut ejus ipſius proprium videatur quodcumque ſcribendi genus imitandum ſuſceperit. In Religione verò, aut honeſtate morum non modò non offendit, ſed in ſacris plerumque Argumentis ita piè, ſanctèque verſatur, ut ad eam laudem, quam conſcriptis aliàs adverſus impios Scriptores præclàris Voluminibus eſt conſecutus, novus hic cumulus accedat. Ob has cauſas æquiſſimum cenſeo, ut in omnium utilitatem publicè typis edantur.

Vincentius Santinus S.S.D.N. Honoris Cubicularius.

Imprimatur.

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicatorum Sacri Apoſtol. Palat. Magiſter.

Reimprimatur,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

N. Archiepiſcopus Capuæ Viceſgerens.

Reimprimatur.

Fr. Gregorius Selleri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter Ordinis Prædicatorum.

IN-

Digitized by Google

INDEX CARMINUM
LIBRI PRIMI,
In quo Encyclopædia, & Satyræ.

1. ENcyclopædia, ideſt Carmen Didaſcalicum, oſtendens eximium eſſe Philoſophum, aut Theologum, nullum poſſe, qui non ſit præclarus quoque Rhetor: aut Oratorem, aut Poetam numeris omnibus abſolutum, qui non præſtet humanis omnibus, diviniſque Doctrinis. Pars Prima Lucretii Stylo.

2. Pars Altera Horatii Stylo in Sermonibus.

3. Pars Tertia Virgilii Stylo. Quæ omnes partes dictæ ſunt Anno 1671.

4. In Antemeridianas Improbi Juvenis curas, Satyra Horatii Stylo, dicta Anno 1666.

5. In Lapidatores Satyra Stylo Juvenalis, dicta Anno 1663.

6. In Criticos Poetarum Cenſores Satyra Perſii Stylo dicta Anno 1665.

CARMINA
LIBRI SECUNDI,
In quo multa de Beato Aloyſio Gonzaga Soc. Jeſu, & de Victoriis Polonorum, vario Stylo.

7. DE Cauſis brevis B. Aloyſio indultæ Vitæ Carmen Virgilii Stylo, dictum in Templo S. Ignatii anno 1670.

8. Triumphus B. Aloyſio adornatus ab Amore Divino expreſſus Carmine Virgilii Stylo, dicto anno 1672.

9. B. Aloyſii ad Moderatorem animi de inutili ſua a cogitatione Divinarum Rerum fuga, Epiſtola Ovidii Stylo dicta eodem anno.

10. B. Aloyſii de Ticino furente Victoria Statii Stylo dicta anno 1774.

11. Ad Ticinum ferocientem in B. Aloyſium Elegia Propertii Stylo dicta eodem anno 1674.

12. Gonzagarum Heroum, & ipſius Herculis Victor oſtenditur B. Aloyſius Carmine Statii Stylo, dicto anno 1676.

13. Arcana B. Aloyſii pugna, ejuſdemque triumphus Elegiaco Carmine celebratus Ovidii Stylo eodem Anno.

14. In Victoriam Joannis Caſimiri Poloniȩ Regis de Moſchis relatam Epinicium Virgilii Stylo, dictum anno 1661.

15. In Romanam Supplicationem, & Pacem Turcis negatam a Polonis Carmen Virgilii Stylo, dictum anno 1672.

16. Paræneſis ad Polonos, ut bellum urgeant in Turcas, Lucani Stylo dicta anno 1673.

17. In Vexillum Imperatoris Turcarum a Joanne Sobjesko fortiſſimo Polonorum Exercitus Imperatore, ac deinde Sereniſſimo Rege, oblatum Clementi X. Pont. Max. & ab illo in Vaticana Baſilica conſecratum, Carmen Statii Stylo, dictum anno 1674.

18. In Victoriam Polonorum de Turcis relatam fauſtiſſima die, qua renuntiatus eſt Sanctiſſimus Pontifex Innocentius XI. Carmen Virgilii Stylo, dictum Anno 1676.

CARMINA
LIBRI TERTII,
In quo pleraque Extemporalia, & duo intra totidem noctes effuſa, ferè omnia Ovidii Stylo.

19. IN Cretam Turcis conceſſam Carmen dictum anno 1670. in Claſſe Rhetoricæ.

20. Ad Eminentiſſimos S. R. E. Cardinales, dum Comitia pro renuntiando Pontifice Maximo haberentur, Carmen dictum anno 1670.

21. In Lunam Nubibus tectam, dum Feſti exhiberentur Ignes in honorem nati Galliarum Delphini Carmen Extemporale Ovidii Stylo, dictum conſequenti mane anno 1662.

22. Princeps Iride coronatus, ſive in Iridem, quæ prope Vaticanum effulſit die, qua coronatus eſt Clemens IX. P. M. Carmen Extemporale Ovidii Stylo tra-

ditum conſequenti die Sanctiſſimo Pontifici anno 1669.

23. In divinos Cruciatus brevia Carmina plurima Ovidii Stylo dicta Anno 1672. quorum primo inſtitutam ab optimo Vindice noſtræ Fœlicitatis Tractationem Pacis Æternum inter Parentem ſuum, atque homines ineundæ, celebramus.

24. Statuendæ Pacis gratiâ bellicam tempeſtatem in ipſum Pacis Principem exoneratam lamentamur.

25. Crudelem Coronam infixam Pacifico Principi aſſecuto animorum Imperium Elegiaco Carmine ſalutamus ejuſdem Ovidii Stylo.

26. Deſcribimus triumphale ad Solium iter Pacifici Principis.

27. Dolore confectæ Matris occurſum triumphanti Filio exhibemus.

28. Atteximus ob argumenti ſimilitudinem aliam Elegiam ejuſdem Ovidii Stylo de occurſu eodem Deiparæ Virginis Filio ſuo Calvariæ Montem aſcendenti, dictam anno 1670.

29. Infixum Solio ſuo, non ſine horrore Univerſitatis rerum, ſuſpicimus Divinum Regem.

30. Regalia munera mirificè obeuntem Pacis Principem adoramus.

31. De Virgine Deipara ab Angelo ſalutata Præludium Pacis hominibus afferente Carmen Ovidii Stylo dictum anno 1663.

32. Auguſtiſſimæ Virgini Bethleem proficiſcenti Propempticon Ovidii Stylo dictum Anno 1662.

33. Integerrimæ Virgini Templum adeunti, quaſi Purgatione indigeret, Carmen Ovidii Stylo dictum anno 1672.

34. Deiparæ amorem eſſe gaudii fontem oſtenditur Carmine Ovidii Stylo dicto Anno 1672.

35. D. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ ſupra Chriſti Domini pectus recumbentis Cæleſte Somnium repræſentatum Virgilii Stylo, Carmine dicto anno 1673.

36. De S. Hermenegildo Rege, & Martyre Carmen Ovidii Stylo, dictum Anno 1656.

37. In Ortu fœliciſſimo Caroli Secundi Catholici Hiſpaniarum Regis Sexto poſt Fratrem ſuum Philippum Proſperum receptum in Cælum die Genethliacon Ovidii Stylo, dictum anno 1662.

CARMINA
LIBRI QUARTI,

In quo alia Statii, & Claudiani Stylo, & Ars Rhetorica numeris incluſa.

38. Ludovico XIII. Chriſtianiſſimo Regi captâ Rupellâ Victori Hæreſis, & Oceani Epinicium Statii Stylo, dictum anno 1663.

39. Sereniſſimo Galliarum Delphino Ludovici XIV. Regis Chriſtianiſſimi Filio Genethliacon Claudiani Stylo, dictum ineunte anno 1662.

40. In Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ de Turcarum Claſſe Victoriam Epinicium Statii Stylo, dictum anno 1663.

41. Virtutis cum Fortuna Fœdus ſancitum Præneſte, dum Maphæus Barberinus Preneſtinorum Princeps Catholici Regis Orator Extraordinarius Neapolitani Regni Cenſum deferret Alexandro VII. Pontifici Maximo Carmen Claudiani Stylo, dictum anno 1663.

42. Ars Rhetorica, Loci Topici, Tropi, Figuræ Verborum, ac Rerum, & Præcepta quædam Ariſtotelis numeris incluſa, dictata Rhetoricæ Auditoribus anno 1670. & deinde aucta.

LIBER

Digitized by Google

LIBER PRIMUS.

In quo Encyclopædia, & Satyræ.

ENCYCLOPÆDIA.

CARMEN DIDASCALICUM,

Oſtendens eximium eſſe Philoſophum, aut Theologum nullum poſſe,
qui non ſit præclarus quoque Rhetor: aut Oratorem,
aut Poetam numeris omnibus abſolutum,
qui non præſtet humanis omnibus,
diviniſque doctrinis.

PARS PRIMA.

LUCRETII STYLO

Ab Auctore dicta in Claſſe Rhetoricæ
Anno 1671.

AN

AN ENCYCLOPÆDIA Neceſſaria ſit.

PROLUSIO

Ad Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum

PRINCIPEM

CAMILLUM

CARD. MAXIMUM.

NOBILES diſciplinas a Socratico fonte digreſſas in plura nunc eſſe diductas flumina, vetus eſt querela multorum, EMINENTISSIME PRINCEPS. Eas ad caput in præſentia revocare, & in unum veluti alveum, ſinumque cogere, non minus arduum fortaſſe, & ſuperbum conſilium videri poteſt, quàm fuerit olim votum Pyrrhi Epirotarum Regis, & Marci deinde Varronis doctiſſimi Romanorum, qui pontibus, aut ſciſſa, quæ Hydruntum, & Apolloniam interjacet, continenti, maria conjungere, & Seſoſtris ambitio, qui terrâ pariter diſiectâ Nilum fluvium Erythreo mari admovere decreverant. Sed illos operis moles, hunc metus obruendæ aquis Ægypti, quæ tribus cubitis infra Erythræum deprimitur, a propoſito exterruit. Verùm ſi licuit illaudato Xerſi, contabulato claſſibus Helleſponto Aſiam, Europamque committere, & per apertum Athon maria & claſſes impellere, cur arduum ſit in unum quodammodo ſinum contrahere flumina omnia doctrinarum in homines corrivata ab eodem fonte mentis divinæ? In unum contrahere diximus? Perinde quaſi arcano ſaltem amplexu conjuncta perpetuò non fuerint: quemadmodum maria omnia, ut graviſſimus author eſt ſequutus Ariſtotelem Strabo, ſuas invicem aquas permiſcent: & ipſum Caſpium, quod a cæteris diſtractum videtur, ſecretum cum illis fœdus ſub terris init. Nullus omnino non præcipit animo argumentum Proluſionis meæ: improbamus videlicet divortia doctrinarum, & eaſdem in unum conjungendas eſſe, oſtendere aggredimur: neque id ſolùm a Rhetoribus præſtandum eſſe, quorum facultas omnino nulla futura ſit, niſi nervos illi, & animum omnes ſuffecerint diſciplinæ, quod ſecundo loco ratiocinando conficiam; ſed etiam, quod primo evincam, in humanæ, divinæque Sapientiæ ſtudioſis, qui Philoſophi nunquam erunt, vel Theologi eximii, niſi Arte dicendi, & ipſa etiam Poetica emineant. Paradoxum uno verbo afferimus: Nullis ille egregiè literis eruditur, qui non ſit omnibus eruditus. Qua porrò laborare poſſet hoc argumentum, invidiam Poeticâ gratiâ lenire ſatagimus: cumque Didaſcalicum noſtrum carmen futurum ſit, ad levandum varietate faſtidium, trium Authorum, Lucretii, Horatii, & Virgilii ſtylum ſequemur, qui omnium optimè ſuas elegantiſſimo carmini præceptiones inſeruerunt.

EN-

Digitized by Google

ENCYCLOPÆDIÆ
PARS PRIMA
LVCRETII STYLO.

OMNIA Dædaleo nexu conjuncta teneri
Doctrinæ ornamenta, atque illam conficere ex ſe,
Encyclopædiam quam Graii nominitarunt,
Aggredimur priſcis numeris oſtendere, Muſæ.
Ut (1) Sophiæ Suada, ac Divina ſcientia utrique
Indupedita, ſuis & juncta cohæreat arctè
Dotibus: ut finita poteſtas denique nulli
Sit doctrinarum, nec terminus hæreat ulli.
Magnarum (2) rerum, ſed quæ novitate laborant,
Auſpiciis adſis rationem reddere aventi,
Incluta Romani lux Oſtri, MAXIME, cui nunc
Egregium nomen præberet Maxima virtus,
Nobilitas (3) quondam proavis niſi magna dediſſet,
Tu mihi da faciles aures, animumque canenti,
Edita (4) doctrinæ qui ſemper mente ſerena
Templa tenes, quique occultas conviſere ſueſti
Res penitus: Brevis hinc ſomnus per membra quietem
Irrigat: eximio noctesque, dieſque labore
Niteris, ut doctas e Suadæ fontibus undas
Potes, & ſubeas animo intima naturai.
Atque (5) adeo largos hauſtus de fontibus magnis
Lingua tuo dulcis diti de pectore fundit:
Uſque (6) adeo memori reprehendis & omnia mente
Sacrarum perſcripta animo veſtigia rerum,
Miro ut Purpureos Patres ſis inter honore:
Augminaque auſpiciis tibi fauſtis maxima honorum
Urbs optet. (7) Certè imperio mens digna, receſſit
Quæ a ſeſe nunquam: cujus contraria ſacram

Deli-

1 *Philoſophia, Theologia, ac Rhetorica invicem conjungendæ.*
2 *Carminis nuncupatio Eminent. Principi Card. Maximo.*
3 *Maximi Cognominis Etymologia.*
4 *Omnigena Eminentiſſimi Principis doctrina.*
5 *Suaviſſima ejuſdem eloquentia:*
6 *Incredibilis memoria.*
7 *Ejuſdem animus imperio digniſſimus.*

Digitized by Google

Delibare (8) unquàm pacem fortuna nequivit!
Quam neque concutiunt venti, nec nubila nimbis
Aſpergunt. Expers cuppedinis, atque timoris,
Atque tuo, Divina, altus, Prudentia, lacte
Obſtruxit fontem curarum, Innubilus æther
Perpetuò hinc olli ridet, populiſque ſubactis
Illius Imperio rideret; nam neque gazas
Conduplicare, aut irarum almo in pectore fluctus
Excipere, aut poſſet lachrumas ſpectare dolentum.
Nunc animum advortas, oro, ad rem protinus ipſam,
Qua (9) de diſſerere aggredior. Juvat, obvia primùm
Diſiicere, ut veri dehinc curſum, itinerque ſequamur,
Illud in hoc primum vereor, ne forte reatur
Se falſi callem indugredi ſtudioſa juventus.
Nam (10) tanto rerum in pelago, turbaque aliena,
Nulla, inquit, ratio eſt doctrinas conciliandi.
Aut (11) ſi naturâ conjunctis partibus extant
Ipſæ, nec poſſunt disjungi, diſque gregari,
At nequeunt homines animo complectier omnes,
Ni immortali ævo ſumma cum pace vireſcant:
Suevere ut Divi cæleſtia templa colentes.
Nunc porrò feſtina nimis per membra ſenectus
Serpit, & in nobis vitai clauſtra relaxat,
Ante ſacræ minimam quàm quivis poſſit apiſci
Doctrinæ partem. Ut vincam te falſa profari,
Me (12) primum hoc video certè firmare poteſſe;
Ardua qui metuunt, amittunt vera viai.
Tu niſi pigraris, ſemperque receſſeris abs te:
Ni ſcindant omnes animum cuppedinis acres
Solicitum curæ, teque exedat anxius angor,
Ingenium vigil, impigræ experientia mentis
Omnia condiſcet pedetentim progrediendo.
Hinc ne aude injuſtam naturæ intendere litem.
Sed tamen, id quoque uti concedam, quamlubet eſto
Difficile ad ſummum pertingere poſſe cacumen
Doctrinarum, ideo non omnibus hæc dáta fato
Sors; at, (13) cui Pallas blandita eſt, Dædala pubes,
Quodcumque hoc ævi tibi ſufficit. (14) Eſt animi vis
Divina: ac niſi ſe fugiens oblivia quærat
Ætheris, & cæni ſub ſordibus obruteſcat
Sponte ſua, cunctas intra ſacraria mentis

Doctri-

8 *Eximiæ virtutes Eminentiſſimi Principis.*
9 *Primò reſpondetur dicentibus, in hac Proluſione propoſitum nobis eſſe ſuadere illa, quæ fieri nequeunt.*
10 *Num ipſæ doctrinæ naturâ ſuâ conjunctæ invicem ſint?*
11 *Num ob humani ingenii tenuitatem, ac brevitatem vitæ, conjungi poſſint?*
12 *Arduum ne ſit aſſequi Encyclopædiam?*
13 *Saltem adipiſci illam poſſunt ingenioſi, quibus tantùm eandem ſuademus.*
14 *Vis animi a vitiis non hebetati.*

Digitized by Google

Doctrinas ultro excipiet. Cur (15) mens avet ipſa
Complecti cunctas, niſi quòd fatalibus omnia
Hamatis nodis inter ſe, perque plicatis
Uſque coarctantur glomeramina doctrinarum?
Nec (16) ſolùm nunquam capitur ſatiate ſciendi
Ipſe animus, ſed & ultro omnis molitur ad aures
Accidere, & ſacra ſe ſpecies oſtendere rerum
Prægeſtit. Non vafræ adeo Sirenes Ulyſſem,
Ut nos cæleſtis Siren doctrina ſua vi
Allicit, inque animum divinitus inſinuat ſe.
Arcanum hunc illi magnetem haud experiuntur,
Mortua queis vita eſt jam vivis. Vos, quibus auræ
Divinæ partem dedit ingenioſa Minerva,
Mentis ab excelſæ templo ſpectate (17) catenam,
Qua mare navigerum, qua terræ frugiferentes
Nectuntur, qua aer, quique æther ſydera paſcit.
Hæc, quæ perpetuò ſtant, fœdera naturai,
Tunc etiam quando Cæli tonitralia templa
Turbinibus trahere excidium concuſſa videntur,
Oſtendunt fœdus, quo adeo connexibus hærent
Inter ſe doctrinæ, ut vix diſcrimen in illis
Sit ſuper. (18) Ac, veluti Phrygiæ cum e carcere gemmæ
Spiritus unguenti ſuaves diffugit in auras;
Miſcueris quamvis caſiæ, ſtactæque liquorem,
Et nardi florem, nectar qui naribus halat,
Diſcrimen tamen haud poteris dignoſcere in illis;
Materies adeo confuſa eſt, inque pedita,
Unde fluens volvit varius ſe fluctus odorum.
Nunc (19) age, quæ inter ſe doctrinæ fœdere certo
Conveniant, facili claramus carmine, Muſæ.
Humanam (20) primùm Sophiam, Sacramque profeſſos
Ut Suadæ jungam ſtudiis, veri caput, & fons
Haud nimium longis ambagibus eſt adeundus.
Nam, (21) quos eripuit Sapientes præterita ætas,
Et quorum aſtantum parco læſiſſe pudorem
Laudibus, oſtendunt Charitum cum Pallade fœdus;
Quot (22) porrò ſacris a Vatibus edidicerunt
Cultores Sophiæ? quorum qui docta potitur
Sceptra Stagyrites ſemper florentis Homeri

15 *Ex naturali deſiderio acquirendi omnes doctrinas earum conſortium oſtenditur.*
16 *Confirmatur ex eo, quod res omnes prægeſtiant exhibere ſe humanæ menti.*
17 *Oſtenditur fœdus doctrinarum ex fœdere cæterarum rerum, præſertim Elementorum.*
18 *Doctrinæ miſcentur, ut odores in unguento pretioſiſſimo.*
19 *Aggredimur explicare, quænam doctrinæ invicem conjungantur.*
20 *Primò Philoſophia, ac Theologia exigunt conſortium Rhetoricæ.*
21 *Probatur exemplo Sapientum veterum, & recentiorum.*
22 *Philoſophi plurima ex Poetis edocti ſunt.*

Digitized by Google

Perpetuò fertur coluiſſe arcana, magis quàm
Pythia quæ tripode ex Phœbi, lauroque loquuta eſt,
Si (23) cæcas latebras juvat exhaurire profundi
Sermonis, poterit grandeſcere, alique Sophorum
Ex illo ſtudium; nam, quæ natura animai
Sit, rerumque aliarum, Allegoriæ integumento,
Grajum uſurpo vocamen, ubi Latium indiget illo;
Evolvetur. (24) Quis primus diſcindere fœdus
Auſus doctrinas inter, nunc quæ impete aquarum
Actæ diverſo mortalia pectora inundant?
Ex Apennino divortia ceu fluviorum
Fiunt, qui in Superi, atque Inferni marmora ponti
Diluviant diverſi ex alto culmine montis,
Intulit ille tibi quam, Dia Scientia, cladem?
O utinam (25) nullis ornata coloribus omnes
Alliceret mentes Sapientia. Non ego veſtes
Suaderem Attalicas, nec te, Melibæa refulgens
Purpura, Theſſalico concharum imbuta veneno,
Aptari membris regalibus. At niſi fuco
Intincta, & veſtis fulgorem induta jacebit
Perpetuò. Creſcit dubio procul, atque alitur de
Facundo eloquio Sapientia. Dædala lingua
Irritat (26) mentem; veluti pulcherrima vultus
Pulſat forma animos, inque illos inſinuat ſe,
Quando fonte leporum, lumine frontis adulat,
At quando nudum verborum lumine verum
Exuitur, mendosè dicta, atque obſtipa neceſſum eſt
Deſipiant, quamvis ratio ſcrupoſa relicta eſt.
Continuò (27) pereunt ſimulachra evanida rerum;
Ceu veteres tunicas paries cum ponit, ab illo
Forma perit depicta olim, aut veſtigia certa
Vix remanent: tenuis ſuperat membrana coloris,
Semper & illa cadit magis, ab muroque recedit.

PARS

23 *Et multò plura edoceri poſſunt, ſi veritatem ex Allegoriæ nubibus educant.*

24 *Lucretii more digredimur inſurgentes in illos, qui primò fecerunt divortia doctrinarum.*

25 *Amatores non habet Philoſophica Sapientia, quæ Rhetoricis coloribus non exornetur.*

26 *Rhetorica pulchritudini comparata.*

27 *Facilè cadunt ex animo, quæ illuſtribus verborum coloribus depicta non ſunt.*

Digitized by Google

PARS ALTERA.

Horatii Stylo in Sermonibus.

NUnc (28) quis Rhetoricæ cultus, legeſque loquendi
Humanæ deceant Sophiæ, ac Cæleſtis alumnum,
Eit operæ pretium cognoſcere. Conſona (29) vero
Eſſe animi commenta ſui, ut Rhetor, probat; ergo
Rhetoris ille etiam partes deſiderat omnes,
Præſertim, quoniam capitur ratione doloſa
Non rarò, verbis niſi gratis occupet aures,
Haud pronos animos rapiet, plauſumque theatri.
Quod ſi (30) Inventio deſerit illum, & lucidus ordo,
Si (31) memori haud animo ſepit, quæ proferat, acris
Dum fervet lis, & clamant gymnaſia rauca;
Si (32) vaſtus geſtu, ſi voce inconditus ardet,
Latrat, ceu canis Appula: ceu nemus, ac mare mugit,
Cui Notus incubuit, non illum impunè coronæ
Ferre queunt; ſiluiſſe jubent, quos Actio nulla
Commendat: ſua qui haud timidè, gelidèque tuentur,
Quique haſtam ingenii violento turbine torquent,
His bibulas præbent aures, his lumine inhærent.
At (33) quot pugnantes verborum ſchemata debent
Commendare Sophos? Sermone (34) opus eſt modò aperto:
Interdum donante urbanè id, quod petit, hoſti,
Diſſimulante ſuum modò conſilium: extenuante
Nunc ea, queis fidit magis: & quandoque ſuperbè
Hoſtem urgente, velut palmæ ſpes certa ferocem
Extollat mentem, quando timor anxius angit.
Naturæ hinc adeo, & Superûm qui arcana recludit,
Facundæ dotes omnes ſibi vindicat artis.
E (35) priſcis unus tantùm mentis lutulentæ
Exhibuit vitium verbis Epicurus; at aureum
Si fuit ingenium, ſi mens Divina Platoni,
Ingenio haud impar fuit os, quo Jupiter ipſe
Ore locuturus doctis eſt dictus Athenis.
Quanta Stagyritæ facundia? Qualis inaurat
Illius eloquium ſermonis vena beati?

28 *Quæ ornamenta Rhetoricæ deceant Philoſophum, ac Theologum.*
29 *Cum etiam ipſi, ut Rhetores, probare debeant vera eſſe ea, quæ dicunt, omnibus quinque Rhetoricæ partibus excellere debent.*
30 *Inventione, ac diſpoſitione.*
31 *Memoria.*
32 *Actione, quæ illis plauſum theatri conciliat.*
33 *Eloquutione: ac primò figuris.*
34 *Quæ præcipuè figuræ in diſputationibus adhibendæ ſint.*
35 *Præter Epicurum omnes priſci Philoſophi elegantiſſimo ſtylo uſi ſunt.*

Digitized by Google

Si quicquam Ciceroni credimus, haud fluis auro,
Ditior Herme. Idem Theophraſtum divite cultu
Verborum putat eſſe Deum. Nunc (36) degener ætas,
Quam mala barbaries, & caſtæ inſcitia linguæ
Expulit Auſoniâ, atque Afris damnavit arenis,
Hirta legit conſultò verba: ſuiſque ſuperba
Incedit vitiis: ſtudio corruptius oris
Ingrediturque iter; ac, ſi quid veri crepat, unum hoc
Quærendum dicit, vera ut crepet. Haud ego, (37) linguæ
Delicias omnes naturæ, juſſero, doctus
Afferat interpres: vocum non ille retexat
Quaslibet iratus ſibi: nec ructetur inani
Verba ſono, nec facunda ampulletur in arte.
Verba ſibi, non ſe verbis ſubjungere lætus,
Sit modicus cultu. Excindi penitus vitium oris,
Barbarieſque nequit Sophiæ hærens; crimina ſaltem
At mediocria ſint, & queis ignoſcere poſſim.
Et quoniam eſt modus in rebus, finiſque decori,
Audi, quò rem deducam. Ornamenta loquendi
Cuncta, animi præter motus, atque incrementa,
Admittit Sophiæ antiſtes. Sed (38) quiſquis in altos
Mente volas tractus Cæli, ac Divina recludis
Arcana, egregia dicendi nobilis arte
Eſto, magis quàm qui Naturæ regna peragrat;
Nam, (39) te ni linguæ decoret ſuadela, venuſque,
Eloquio ut vinces animos, quos ſæva libido
Mancipat, aut furor, aut auri ſitis urit avara?
Aut (40) cum Concilium Patrum, Regumque Senatus
Cogitur, ut fidei torquebis fulmina in hoſtes,
Audent qui Patris regnum oblimare Latini?
Aut (41) calamo erronum ſcelerata ut ſcripta refelles,
Qui colubros abdunt ſub floribus, atque venenum
Infundunt animis linguæ in cratere diſertæ?
Ut (42) Divina Scientia, & os conjuret amicè
Facundum, laus Purpurei præclara Senatus
Sfortia propoſuit nobis exemplar, in ævum
Æternum cujus diffundet gloria nomen.
Hoſtis (43) erat, quo non alius truculentior: illum
Lactarant Charites, aſt improba corda Megæræ
Præbuerat fingenda ſacris infenſa latinis.

In

36 *Recentiores Philoſophi non modò inquinato ſtylo utuntur, ſed etiam eo utendum dicunt.*
37 *Quæ ſermonis ornamenta a Philoſophis quærenda ſint.*
38 *Theologo magis, quàm Philoſopho, neceſſarium eſt conſortium Rhetoricæ.*
39 *Ut in ſacris concionibus populum ad virtutem hortetur.*
40 *Ut in Sacris Conciliis cauſam Fidei contra hæreticos tueatur.*
41 *Ut ſcriptis voluminibus de controverſiis fidei eorumdem audaciam retundat.*
42 *Proponitur Exemplar Theologiæ cum Rhetorica fæderatæ in Sfortia Cardinali Pallavicino.*
43 *Artes Petri Suavis, quo cum eloquentiſſima Sfortiæ doctrina decertavit.*

Digitized by Google

In verum, & veri cuſtodes ſparſerat, atri
Pulveris in Lybicis Auſter quantum excitat agris.
Quæſitus, qui ad humum audacem deduceret hoſtem,
Armis congreſſus paribus, qui ſacra Tridenti
Iura (44) tueretur. Linguæ cum divite cultu
At niſi conſpiret doctrina, elidere fruſtra
Tentabit blandita nimis canis ora trifaucis.
An duo conveniant? & cui ſapientia ſacros
Explicuit fontes, quæ ſint ſcribenda, recludat?
At, cui nectare Suada ſuo calamum imbuit, illa
Victuris chartis conſignet? Inania vota!
Effari (45) tantùm egregiis ſublimia verbis
Ille poteſt, eadem qui animo complectitur; at qui
Doctrinâ excutitur, ſudet, fruſtraque laboret
Auſus facundis divina recludere verbis.
Nonne vides, patrio ut poſtquam ſermone refulſit
Grande opus, haud quiſquam verbis veſtire latinis
Partum animæ magnæ potuit, niſi qui (46) ingenio par
Doctrinamque repræſentat, linguamque diſerti
Authoris? (47) Muſis is mitibus, atque ſeveris
Ex æquo charus, præclaro hoc fœdere quantum
Romuleæ prodeſt fidei! Quæ gratia caſti
Sermonis! quæ vis, & regia forma! Regendis
Ut populis ſtatuit leges! Tribus omnia chartis
Clarius ut profert Divina arcana ſacrorum,
Quam libris alii vegrandibus! Hoſtis acumen
Contra ipſum pugnare docet: quæque aurea nectit,
Effugiſſe negat vecordem vincula Proteum.
Jamque ille aſſuetus volitare per ora virorum
Deciſis humilis pennis jacet. Aurea centum
Fama tubis effert Victoris nomen ad aſtra.
Naturam quæris, ſive Artem? Mirus utraque
Dicitur: atque alios cum Sfortia vicerit, una
Vincere in Hiſtoria ſeſe, perhibetur: & alta
Cum mens ediderit fœcundo plurima partu,
Creditur hæc primùm non ulli debita morti.
Secula ſupra iſtam palleſcent cana, diſertum
Quam beat eloquium, & magnarum pondera rerum.
    Quot porrò ſcribenda ſuperſunt, Rhetorices quæ
Poſcunt, atque tuum, Divina Scientia, fœdus?
Ut (48) quondam aggreſſus turbam exagitare Deorum

Augu-

44 *Idem everti non potuit, niſi ab eo, qui in utraque laude Rhetoricæ, ac Divinæ ſcientiæ Cæſar eſſet.*

45 *Theologicam doctrinam ille tantùm eleganti veſtire ſtylo poteſt, qui eamdem penitus animo hauſit.*

46 *P. Joannes Baptiſta Giattinus.*

47 *Præcipuæ dotes, quæ fulgent in hiſtoria Sfortiæ Cardinalis Pallavicini.*

48 *D. Auguſtinus in libris de Civitate Dei facundiam, & eruditionem Ethnicorum in ipſos retorſit.*

Digitized by Google

Auguſtinus, in inſanos ſua tela retorſit
Cultores, quos fabellæ, & facundia dives
Inflarant; namque ille tuos, Suadela, colores,
Deliciaſque omnes exhauſit: fabula quicquid
Auſa, atque hiſtoria, exprompſit: jugulavit & hoſtes
Armis, Chriſtiadum queis illi in ſacra ruebant.
Sic (49) ſi Chriſtiadum divulſa à Vertice membra,
Quæ parit, & nimium fœcunda hæc ingemit ætas,
Aggrediare, ſacras (50) non tantùm juſſero gazas
Proferre, & veterum Divina oracula Patrum;
Sed charites omnes, venereſque adhibere loquendi.
Artibus (51) his illi ſubeunt incauta legentum
Pectora: iiſdem ſunt grata novitate morandi,
Si certam ſatagis miſeris afferre medelam.
Ne labor improbus extundat faſtidia linguæ,
Conaris ſi e mente rebelli evellere dumos,
Nec ſatis eſſe putes, ægroto offerre palato
Divinas epulas, quas Sacra Scientia profert;
Namque (52) horum exoptat pauperrimus eſſe bonorum
Oſor Romulei Patris, Fideique Latinæ:
Ac levibus tantùm ſtudiis plerumque tenetur,
Et vero excuſſus, nubes, & inania captat;
Ornamenta (53) legam verborum, qualia laſſum
Pervellant ſtomachum; nitido faſtidia cultu
Vincam vix tangentum animo Divina ſuperbo.
Deliciis illecta ſacris, & acumine blando
Culturæ patiens mihi fors adhibebitur auris.
Hoc certè ſtudium mihi cum ſpe divite manat
In venas. In ſpem tantam voto ruis? inquis;
Hoc audet pudor? Atqui obſtantia rumpere clauſtra
Mens avet, ut proſit. Certum hunc voto peto finem:
Et malo, ut proſim, imprudens, tumiduſque videri.
Quid me oculo obliquo limas, morſuque venenas?
Metior ipſe meo modulo me. Non ego fontes
Sacrorum exhauſi: Suadæ ambroſiam haud ego labris
Primis libavi; doctrinæ aſt ingenioſum
Sim quamvis infra cenſum, laudemque, tamen me
Conatum hæc fari, lætabor; præmia dives
Namque animus feret: atque aliis calcaria ſaltem
Infigam, quos majori ſuper æthera virtus
Curru aget. Hinc, foliis quæ nos brevioribus, illos
Præclara cinget divina Scientia lauro.
Nos (54) certè brevitas ornabit grata; volumen

Nec

49 *Simile Opus ſcribendum in hujus temporis Hæreticos.*
50 *Id non ſolùm eſſe debet Theologicum, ſed etiam Rhetoricum.*
51 *Hæretici enim humaniorum lepore literarum ſe in animos inſinuarunt.*
52 *Iidem contemnunt ſtylum, quem ſcholaſticum dicimus.*
53 *Spondemus, nos, Deo auſpice; hujuſmodi Opus aggreſſuros.*
54 *Brevitatem ſectabimur in Opere contra Recentiores Hæreticos adorantes veſtigia D. Auguſtini in libris de Civitate Dei.*

Nec mole excedam, Divinam Dædalus Urbem
Auguſtinus quo fingit, præſtantius & quo
Nil oriturum aliàs, nil ortum tale fatemur,
Huic formæ hærebo delapſæ cælitus: illi
Perpetuò inſiſtam, ornatè brevis eſſe laborans,
Quælibet expungam, quamvis invita recedant,
Lædere quæ poſſint oculos, mentemque ſuperbam.
Quandoquidem haud illi, quæ proſunt, noſſe laborant,
Nectareo diluta niſi ſint mella Falerno,
Atque brevi ſedare ſitim niſi pocula poſſint.
Hinc (55) adeo rarò gaudent haurire ſalubrem,
Bellarmine, tuis, Perroni aut fontibus undam:
Magnum Romani decus Oſtri, & Patris Uterque
Magnus Romulei Defenſor. Plurima in hoſtes
Conjiciam nec tela, uno ſi vulnere Achillis
Haſta illos poterit revocare ad lumina vitæ.
    Nunc, quoniam (56) evici quantum præſtare diſerta
Debeat arte, tuas; Divina Scientia, dotes
Qui ſequitur, num ſacra illum exornare Poeſis
Debeat, Aonides par eſt reſerare ſorores.
Haud (57) minimum huic decus accedet, veſtigia priſca
Qui legiſſe auſus, multo ſint pulvere quamvis
Obſita, Muſarum nectet cum Pallade fœdus,
Divinæque ſacros Sophiæ recludere fontes
Tentabit numeris: olim (58) ut Vatum chorus almus,
Muſæus, Linus, Heſiodus, citharædus & Orpheus;
Quamquam illi errorum denſa caligine merſi
Hiſcere divinum quidnam potuere? (59) Profundo
Altius ore, atque ingenio is volat alite, cujus
Majorem mundo voluit Comœdia ſcenam,
Illius Uranie quamvis effœta ſeneſcat,
Ut docta invitat lectorum lumina! Tantum
Sermoni a rerum fulgore accedit honoris.
Hæc numeris celebrare Latinis, Pierius me
Urget amor. Sacri quod carminis argumentum
Porrò erit, & junget te, Dia ſcientia, Muſis?
Tu (60) fons Sacrorum, Divini atque ordinis Author,
Mantua quem nobis, & Smyrna inviderit, Heros
Noſter eris membra indutum mortalia Numen.
Sed (61) jam Calliope hunc tua, Vida, & Pieris aurea
Excoluit numeris Synceri. Haud detrahere auſim

Creſ-

55 *Quia brevia non ſunt opera incomparabilia Eminentiſſimorum Principum Bellarmini, & Perronii, rarò ab Hæreticis leguntur.*

56 *Non ſolùm Orator, ſed & Poeta eſſe debet, qui Theologiam profitetur.*

57 *Theologiæ arcana Poeticis coloribus veſtienda ſunt.*

58 *Id olim fruſtra conati veteres Græci Poetæ.*

59 *Fælicius aſſurrexit in ſua Comœdia Dantes Aligerius.*

60 *Spondemus Heroicum Poema de Chriſto Reparatore noſtræ ſalutis.*

61 *Laus Hieronymi Vidæ, & Actii Synceri Sannazarii, qui de eodem argumento ſcripſerunt.*

Digitized by Google

Creſcentem vobis multa cum laude coronam,
Quorum alium peperit vicina Cremona Maroni
Patria; Parthenope aſt alii dedit alma ſepulchrum,
Virgilium prope, quem ſacro ſectatus uterque
Carmine. Sed (62) nobis liceat ſi vera profari,
Humanis ſubjecta oculis narravit uterque:
Divini fontis tentare expalluit hauſtus,
Haud procul a ſcena ſeſe in ſecreta remorunt
Divinæ mentis, nec convenientia magnæ
Perſonæ ornamenta, animi nec regna colorant.
Arcanis (63) color eſt rebus mihi dandus, & alti
Pingendæ cordis dotes hominique, Deoque
Debitæ: Ut incolume, & ſecurum exegerit ævum,
Dum pœnis urgetur: ut Æterno Mens æqua Parenti
Omnia cognoſcat rerum ſecreta, eademque
Proferat os, cujus dum ſacra oracula pandet
Muſa, quid intactum linquet, quid linquet inauſum?
At (64) nulla hinc poterunt manare poetica mella,
Inquis: nulla venus, nulla hoc charis, atque lepores
Nulli Opus ornabunt; namque haud amor, ira, voluptas,
Atque alii motus animi pingentur, & arma
Nulla animum exacuent. Cur hoc? Quin (65) pectora Matris
Divinæ, atque tuæ pingentur, Magdala, flammæ,
Divorumque ignes alii; pulcherrima namque
Fatidicius Divina legam miracula amoris.
Pieris (66) at quæ prædicet præſaga futuri
Prælia? Quæ Solymam ſubvertent: quæque ruentis
Naturæ ſenium horreſcet, mentitus Olympi
Cum ſeſe Regem Chriſti frontem eriget hoſtis.
Hæc ego non ſperem tractata niteſcere poſſe?
Fingere quis potuit, potero quæ vera profari?
Quotque addam, illuſtrem veri referentia formam,
Quam varia! Imperium moriendo quod inclytus Heros
Condet! Ut hæc omnes uret fulgore Poetas
Materies, nugis queis profuit addere pondus,
Et ranas inflare tubis! Mihi nulla canenti
Perdetur lux. Affixus mentem ætheris aulæ
Intendam ſtudiis animum, Cæleſtia ſemper
Corde agitans: Noſtra & forſan meminiſſe juvabit
Carmina, quos noſtri Herois pius ignis aduret,
Si quis forte meis Cæli ſuſpiret amores
Vocibus, & ſacrum captus pietate libellum
Partheniis lachrymis fortè irroraverit, o me
Fœlicem ſupra Peligni ruris alumnum,
Tænaream ſpirare docet qui carmine flammam.

Quis

62 *Iidem tamen externa tantùm Chriſti Domini facta numeris celebraverunt.*
63 *Nos præterea repræſentabimus internas Divini animi dotes.*
64 *An delinimenta voluptatis ab hoc Opere ſuggerenda ſint.*
65 *Affectus animi multiplices exhibebimus.*
66 *Et bella Romanorum, & Antichriſti.*

Quis poſthac inopes rerum, nugaſque canoras
Dixerit, informet quos Sacra Scientia, verſus?
Haud operis celeris labor hic, curaque carentis.
Gratum erit & limæ ſtudium, & mora: Plurima luſtra
Hoc ſuper hærebo, vitæ ſi eadem Deus author
Annuerit: Si mors conantem grandia pennis
Obruerit, dabitur de magnis excidere auſis.

PARS TERTIA.

Virgilii Stylo.

PROLUSIONIS

PARS ALTERA.

EVolutis proximè nonis Novembribus in carmine Didaſcalico, quod ampliſſimo tuo Nomini, PRINCEPS EMINENTISSIME, conſecravimus, Encyclopædiam neceſſariam eſſe oſtendere aggreſſi, primò iis occurrimus, quæ contra nos poſſent afferri (antequam enim cætera proſequamur, curſim innuimus ea, quæ hucuſque ſumus exequuti, ex recepto ſacris etiam Oratoribus more indicandi veſtigia, quibus dicendo inſtiterunt, quando ipſis dicentibus fulgorem afferunt claritudinis ſuæ, qui ſupra cæteros mortales eminent Principes Purpurati) Primò ergo reſpondimus affirmantibus, propoſitum nobis eſſe ſuadere illa, quæ fieri nequeant; eò quòd nec ipſæ doctrinæ naturâ ſuâ conjunctæ invicem eſſe, nec porrò ob humani ingenii tenuitatem, ac brevitatem vitæ conjungi poſſe videantur. Arduam quidem, ſed non deſperandam eſſe diximus cognitionem omnium doctrinarum, ſaltem ingenio præſtantibus Viris, quibus tantùm authores ſumus, ut illi acquirendæ operam navent: tum exhibuimus vires animi humani a vitiis non hebetati: ex inſito a natura deſiderio acquirendi omnes doctrinas: atque ex eo, quod res omnes noſtræ ſe menti repræſentare prægeſtiant: & ex fœdere cæterarum rerum, præſertim elementorum, oſtendimus nexum omnium diſciplinarum. Deinde, quænam ex ipſis invicem conjungantur, explicare inſtituentes, a Philoſophia primùm, ac Theologia exigi conſortium Rhetoricæ probavimus exemplo Sapientum veterum, & recentiorum. Plurima Philoſophos a Poetis edoctos fuiſſe, ac multò plura edoceri poſſe, ſi veritatem ex allegoricis nubibus evolvant. Tum Lucretii more digreſſi, in eos inſurreximus, qui primò fecerunt divortia ſcientiarum, & ab iis magnam perniciem literis illatam fuiſſe conqueſti ſumus; raros enim habet amatores Sapientia, quæ pulcherrimis verborum coloribus non exornatur. Exinde ſtatuimus, quæ ornamenta Rhetoricæ deceant Philoſophum, ac Theologum: quæ Figuræ in diſputatione adhibendæ ſint: quis elegantiæ lepor in ſcriptis Voluminibus: utque is præcipuè in Theologo requiratur, qui in ſacris Concionibus populum ad virtutem hortatur, in Conciliis cauſam fidei contra hæreticos tuetur, & calamo eorumdem audaciam retundit Fidei controverſias agitando. Tum in Sfortia Cardinali Pallavicino propoſuimus exemplar Theologiæ cum Rhetorica fœderatæ, enumerando artes Petri Suavis, quo cum eloquentiſſima Sfortiæ doctrina decerta-

vit, & oſtendendo, eumdem everti non potuiſſe, niſi ab illo, qui in utraque laude Rhetoricæ, ac Divinæ ſcientiæ Cæſar eſſet, & ſingillatim recenſendo dotes innumeras, quæ fulgent in Apologetica Concilii Tridentini Hiſtoria. Alia pariter ſupereſſe diximus ſcribenda opera, quæ in authore ſuo eloquentiæ, ac ſcientiæ divinorum exigant fœdus. Ut olim Divus Auguſtinus in divinis libris de Civitate Dei facundiam, & eruditionem Ethnicorum in ipſos retorſit, ita non abſimile opus ſcribendum in hujus temporis hæreticos, qui cum humaniorum lepore literarum ſe in animos inſinuaverint, iidemque contemnant ſtylum, quem ſcholaſticum dicimus, in illos contorquendus eſt calamus, rationibus quidem petitis ex fontibus ſacræ Theologiæ, ſed indutis omni figurarum, acuminum, & elegantiarum lumine, non exultando inani facundia, neque tela argumentationum omnia congerendo in hoſtes, quando licet illos ſtatim Achillis haſtâ confodere; cum operum longitudo plurimos abſtineat ab egregiis cæteroqui, ſed immenſis voluminibus Eminentiſſimorum Authorum Bellarmini, Perroni, aliorumque. Demum, non ſolùm Oratoria, ſed & Poeſi præſtare debere illos evicimus, qui Theologiam profitentur. Ejuſdem arcana poeticis coloribus veſtienda eſſe: id olim fruſtra conatos veteres Græcos Poetas, Muſæum, Orpheum, Linum: idemque tentandum nunc eſſe in Heroico Poemate de Chriſto Reparatore noſtræ ſalutis: ac poſt commendationem Hieronymi Vidæ, & Actii Synceri Sannazarii, qui de eodem argumento ſcripſerunt, ab illis tamen externa tantùm Hominis Dei facta numeris celebrata fuiſſe diximus; nunc porrò repræſentandas internas divini animi dotes, infinitæ ſcientiæ multiplicem modum, beatifici gaudii conſortium cum immenſorum tolerantia cruciatuum, cæteraſque prima fronte inter ſe pugnantes Dei hominis proprietates, & cæleſtem ejuſdem doctrinam, quam explicando ſolvi omnes poſſunt implexi Theologiæ nodi: tum admirabilem inſtaurandi humani generis Oeconomiam: Ideam inſtituti a Chriſto regni, Eccleſiæ ſtructuram, teſtimonia Prophetarum, & Martyrum, fontes Sacramentorum, & prædictiones omnium, quæ ante decretorium mortalitatis diem agitanda ſunt: ac ea præſertim, quæ ſuggerant delinimenta voluptatis, multiplices motus animi exhibendo, divinæ ſcilicet Matris, Magdalenæ, & aliarum amores, quas Deus Sponſas dilexit: quæque animos erigant varietate pariter, & alacritate inventionis, bella videlicet Romanorum Hieroſolymam evertentium, & Antichriſti Orbis terræ imperium invadentis. Poſtquam verò argumentis confecimus, non eſſe Philoſophum ac Theologum omnibus numeris abſolutum, qui pariter non ſit eximius Rhetor, in præſentia demonſtrabimus, in ipſa Rhetorica eminere nullum poſſe, qui cæteras diſciplinas complexus mente non fuerit.

ENCY-

ENCYCLOPÆDIÆ
PARS TERTIA
Virgilii Stylo.

INGREDIOR jam, Suada, tui penetralia regni:
Cum Sophia quod fœdus inis, & Pallade Sacra
Expedio. Accendis præſenti numine, (1) Princeps,
Atque tuum magnis Parnaſi in culmine ſiſtis
Auſpiciis Vatem: duce te nil linquit inauſum,
Te ſine nil altum Phœbus canit. Aurea Suadæ
Pandere regna potes, Regum qui corda catenis,
Chriſtiadumque Patres conſuetus nectere, & omnes
Aurata rapere ambroſiæ dulcedine linguæ.
Cæleſte exornat ſed te præclarius aurum
Moribus effulgens: a te Saturnia ſecla
Hinc hilares terris ſperant revocanda Quirites.
Non tua lethæo mens hauſit gurgite ſomnum,
Nec torpore unquam merſiſti ignobilis otj
Auræ divinæ partem: Sapientia ſemper
Uberibus pendere ſuis te vidit, & alto
Deſpicere ingenio quidquid veſania ſortis
Audere, atque aulæ inſtabilis potuere procellæ.
Oblite o numquam præclara exempla parentum:
Quos inter tercentum altis ſub mœnibus olim
Vejorum patriæ lauros voluere paciſci
Illuſtri fato: & clypeus tibi Maximus alter,
Roma, fuit, fruſtra Pænus quam terruit audax.
Non (2) mihi ſe quiſquam primò jactaverit author,
Limite concluſam qui certo Rhetoris artem,
Abdita nec rerum complexam dicat, inerti
Quæ pandi nequeant vulgo, communia tantùm
Cui datur ignavæ contingere lumine mentis.
Nam quamvis vulgi tantùm frænare profani,
Non Regum valeat, Sapientum & pectora Rhetor,
Si (3) doctâ ſeſe penitus non proluit undâ,
Nec proprios rerum valuit recludere fontes,
Haud poterit lucem communibus addere rebus.

1 *Carminis nuncupatio Eminentiſſimo Principi Cardinali Maximo, qui dicenti Authori aderat.*

2 *Quamvis Rhetores vulgum tantùm alloquerentur, omnibus deberent eſſe ſcientiis eruditi.*

3 *Qui propria doctrinarum principia penitus non exhauſit, neque ipſa communia, quorum eſt capax vulgus, bono in lumine ſtatuit.*

Digitized by Google

Aſpicis, (4) ut vulgi queis credita cura colendi
Sacri Oratores, animi niſi vivida virtus
Illos aſtra ſuper rapuit; Divinaque magni
Numinis arcana edocuit, caligine denſa
Involvent, auſi fuerint quæ pandere vulgo.

Sed neque quàm multæ ſpecies, & nomina quæ ſint
Noſcenda, & rerum ingenium, cauſæque latentes,
Eſt numerus, ſi vulgi animos impellere tentas.
Quid (5) referam, armorum quæ Dux niſi mente capaci
Hauſerit, haud unquam generoſa cupidine belli
Pectora corripiet, dum celſo ex aggere fortes,
Aut alta alloquitur caſtrorum e parte, cohortes.
Profuit & varios mores hominumque, locorumque
Exploraſſe ſitus, varias terraque, marique
Aut ſpectaſſe ipſum urbes, aut in pariete ſaltem
Depictas vidiſſe: & quæ diſcrimina Cæli
Diverſum ingenium ferat, & nemora invia, & altis
Oppreſſi nivibus montes, tranandaque ſæpe
Flumina, & ignoti tentanda inſania Ponti.
Hinc (6) adeo, qui præclaros retulere triumphos,
Neſtoreâ haud tantùm linguâ, ſed mente fuerunt
Illuſtres docta: hinc morti devota ſuorum
Pectora pro arbitrio flexere. Hinc Scipio magnus,
Lucullus, Cato, Trajanus, fulmenque Pericles
Eloquii, Epaminonda, Auditor Socratis, & quem
Magna Stagyritæ, Macedo, Sapientia finxit.
Nec (7) te prætercam, Romæ ſpes alma cadentis,
Qui primò Armeniam ſuperirruis, & freta Ponti
Euxini: en Syria, atque Arabes, Hyrcaniaque arva
Succubuere: fragor belli reſonantia longè
Concuſſit tum ſaxa: ſacris increbuit horror
Armorum in ſylvis: devictus Caucaſus altis
Rupibus intremuit; tum, quod mare circuit Orbem,
Victrici lauro ter Magnum ambivit: ab undis
Excita dein belli tempeſtas incidit Afris,
Excidiumque tulit. Numidarum ut littora plangunt!
Bellica cum, veluti nimborum in nocte, coruſcat
Fulmina Pompejus dextrâ, quo barbara motu
Terra tremit: Numidæ fugere, humiliſque ſuperbos
Proſtravit pavor Hiſpanos, Atlantis ad uſque
Quos domuit fines. Naturæ victor arenis
In Lybicis glomerat tempeſtatem: horridus imber
Ne ruat armorum celſi de vertice montis,
Caſpia teſqua ſuper molitur ferrea clauſtra.
Turbidus Oceani cum vultus inhorruit, & cum

Flu-

4 *Patet in Sacris Oratoribus, qui niſi doctiſſimi in Sacra Theologia ſint, myſteria Fidei miris tenebris involvunt.*

5 *Ipſæ conciones militares ſine multiplici doctrina haberi non poſſunt.*

6 *Præſtantiſſimi Imperatores doctiſſimi fuiſſe perhibentur.*

7 *Laus Pompeii Magni.*

Digitized by Google

Fluctibus ad nubes, cæleſteſque arduus arces
Tollitur, audaci ter Magnus claſſe profundum
Edomat. Hos (8) porrò tam claro ex hoſte triumphos
Non vos terribiles Aquilæ, & metuenda, Dracones,
Vexilla, & Jovis elata, & Mavortis imago,
Aut cælata auro peperiſtis templa Deorum,
Aurea ſed Magni facundia, doctaque mores
Naturæ, ingenium populorum, & fortia, claris
Quæ ſubeunda viris diſcrimina. Ab æthere lapſum
Credidit eſſe Ducem miles, præſagia Divis
Quem certa æquabant. Mortalis. Numinis ergo
Auſpiciis freti generoſa in fata ruebant.
Candida ſed circum volitans victoria pennis
Plaudebat Magno; donec (9) ſapientior alter,
Quem mente amplexus, domuit ferro impiger orbem.
Jamque adeo, niſi me tranſverſum a limite recti
Devius error agit, naturam haud flectere Vulgi
Evaleat Rhetor, quem non vegetatque, fovetque
Doctrina omnigena. At quantùm (10) pernicibus alis
Ingenii nitatur, ut alta in pectora Regum
Inſinuet ſeſe, mira quæ temperet arte?
Nam niſi flectendi populos doctrina diſertam
Exornet mentem, fruſtra ſibi vindicat ipſa
Rhetoris ambitio Regum in præcordia regnum.
Quid (11) memorem, ut vario cum fervent pectora motu,
Ira fremit, metus exanimat, mala gaudia mentem
Extimulant, clara rationis lampade Rhetor
Cimmeriis ſolvit mortalia corda tenebris.
Aſt illum informet niſi ſacra ſcientia morum,
Temperet ut duros, ut voce inflammet inertes?
Quid majora ſequar? Turba (12) ingenioſa Sophorum
Oratoris ab ore poteſt pendere docentis.
Namque ea perpetuò civili obnoxia bello
Cum ſit, & alterius minuat pars altera laudes,
Arbiter hic pugnæ: velut altæ in montibus Idæ
Dardanius Paſtor, formæ præſtantis honorem
Deferet alterutri, aut (13) virides intrare lycei
Hortatus lucos, aut gratam figere ſedem,
Quà doctam Stoicorum porticus explicat umbram;
Cumque ſuper picti cæleſtia mœnia mundi
Palladiam volitare jubet ſpes alta juventam,
Atque incerta animis hæret, cum plurimus illam

Invi-

8 *Opinio doctrinæ viam illi ad triumphos aperuit.*
9 *Cæſar.*
10 *Rhetor ſine cognitione omnigenæ ſcientiæ Regum animis imperare non poteſt.*
11 *Præcipuè moralem Philoſophiam callere debet Rhetor.*
12 *Ut Rhetor expendere poſſit Philoſophorum ſententias, omnes noviſſe debet.*
13 *Orator ſuadere dicendo poteſt, ut unum potius, quàm alterum in Philoſophia, & Theologia ducem ſequamur, adeoque omnium ſententias complecti animo debet.*

Invitet dux, qui celeres ad ſydera pennas
Explicat, an magni veſtigia ſemper adorans
Inclyta Aquinatis, quem Scoti aut dædala curſum
Ala ſecat, Divûm velox ſe attollat in aulam,
Tunc valet, alterutrum Rhetor ſuadere volatum.
Omnibus at niſi cæleſtes e fontibus undas
Hauſerit ille prius, penituſque migraverit omnia
Ante niſi Sapientum in corda, expendere certâ
Deſperet librâ, cui ſe natura videndam
Præbuerit melius: quis mente ſubiverit alta
Sydereum, veri ſtudio flagrantior, Axem.
At divina (14) manet Rhetor quem gloria Vatum,
Certatim menti largos infundere rores
Doctrinæ, & dites animi ſaturare novales
Audeat: omnibus eſt labor impendendus, & omnes
Sunt quærendæ artes; vacuos ſe extendere ramos
Aut videas, oculoſque aſpectu paſcere inani.
Non aliter vires dat verſibus æquus Apollo,
Quàm ſi naturæ ſacras accedere partes
Conſuevit Vates, mores ſi calleat, & quot
Vertantur ſpecies animorum, & pectora motus
Nunc alios, alios nunc ſumant, noſſe laboret.
Ille etiam eximiæ ſuper Axem lumina mentis
Intendat, ſubeatque ardentia mœnia mundi.
Luxuriet porrò ſi carmen rebus inane,
Verborum latè nequidquam exuberet umbra:
Carminis haud venis abſtruſos excutere ignes
Doctrinæ, aut poteris de nube educere Solem.
Præterea (15) furto Rhetor ne fidat inerti,
Cumque ipſe haud fontes exhauſerit, in ſua doctas
Deſperet lymphas aliorum e fontibus arva
Elicere. Ut (16) ſi naturæ depingere gaudet
Ora ſuis auguſta coloribus, atque volutet
Authores, cæcas quos rerum evolvere cauſas
Aggreſſos, ſcidit in plures ſententia claſſes
Diverſa, & vario doctus quatit impete Mavors,
Ipſe niſi ſacræ pugnæ queat arbiter omnem
Verſare in partem rationum pondera Rhetor,
Induet in laqueos ſe deteriora ſecutus.
Hinc (17) qui concuſſis e nubibus exilit ignis
Æthera percurrens, tonitru & latera ardua mundi
Concutit, hunc, veterum ſectati arcana Sophorum,
Vulcani, aut Veſtæ riſum dixere Poetæ.

---

14 *Et Poeta exornari debet omnibus diſciplinis.*

15 *Niſi Rhetor ipſe omnibus ſit doctrinis eruditus, mutuari ab aliis earum notitiam nequit.*

16 *Verbi gr. ſi ut rerum naturam deſcribat, alios conſulat, ex innumeris ſententiis deterrimas ſeliget.*

17 *Exempla errorum, in quos lapſi ſunt Rhetores ſequuti deteriores Philoſophos.*

Horrida quæ cernis ventorum prælia, ab Arcto
Cum Boreas, medioque die ruit imbrifer Auſter,
Æoliis olim dices ſopita ſub antris.
Æquora ſed latis latè circumſona terris
Ex immani olim credes exhauſta Charybdi.
Lucis flore notant quæ lactea ſydera callem
Cæleſtem, lac Junonis Vatum chorus omnis
Dicet, vel Phaetontæi veſtigia currus,
Pythagoræ doctum nam ſic delirat acumen.
Quotidie credes Phœbum juveneſcere, dulcem
Cum populetur aquam, ac tantùm ſubſidat amaror,
Sorbeat inſano ne ſol maria omnia potu.
Namque Eracliti ſub mœſta hæc ſomnia nocte
Mentibus illuſere. Mori, naſcique recentes
Quotidie ſtellas dices; Epicurus in hortis
Namque hæc Cecropiis, Leucippi & ſcripta docebant.
Innumeros credes, Senior Gargetius Orbes
Quos finxit. Tranſverſum aget error, cur tonet alta,
Cum quæres, Euri domus, & quæ fulmina Numen
Molitur dextrâ, quibus olim incocta caminis,
Et quibus in nubes fuerint elata miniſtris.
Denique ſi brutæ terræ, vitreique profundi
Dum Rhetor vires, rerumque afferre latentes
Aggreditur cauſas, aliorum verba ſequatur,
Momentis nequeatque ſuis expendere verum,
In labyrinthæos illum ſententia calles
Deducet veterum multùm diverſa Sophorum,
Inque ſuos plerumque trahent mendacia caſſes.
Ergo ſe ſua per veſtigia volvere in orbem,
Inque chori gaudent ſpeciem miſcere choream
Doctrinæ, & quamvis diverſa lege tenorem
Servet quæque ſuum, reliquas non ulla ſorores
Deſtituit. Spatiis (18) a Rhetore diſſita longis
Arcana Aſſyrii credes inſana Magiſtri,
Auſus qui certo metiri examine Cælum,
Stellarum varios obitus ſpeculatur & ortus.
At niſi Muſarum cultor, quæ ſydera lento
Tardius ex undis ſpatio emergantque, cadantque;
Noverit, & quid quæque ferat mortalibus ægris
Aſtrorum ſeries, Chaldæis ulla doloſis
Si ſit habenda fides, nunquam perſtringere ſævo
Audebit ſtylo Aſtrologos, inſontibus aſtris
Qui ſcelera affingunt humana, impunè per omne
Flagitium ut liceat graſſari authoribus aſtris.
Nec (19) porrò, Tulli, Craſſus tibi ſuaſerit acer;
Non hæc egregio præſtari a Rhetore, ut arte

Imbu-

18 *Ut Aſtrologos Satyrâ perſtringere poſſit Rhetor, eorum arcana noviſſe debet.*
19 *Craſſus apud Cic. de Orat. inquit, hæc non præſtari ab ipſa Rhetoricæ facultate, ſed a Rhetore, ut informato cæteris diſciplinis.*

Digitized by Google

Imbuto Suadæ, ſed eodem, ut mente ſubire
Auſo ſydereas arces, & clara Canopi
Arcana edocto; nam (20) quamvis Rhetoris eſſe
Hoc proprium abnueris munus; tamen iſſe per omnes
Rhetoras ut deceat doctrinas, utque perennis
Uſque labor redeat ſapientibus actus in orbem,
Noſſe, reor, promptum eſt. Quid verò ambagibus ultra
Involvam clari radiantia lumina veri?
Quæcumque (21) eloquio illuſtrari divite poſſunt,
Imperio Suadæ parent. His addere lucem
Ut valeat Rhetor, Naturæ regna pererret,
Mente adeat Cælum, cuncta hauriat abdita rerum.
Cumque (22) Oratori ſuperet pars altera curæ,
Ut mentem expugnet dicendo, e corde triumphos
Haud quovis referet, niſi quævis præbeat arma
Doctrina ingenio: aut Vulgi ſi evertet inertes,
Haud poterit doctas Sapientum impellere mentes.
Ut (23) brevibus Macedo, ſeris & Perſa triumphis,
Bellatorque tuus, Colophon, inclaruit olim:
Ut Spartæ haud ortæ palmæ terraque, marique,
Cecropiæque urbi; aſt illi ſi tempora lauro
Sæpe exornavit tellus, nunquam æquora frondes
Progenuere ſacras: ſi huic præbuit Amphitrite
Sæpe ſubacta, ſolum victricia ferra negavit.
Romana at ſubitò virtus exarſit, & altas
Sanguine barbarico quovis e littore palmas
Meſſuit, & quovis natas ex æquore lauros.
Nunc (24) quoniam armorum ceſſat ſonus, aurea fauſtis
Et pax inſertur Romana per oppida pennis,
Romulidæ juvenes doctos ſperate triumphos.
Ardet in egregio cordis lux vivida vultu.
Ite alacres, quò vos mentis vis inclyta torquet:
Ite, atque æthereos animos ornate colendo.
Nunc (25) primùm dulces Muſarum accedere fontes
Cura ſit, & Suadæ regnum penetrare diſertum.
Dein acri ſtudio aggreſſos perfringere clauſtra
Abdita Naturæ, Sophiam juvet uſque Poeſi
Conſerere, & lauro Muſarum ambire Minervam.
Poſt & ſydereos tractus tranare volatu
Audeat, & patriam repetat mens edita Cælo.
Cui dabit occultas Divina Scientia vires,
Exuet impuros rediviva Poetica mores:
Efferet os ſacrum ſoboles certiſſima magni

20 *Tamen conſtat, ipſum Rhetorem excultum eſſe debere doctrinis omnibus.*
21 *De rebus omnibus eloquenter poſſe loqui Rhetor debet.*
22 *Niſi omnia Rhetor noverit, non omnium potiri poterit animorum imperio.*
23 *Ut nullus præter Romanum populus retulit univerſales triumphos.*
24 *Paræneſis ad Romanos adoleſcentes.*
25 *Ut Encyclopædiæ dent operam.*

Digitized by Google

Numinis: inſignis, poterit quæ maxima, virtus
Artis erit, tolletque ingens ſe gloria Cælo,
Vos o, Uranie, precor, aſpirate: recenti
Aſſurget veterum Vatum vis nobilis arti.
Vocem, animumque Deo ſimiles ſi vera Tonantis
Arcana egregio celebrabunt carmine Vates,
Regnata Auguſto concedent ſecula palmam,
Græcia nec magnum poſthac jactabit Homerum.
Sydereæ, chalatis, Muſæ, date lilia plenis.

QUoniam Carminis Heroici Idea non dedit anſam agendi de Satyricis Poetis, innuimus hic diſcrimen inter eorum characteres. Mirificè purus latina loquutione Horatius eſt, ac venuſtus irriſor. Duriuſculus Perſius, & ſubobſcurus, affectator eruditionum, ad quas latenter ſententiam refert, plerumque inſultans illis, in quos invehitur. Juvenalis verò ardet, inſtat, unumque & idem crimen eloquenter exagitat. Acres in illo ſententiæ, phraſis aperta, & candida.

IN ANTEMERIDIANAS

Improbi Juvenis curas Satyra Horatii Stylo.

Ab Authore dicta in Claſſe Rhetoricæ Anno 1666.

PErpetuâ quamvis exultes, Phœbe, Juventâ,
In Juvenes, agedum, mecum diſtringe flagellum:
Quaque (1) tuam ſobolem Siculus viduaſſe Tyrannus
Dicitur, aurata mentum celer indue barba.
Tempeſtiva genas velabit pluma ſuperbas.
Non decet imberbem nati ſenis eſſe parentem:
Larvatus poteris Juveniles radere mores.
Et vos, (2) Pierides, capularis turba, ſorores,
Irruite in Juvenes: Si Plautum, Pacuviumque
Lactaſtis, Priami nutricem ætate, ſituque
Vincitis effœto, ac tandem decet eſſe puellas
Deſinere, & rabie crimen lacerare ſenili.
In Juvenes Anuum fervet jecur. Ergo feratur

---

1 *Dionyſius Æſculapio Apollinis filio auream barbam abraſit dicens: Non decet eſſe barbatum filium imberbis Patris.*

2 *Muſæ, quæ ante tot ſecula Poetas lactarunt, licet pingantur adoleſcentulæ.*

Noſtra per imberbes Phœbea novacula malas:
Nil parcente manu Monachos ceu deglabrat, orbans
Pelle & barbitio, tonſor, Lixivia ferte
Pierides vetulæ, ac tandem barbatus Apollo.
Præſagit (3) Matuta Diem, Furtivus in altum
Fert ſervus conclave pedem, dum pectore noctem
Haurit adhuc Juvenis, quarta jam parte diei
Præterita; ſolemque licet recluſa feneſtra
Excipiat, medio urgentem Cæli æquore currum,
Haud ille imbelles lodicibus explicat artus:
Obtuſum cerebrum noctis feralibus umbris
Conqueritur, (4) quatuorque horis e Tethyos undis
Ante diem rediiſſe ingrati Hyperionis ignes:
Nec mirum, heſternum ſi deſpumare Falernum
Non potuit: decimam tantùm productus in horam
Invitat medicum ſomnus. Sed præſtat, amicam
Carpere adhuc, (5) Phœbo fruſtra objurgante, quietem.
Sic fatus, feſſum motat latus, & bibit alta
Ipſe ſui, rerumque ſuarum oblivia. Tandem
Innitens cubito, terque ægra in ſtrata relapſus,
Dum diducto animam, & criſpante reciprocat ore,
Induitur. (6) Nunc, Muſa, tubas inflare canoras
Tempus, & Herculeas donare ad prælia vires.
Magnum (7) opus aggredimur: magna eſt provincia, veſtes
Fingere ad ætatis morem, torquere capillos
Ferventi calybe, & Cypro irrorare minuta;
Caſtigare pilos audaces, & juveniles
Exonerare inſperata lanugine malas;
Demum ſuppetias naturæ ferre; quod illa
Effinxit pulchrum, componere pulchrius arte.
Frons eſt pulchra domus; ſed bellum hoc excute totum:
Quid belli intus habet? Raro Ganimedibus eſſe
Pulchram (8) animam, ac mentem, Vulpes docuere magiſtræ;
Fœmina, vel vir eſt noſtro data præda furori?
Auro cæſaries undanti terga flagellans,
Pallia non humeris, ut quondam, aptata decenter,
Sed zonæ in morem compoſta, aut credita ventis
Inſtar vexilli, femorique admota recurva
Brachia, ceu duplex ollam complectitur anſa:
Pileolus galeam referens, aut Mercuriale
Furtorum tegmen: mentis præclara virilis
Signa ferunt, & belligeri proſcenia cordis.
Sed protenſa, ut fœmineæ femoralia pallæ;
Ambigui vultus, picta & muliebriter ora,

Anne

3 *Deſcribitur excitatio ignavi Adoleſcentis a ſomno.*
4 *Ineptiæ nebulonis ſemiſopiti.*
5 *Qui altiſſimus terris imminet.*
6 *Ironia.*
7 *Deſcribitur muliebris Adoleſcentium ornatus.*
8 *Vulpes Æſopica.*

Digitized by Google

A me virum credam, cui forma coacta niteſcit
Perpetuo cultu? cui vita eſt omnis, eburnus,
Quo vel per calles, per Templa ornatur, & aulas;
Pecten, ſtacteque & panace, ceruſſaque docta
Pingere ad invidiam naturæ punica mala,
Lacteolaſque roſas, atque oſtro miſta liguſtra.
Eſſe virum credam, geminam qui ſuetus in horam
Conſulere (9) argento cryſtalla trahentia vitam,
Cuncta ut miretur, quibus eſt mirabilis ipſe?
Eſt, qui in gymnaſio, & divini Regis in aula
Digerit in claſſem ſparſos ſine lege capillos,
Conſulto ſpeculo, ſacra quod imagine pictum
Parte ex adverſa fulget, fallitque magiſtrum,
Qui ſacra attonitum pendere ex icone credit,
Dum formam ille ſuam, ceu ſacrum idolon, adorat
Martem ex adverſa cryſtalli parte videndum
Si pinxiſſet (10) Otho, ſecumque ad bella tuliſſet,
Non eſſet ſpeculi conſultor fabula vulgi,
Viſus conſilium, ac vires orare Gradivum.
Quid, quod (11) & a ſpeculo non rarò pendet hianti
Ore, ſuamque oculis faciem metitur amaris,
Qui (12) dare terga fugæ non tantùm pumiliones,
Ægide ceu viſa, cogit, ſed ſe timet ipſe
Diſtortum, tetricum, caperata fronte, malignus
Cujus & expirat non grata abſynthia vultus,
Vultus ſpeluncis ſimilis, latebriſque ferarum,
Quem decorant ſtillæ, vivoque e ſubere rugæ.
Spectanda hæc facies, Sinici ut ſimulachra Pagodis,
Non te corticibus mentiri aliena cavatis
Compulit ora, tuæ vitium quæ frontis obumbrent?
O (13) ſi perpetuò larvatos ire per urbem
Ætatis genius, lexque immutata juberet,
Ut (14) noſtris arrideret lex aurea Nireis!
Sed quoniam hunc morem deformibus invidet ætas,
Inque (15) anno redeunt tantùm ſemel Orgia Bacchi,
Hæc invitantur votis, & cordis anheli
Inſanis precibus: veluti Judæus Apella
Meſſiam expectans, adamantina queſtibus aſtra
Urget flebilibus, dumque aſperat aera Caurus,
Sævior aut Aquilo regnat, ſuper ardua tecti
Culmina molitur compoſta mapalia ramis,
Ut Regem æthereo defeſſum tramite triſte
Hoſpitium excipiat. Sic Bacchi ſacra renati

9 *Speculum.*
10 *Otho.Cæſar ſpeculum ferebat in pugnam.*
11 *Etiam deformes ſpeculum conſulunt.*
12 *Qui pueros terret.*
13 *Optat induci morem, ut homines perpetuò perſonati incedant.*
14 *Per Antiphraſim.*
15 *Exoptat Bacchanalia, ut Hebræi Meſſiam.*

Expectant juvenes, ſua queis haud forma probatur.
Nec (16) deſunt, quos perpetuò facies aliena
Occultare ſolet, quorum uncta ſiligine fulget,
Malobatroque cutis: quæque olim vomere aratri
Sciſſa videbantur, protenſo pane cavernas
Exæquant ora: aut cunctis mutata diebus
Cæſareis, qua (17) nunc corvus, cras prodit Apollo,
Progenies proprio vix agnoſcenda parenti.
Jamque ſatis Juvenem prima in cute vidimus: intus
Formam (18) hominis latitantem nunc ſapiens Domiporta
Diogenes quærit, laternam adhibetque diurnam.
O ſi admota forent Juvenum ſpecularia cordi,
Queis poſſent animi ſpectari impunè colores:
Ingenii vernans utrum ſplendeſcat imago,
Sitque animo pulcher, vultus qui flore ſuperbit.
Verùm (19) age, rimarum plenus ſe prodit, & ultro
Effluit hac illac Juvenis, quæque inſerit ægra
Natura in fibris vitia, aut mos improbus hauſit,
Ipſe ſui Judex, teſtis, reus explicat audax.
Eloquitur. Juvenes ſic explorare ſolebat
Pythagoræ (20) crambe aſſueti, at ſolertis acumen.
Eloquitur. Tandem poſt longa negotia formæ
Ornandæ, foribus patuit conclave recluſis,
Unde ille egreſſus, pelagi ceu Lucifer undis,
Se circumſpiciens, graditur: velut eluctati
Saxorum e rimis renovata pelle colubri.
Occurrunt (21) hilari feſtivi fronte ſodales,
Quos illi forma, & genus, & Regina animorum
Conciliat largo profuſa pecunia luxu.
Quonam illi ante fores tempus ſermone morantur,
Perque vias, ac templa, ſacras & Palladis ædes?
Scilicet inſulſa, & puerilis quæſtio ſurgit:
Senio (22) quid dexter ferat, aut Canis improba radat;
Quo jactu talorum ingens rapiatur acervus:
Quo melius fervens volet actus verbere turbo.
Atque utinam bis fallat nugis innoxia ſoles,
Prælia (23) ſydereo cum Rege profeſſa juventus.
Sed quæ Erebi ſartago eſt ejus lingua! caminus
Qualis tænarei fumat de ſulphure cordis!
Heu, Divûm per Templa, per ingenioſa Lycea,
Parthenio, velut areolæ, florum obſita vere,
Tantam aliqui exhalant ſcelerato ex ore mephitim,

Quantæ

---

16 *Aliqui ſemper deferunt perſonam, quia pingunt faciem coloribus non ſuis.*
17 *Cæſarie nigra, mox flava.*
18 *Illuſtre dictum Diogenis Doliarii: Hominem quæro.*
19 *Loquere, ut te videam.*
20 *Quamvis Pythagoras comederet caules, non erat hebes.*
21 *Occurſus, & confabulatio cum ſodalibus.*
22 *De rebus ludicris.*
23 *Narrant admiſſa crimina.*

Digitized by Google

Quantæ vel pudeat duratam a fornice frontem.
Et quæ perpetuis debent damnare tenebris,
Caucaſei & montis flagrare ſepulta ruinis,
Narrant; vel falſo famam de crimine quærunt.
Ergo (24) cum Phario veluti ſuſcepta Tyranno
Prælia mentitur, laudum qui follis inanis
Bellator vagus inſultat Martique, Jovique:
Sic Superûm jactat cum Rege Tonante feroces
Hic inimicitias? Nec te metus anxius urget,
Os ne deſtituat vox areſcente palato,
Atque ad ſacrilegas lingua hæreat aſpera fauces?
Nec (25) terret mola, quæ ex inflato aſinaria collo
Pendula flagranti tumulabit in æquore ſontes?
Nec pudet innocuis animis peccare docentes
Narrare hiſtorias? Neſcis, deterrime? quem tu
Imbuis (26) inferno tabo, Juvenis: velut hortis
Flos in ſecretis natus, recreatus & aurâ
Flaminis ætherei, radiis firmatus amicis
Solis inoccidui, lachrymarum eductus & imbre;
Vernat adhuc. (27) Quartum trepidat jam claudere luſtrum;
Atque illum latet, an parili ratione, modoque
Sol, & homo generent hominem: an fœcunda parentis
Lumina ſint, ut Cæli oculus Sol cuncta videndo
Progignit. Damus arma hoſti: in nos tela retorquet.
Iſta latent (28) Juvenes? Ergo doceantur, oportet;
Magnum eſt namque viros illos feciſſe docendo.
O flammis (29) devote, Erebi generoſe ſatelles,
Qui, ut fœnum, (30) flores mundi furcâ ingeris Orco;
Ipſo deterior, cui ſervis, dæmone: aperta
Ille odia exercet; ſævum tu fingis amorem,
Quemque ardes, dare perpetuæ vis pabula flammæ;
Scorpius amplexu occidens. Sed muſſat, atroci
Nos oculo intuitus, lethali ut ſaucia ferro
Bellua. Dic, ſodes, quid contra hæc verba reponis?
Cociti, o, inquit, (31) tutor, qui abſolvis Avernum,
Ut damnes hominem: Inſectare (32) e turre ruentem;
Parce (33) impulſori. Neſcis, quam concitet Ætnam
In fibris Erebi Genius: quibus ille colubris,
Qua nos Tiſiphone exagitet: Luctamur, acerbam
Excuſſiſſe animo peſtem, at magis illa fatigat.

Hæc

24 *Jactat ſcelera, ut Milites glorioſi pugnas, & exactos Tyrannos.*
25 *Ut minatus eſt noſtræ Salutis Aſſertor.*
26 *Cui narras hiſtorias peccare docentes.*
27 *Deſcribitur Innocentia Adoleſcentis.*
28 *Reſponſio ſceleſti juvenis.*
29 *In illum Poeta invehitur.*
30 *Juvenes.*
31 *Excuſatio ſceleſti juvenis.*
32 *Hominem.*
33 *Diabolo.*

Digitized by Google

Hæc ſi rere, animo in nos haud bacchabere iniquo.
Mentiris: (34) verba hæc redeant per guttur in imum
Pectus, ait Stygius Princeps. Nos fræna furenti
Concutimus, ſtimuloſque agimus ſub pectore turpi?
Nos? Tu ſolicitas Furias, urgeſque morantes:
Ventilat Alectus tua flamma impurior ignes.
Quid ſtimulis agat? an te cive ſuperbiet Orcus,
Ceu magnus Superûm Regnis deceſſerit hæres?
Qui (35) lentâ innodat Genius tua corda catenâ,
Dormitat ſæpe, & juvenes centum alligat unus;
At centum impugnant unum, cruciantque premendo
Te, civis nemorum, aut clauſtri damnate tenebris
Sponte tua, & metuunt ferulam, qua viderat olim
Hebræus (36) Lemurem colubris ultoribus uri.
Sed tu ultro ruis, & vinclis incurris amicis:
Dicitur auratis populum ut vinxiſſe catenis
Gallicus Alcides ſponte in ſua vincla ruentem.
Tu (37) ſcelera invitas: non pulſat ad oſtia cordis:
Ingrediorque, ait, incumbens ſcelerata voluptas.
Nonne animi domus humani ſunt corporis artus?
Nilque animum turbare poteſt, aut flectere, portis
Quod recluſa domus non excipit? Omnia pandis
Oſtia, & ad portas anima excubat, objectarum
Scalpi avida attactu rerum: & luctatur in omnia
Irruere aſpectu ſeſe allicientia blando.
Ipſa hoſtes ultro portis compellit apertis
Intrare, atque ſuo cogit ſervire furori
Senſus, quos ejus peperit natura ſaluti.
Ipſa ignem, & ſulphur, quibus ardeat, haurit anhelans.
Quoſdam animos quamvis Plotinus dixerit acri
Sulphure conſtantes, ſatagunt & ſulphur, & ignem
Largius excipere, & gratæ dare pabula peſti.
Undique flammam oculi putres venantur, & aures:
Alloquiis ſopiti ignes, & Cypride viſa
Evigilant, laſciva Ætnas Comœdia tollit,
Urit Avernali in tabula depicta voluptas.
Dumque avido juvenes inhiant his lumine, Avernum
Accuſant, quoſque ipſi accendunt, Cypridis ignes.
In turrim confer nitrati pulveris urnas,
Ignemque: & flammas quia ſuſcitat, argue nitrum.
Perlege, (38) quæ ſtygii afflatu luſere Magiſtri
Carmina, per ludum vates ut civibus Orcum
Ditarent, ſtygiique nega te fluminis undam
Flagrare, ad (39) nigrum ducens dum nautica littus

Pagina

34 *Diaboli concio.*
35 *Viſus per ſomnium a Monacho, de quo D.Gregorius in Dialogis.*
36 *Hebræus vidit verberari lemurem, eò quòd non viciſſet Cœnobitam.*
37 *In juvenes, qui per vias voluptates inſanas ſenſibus effrænatis inquirunt.*
38 *In lectores impuræ Poeſis.*
39 *Laſcivum carmen.*

Digitized by Google

Pagina conſulitur, Veneris (40) nequiſſima conjux
Urat tænareo deſcripta volumina fumo,
Digna Venus claudo tantùm ſi viſa marito;
Turpique, hæc eadem Cypriis ſors debita libris;
Ergo ne gemmas inter ſepone latentes
Hos Erebi ſilices: Magni (41) ceu ſcrinia Regis
Incluſere ſacro redivivam in carmine Trojam.
Ne corio indueris nigranti, & frontibus aureis
Carmina tænarea: ut laudes (42) quod Virginis almæ
Includit, ſolet effingi, ornarique volumen.
Proh ſcelus, Oceanus quod non ſatis eluat ignis!
Infidi (43) nuper Paſtoris fabula pellax,
Qui Lupus innumeros ſacris ab ovilibus agnos
Abſtraxit, ſacri ſimulata fronte libelli,
Flammam aluit juvenis, peragit dum Sacra Sacerdos;
Hic te Divinum deducit Paſtor ad Agnum?
Et Fidum Superis ſervare hortatur amorem?
Jamque hilari ſermone viam dimenſa juventus,
Cœlo infert Erebum, atque ingreſſu Templa profanat.
Peccarent levius, feſtis niſi ſacra diebus
Aſpicerent; petitur ſed ſancta Colonia Cœli,
Innumeris uno ſeſe ut pro crimine fœdent.
Principiò qui Myſta facit compendia Sacri,
Quæritur: hic hominum generi officioſus habetur.
Lojolæa (44) cohors, mediam quæ ſueta per horam
Cœleſtem ambroſiam ſenſim libare, timetur,
Tonſoris veluti ſenium, medicique juventus.
Quæritur effræni ſtudio, num fortè in arenam
Deſcendant iterum, pugilum par nobile, Myſtæ:
Quorum (45) qui innocuum Patri velocius Agnum
Sacraret, lis centeno ſub judice ſedit.
Convenere Patres, & vulgi ſtante corona,
Signa dedere tubæ: quadrupes velut Afer aſylum
Dum ſitit, effundi ante alios e carcere flagrat:
Sive (46) triumphalis Bacchi quà ſemita fervet,
Signa tubæ expectat Judæus, ut increpet Euros
Curſu ceſſantes. Sed quando hæc ſacra duella
Rarò mimi agitant Myſtæ, infrunita juventus
Templa ſubit, Divûm celebrantur ubi annua feſta;
Hic licet aſpicere, & furtivo lumine cerni.
Obtutu, viden, ut volitat per ſingula læto!
Quo ſermone pias ſociorum vulneret aures,
Muſa, ſile; illius aſt oculi, nutuſque fatentur,

Bellua

40 *Vulcanus pro igne.*
41 *Alexandri ſcrinium ſervavit Iliadem Homeri.*
42 *Vulgò Officium Beatiſſimæ Virginis.*
43 *Vulgò Paſtor Fidus.*
44 *PP. Societatis Jeſu.*
45 *Duo Sacerdotes de Miſſæ brevitate certarunt.*
46 *In Bacchanalibus Romæ Hebræi in ſtadio currunt.*

Digitized by Google

Bellua (47) Cociti, quæ quondam innixa columnæ
In Templo viſa es calamo properante notare
Nequitias juvenum, & chartam jam deficientem
Dentibus arreptam ſenſim producere, donec
Occiput ad ſaxum allidi confracta coegit:
Ludio nunc Erebi, centena volumina defer
Ad ſpeculam: dabitur faſtis implere probroſis.
Haud utroque genu minor ante altaria flecti
Dignatur juvenis, proavis cui pulmo ſuperbis,
Cui pectus titulis tumet, & prædivite gaza.
Vidi egomet genibus ſtantes, & corpore toto,
Inflexa modicè tantùm cervice, ſacerdos
Dum populo oſtendit Cereris ſub imagine Numen,
Majori (48) ſed cultu hujuſce Vicaria Regis
Majeſtas colitur. Genibus ni pronus adores,
Helvetius miles ſtat contra, haſtamque bipennem
Concutiens, miſeram vinoſus inebriat aurem.
Heus (49) Papa accedit: tellurem, beſtia, fronte
Tangas, aut ego te. Sed non hìc fulmine terret
Rex Superûm: illum ideo fraudas Proregis honore.
Nunc tibi (50) pauca velim; gravis haud eſt quæſtio, ludus.
De Jove quid ſentis? an ſunt tibi fabula Manes?
Moribus hoc certè præfers. An credis? at ipſo
Numine commodius potes, ante domeſticus, uti,
Namque hoc læſa tuo majeſtas parcet amori?
Hoſtiles potius nutrit quis nequior ignes
In Superos, Numenque, ac tela triſulca laceſſit?
Sed non appetitur juvenilis fulmine laurus,
Annoſaſque, ais, in quercus ruit arduus æther.
Siccine pro arbitrio tu fulminis atteris alas?
Claudiſque, & reſeras armamentaria Cæli?
Aridus es truncus: querulus te flagitat ignis,
Et ſcelerum Senium cogit properare ſecurim.
Extenſi quoties calces riguere juventæ
In flore, abrupto vitæ per crimina curſu!
Sed procul a Templo juvenes, procul eſte profani:
Urere nec ferulâ vos hìc dignatur Apollo;
Hìc licet empta caro invitet fortaſſe flagellum,
Nec pecudum caro, vel tauri. Jam (51) Palladis ædes
Noctua noſtra ſubit, juvenis, cui noctuæ ad inſtar
Ludos circùm ſe arridet ſpectare volucrum;
At non Palladio juvat indulgere labori,
Adventu ſatis ille ſuo decorata lycea,
Et præceptorem credit, cui commodat aures,
Non animum: Quin ſponte volans ad inania cordis

Exi-

47 *Sanctus Vir Dæmonem vidit hominum ſcelera ſcribentem.*
48 *Summus Pontifex.*
49 *Helvetii militis verba.*
50 *Ironia.*
51 *Ad gymnaſium juvenis accedit.*

Digitized by Google

Exilia, haud magis aſſequitur, quid verba Magiſtri
Edoceant, quàm Partheniis (52) quas nutrit in hortis
Martha, Stagyritæ doceantur acumina, quamvis
Sæpe illas feriat clamor: tantùm (53) eſſe feruntur
Quattuor ingenio præſtantes, quæ muliebri
Immunes dextram lana, calathiſque Minervæ,
Organa Ariſtotelis gaudent, legeſque doceri
Pierias: dumque hæc clamore lycea reſultant
Doctiſono, interea bibulis illæ auribus aſtant,
Excipiuntque ſacrum doctrinæ e flumine nectar.
Sed noſtri imberbes, merito quos verbere linguæ,
Et ſaturis ſaturamus edacibus, aure ſuperba
Aut dedignantur clamoſi verba magiſtri,
Aut audita alia pellunt aure officiosè.
Dicunt, eſſe notam ingenii præclara minantis
Deſidiæ ſtudium tranquillæ, odiumque laboris.
Et quoniam verbis luſiſſe videntur acutis
Bis terve, ingenio ſe omnes prævertere credunt
Trojugenas. Certè Romana puertia præſtat
Ingenio: hìc pueri ætatem magna indole vincunt,
Naſcunturque ſenes. Sed quid, feſtiva Thalia,
Obgannis? Folia ætatis, nugæque redibunt?
(54) Æſones in pueros cernam migrare Quirites?
Siccine? ſed certè hoc circumfert garrula fama.
Quintiliane, togæ Romanæ gloria, damnas,
Qui nimium ſapiunt, pueros. Cum garrulus olim
Luderet ante ſenis conclavia Præſulis infans:
Quanta, inquit Præſul, veniens incommoda ſecum
Afferet huic ætas puero! Vigor ille peribit
Scilicet experrecti animi: ceu pullus hiabit,
Fari non auſus, qui nunc fluit ore diſerto.
Tunc puer: ergo tuì flos ævi, maxime Princeps,
Claruit ingenio; nam poſtquam cana ſenectæ
Horret hyems, clarus, Romano more, videris
Bambalio. Aut ergo ingenio quia credit acuto
Se præſtare Quiris, ſtudio abſtinet: aut puerili
Languore, Iliadem morborum, & funera certum
Ante diem a ſtudio metuens. Quis vulnerat aures
Nuntius? Invaſit (55) juvenum duo millia febris,
Dum ſicci furit ira canis? Quæ ſemina morbi?
Sex muſis addictæ horæ. Nec Apollo medetur
Immeritis, medicas primus ſi repperit artes?
Mollior Aurora rorante, atque Iride picta,
Hæc credis, juvenis? Valet, atque labore juventus

52 *Sacræ Virgines ex Cœnobio Divæ Marthę clamoſos Collegii Romani Magiſtros audiunt.*
53 *Hiperbole.*
54 *Senes.*
55 *Ironia.*

Innumera egregio nutritur: Tu Platani (56) umbram
Lethalem eſſe putas, Laurique? Adamantina forſan,
Et diverſa tuo ſortitos corpora dicis,
Queis non eſt Lethæa palus Aganippidos unda?
Surdo, Muſa, canis: metuit cordatus Ulyſſes
Te, velut infidam Pelagi Sirena maligni.
Innectit cauſis cauſas, nil demere nugis
Ex anno ut poſſit. Gelida horret bruma? Trementi
Quì ſtringam dextra calamum? Concreta volentem
Fallit gutta, nigris & pagina margaritis
Ornatur. Promiſſa refert Ver gaudia terris?
Tunc juvenes ſtudii labor urgeat? atque juventus
Anni non hilaret juvenes, ver nobile mundi?
At diſcunt Æſtate ſatis, ſi torrida febris
Non urit, quos ſyderei coquit aura leonis.
Autumno regnante ſibi quis gaudia ruris
Invideat? Phœbi, & Bacchi quis fœdera neſcit?
Nec feret indignè Phœbus, ſi dona Lyæi
Me rapiunt Muſis, & Pindum rure paterno
Permuto. Hæc ſecum juvenis, cum Tuſcula Tempe
Septembri exoriente petit; vicina (57) Mauti
Dum velis umbratur adhuc ſacra pyramis albis,
Ludibrio (58) pluviæ, cui nunquam intacta recedunt.
Aſt hoc deſidiæ ſtudium juvenile ferendum
Utcumque, ingenuè juvenis ſi pinguia mentis
Faſſus vincla ſuæ, compeſcat inania vota,
Nilque altum ſpirans, ſed gazâ lætus avitâ:
Arcadiæ, (59) dicat, pecus, aſt Auratum ero: noſque
Fortè (60) Madaurenſis rurſus tuba tollet ad aſtra.
Sed, quod mireris, jaculatur culmina rerum
Pingue pecus votis audacibus; & quia Romam
Incola dedecorat, vel civis, Murice quondam
Ornandum ſeſe, ac Triplicis Diademate Regni,
Præſagit. Vivenda dies tantùm unica Summis
Terrarum Patribus, ſi quotquot lactat inani
Imperium ſpe, deberent præbere ruentum
Obſequio crepidas, & mundi flectere habenas.
O quæ mente agitat, dum prandia obambulat ante,
Atque famem tacita invitat cirrata juventus!
An (61) primum ſimili naſcendi ſorte creatum
Me ſolio virtus, & fors imponeret altrix?
Argilla ex tali finguntur Pontifices, &
Induperatores. Anne huic nimium grave dextræ
Sceptrum eſſet geminam exæquans vix pondere libram?

Nec

56 *Philoſophorum*, *& Poetarum ſtudium*.
57 *Prope Templum S. Bartholomæi Bergomatum ad latus Collegii Romani*.
58 *Quotannis madeſieri perhibetur*.
59 *Aſinus aureus*.
60 *Apulejus Madaurenſis*, *qui de alio Aſino aureo ſcripſit*.
61 *Quæ animo agitant ſuperbi adoleſcentes*.

Digitized by Google

Nec noſtræ grave conſilium, & vis ignea menti
Mundis Democriti frænandis apta? (62) Mamilla
In læva Arcadico tantùm ſalit ergo juvenco?
Abnuis? Ingenio qui cedat, rarus habetur,
Judicio, nullus. Fortè olim Pharmacopola
Incluſam (63) vitro vim, qua dijudicet æquis
Omnia luminibus, ſi obolos tres porrigat emptor,
Expoſuit venum, debens ludibria vulgo;
Quipppe omnes dixere illam ſe vendere mercem.
Fertur ab Aſtolpho tantùm phiala empta, medelam
Quæ inſano afferret (64) Patrueli. At cætera pubes
Et ſapere, & regnorum aptam ſe credit habenis.
Imperia, (65) & faſces, Aſtrææ & libra Quiritum
Depingunt juvenum phantaſmata. Viſa parenti
Verſicolor quia virga, infuſa canalibus, ortæ
Velleribus Labanis oves hauſere colorem.
Sic (66) Violas, Tyriaſque Roſas prope Tybridis undas
Mirari aſſuetus puer, his animum imbuit: & jam
Purpureo nectar bibit ore: adeo improba ludit
Spes hominem: reſerat jam Cælum, & Tartara claudit:
Atque Animi indubius nectit (67) jam vincula Thraci:
Jam fontes aperit, jam littora turribus armat,
Deque ſuo dicit jam nomine conditor urbes,
Romuleumque auget puerorum fæce Senatum.
Perdius, & pernox eſt, qui ſecum ipſe volutat:
Si regerem imperio populos, quæ jura ſubactis
Dividerem terris Princeps? Penetralia mentis
Cui recluſa patent, quæ hic deſtinat, affer Apollo.
(68) Pyramides binæ præeant, dum ſupplice pompa
Urbs Vaticanum petit. Haud (69) undantia poſthac
Flumina Agonali dent circo innare quadrigas,
Ne victum querulis ſeſe Tybris ingemat undis.
Ne tanta Antonj ſolennia turba frequentet
Aſſecla quadrupedum, paribus quamquam illa medelis
Indigeat; patris nam ſedula cura Promethei
Arcadicum (70) genium, & ſtudia inſertavit equina
Multorum ſtomacho. Vetulam (71) ne ferra trementem
Diſtrahat in partes, medium jejunia curſum
Pallida cum ſcindunt. Papæ! & hæc ſtat condere jura?

---

62 *Verba Poetæ.*
63 *Quæ judicium infundit.*
64 *Orlando.*
65 *In Urbe perpetuò ſpectantur Imperii inſignia.*
66 *Colorem Præſulum, & Purpuratorum.*
67 *Statuit ea, quæ a ſe præſtanda ſunt in Principatu.*
68 *Irridentur decreta juvenis inſana ſpe devorantis Imperium.*
69 *Ut æſtate fervida fieri conſuevit.*
70 *Juxta ſententiam Horatii.*
71 *Ut pueri arbitrantur.*

Digitized by Google

Moribus (72) hic certè pateat Collega Tonantis.
O nullâ caput Antycirâ ſanabile! vaſta
Tu Regna, atque tuis frænandam legibus Urbem
Mente agitas? Verùm ſic res habet; atque ideo ſe
Magnanimum credit. Qui ſpes compeſcit inanes,
Et modicus voti perituros temnit honores,
Quin voti immodicus Cæli tantùm ambit honores,
Serpere humi, (73) dicunt, patriaque haud indole dignum.
Si quem Divus amor Crucis (74) ad vexilla volantem
Allexit, clamant, ignarum flectere ſeſe,
Promeritus qui funem, aliorum fræna momordit:
Et generis decus egregium, famamque cucullo
Obruit. Incautum (75) quis piſcem in retia traxit?
(76) Nugaris; nam vel præſtans eſt piſcis, & hamum
Non ſubit incautus: Vel contemnendus, & ipſi
Cur tendat laqueos piſcator? Retia quiſquam
Et laqueos tibi, rex nebulonum, fortè tetendit?
Magnanimos nos, inquis, norunt. Huccine (77) rerum
Venimus? Antiphraſis dedit his tua nomina, Chriſte!
Ut dico, quia non lucent, nemora invia lucos.
Degener eſt animi, vitam qui devovet aſtris?
Qui fragiles venatur opes, & ſydera terræ,
Aſſurgit ſtudiis? At cur, Piſcator (78) Idumes,
Te, vir magne, ſuas demiſſo poplite ad aras
Aſpicit? Illum abjectæ par ignavia mentis
Preſſit humi. O te auris tumidum, & cæleſtium inanem!
Hæc ſupra nubes, Euroſque, & fulmina; & aſtra,
Evehet ad ſolium fœlix (79) ignavia regem:
Et quia inops animi, judex tuus hic erit olim.
Hauſimus (80) hæc, inquis, cum lacte arcana, cruorque
Teſtari cupidus lentas Thracum increpat iras.
Si non (81) lapſa Fides, mens ergo eſt læſa juventæ,
Nil cæleſte flagrans, pariterque inſana (82) ſenectus
Cor juvenum terræ infigens; hìc grandia votis
Moliri ſuadet, dum menſæ accumbit, & omnes
Inſanus genitor proavos inſtillat alumno.
An magis ille cibis, an inani veſcitur aura?

Quæ

---

72 *Ironia.*
73 *Dicunt juvenes effrænati.*
74 *Ad religioſam familiam.*
75 *Verba nequiſſimi adoleſcentis.*
76 *Reſpondet Poeta.*
77 *Verba Poetæ.*
78 *S. Petrus in Aureo ſuo Templo.*
79 *Quam tu ignaviam nuncupas.*
80 *Reſpondet juvenis.*
81 *Urget Vates.*
82 *Parentes.*

Digitized by Google

Quæ porrò eluvies major queat eſſe ciborum
Eluvione, onerat qua ſe temulenta juventus?
Sed ne, Muſa, (83) gulam juvenilem nunc tua vexent
Spicula; namque decet pharetram hìc conſumere, & arcum.

IN LAPIDATORES
Satyra Stylo Juvenalis.
Dicta ab Antonio Ceſcarino Sem. Rom. Convict. Anno 1663.

CAſtalii latices in fulmina docta coite,
Pierides, quos æterno donaſtis honore;
Bellica nunc vobis heroes tela miniſtrent:
Umbonem Æneas, Pelides commodet haſtam;
Pegaſe, det tua purpureos nunc ungula fontes:
In Lapidatores Parnaſi ſaxa volate.
Interea, quando lethalia tela vetamur
Spargere ſacri homines, ſequimur qui jura togatæ
Palladis, imbelles citharas, & Apollinis arma
Expediam, plectroque hoſtes jaculabor eburno.
At non Archilocum, ſaxo, calcaſſe Lycambes
Unus plorabit; non eſt penuria funis:
Ad laqueos adigent iratæ fulmina Muſæ.
Semper ego auditor? cum ſaxo jurgia nuper
In nos intorſit lapidator: & ora premantur?
Si quando pullo qui ſyrmate corpus obumbrat,
Pileo & extenſo ridet pluvium Oriona,
Igniti ducis arma ferens, per compita fertur,
Saxea ubi madidi nebulonis prælia gliſcunt,
Cum ſociis, quos pro Mavorte armavit Jacchus:
Heus, inquit, Cynice, umbrarum, noctiſque ſacerdos,
Semimares galli jam deſipuere palato,
Cui blanditur avis peregrina a Phaſide vecta,
Aut ſociis luſtrata tuis quas India mittit?
An duo vectorum preſſit qui terga Silurus,
Crabro diſerte, ſapit? qui in retia ſponte cucurrit,
Paſceret ut ſacram ingluviem, atque ad ſydera tecum
Ferretur, cumque æthereo Delphine nataret.
Dixerat: ille nihil contra; nam rodere tauri
Crura olli fuerat grandis labor: ecce volat vis

Aſpera

83 *Spondetur alia Satyra in Prandium, & Pomeridianas improborum juvenum curas.*

Aſpera ſaxorum, & fugientem muricis oſtrum
Vix non purpurei donat fulgore galeri.
Docta nec audaci nebuloni tela reponam?
Nec mea, ut Archilochi, ſublimes ducere ſaltus
Carmina te doceant? Romamne, an inhoſpita Thracum
Incolimus nemora? An quæ libertate Decembri
Vexabant Urbem, nunc Saturnalia regnant
Perpetuò? Servi imperium, ac plebs improba torquent?
Armati hi volitant, campo & dominantur aperto?
Martius aſt illis tantùm eſſet campus arena,
Non totam popularentur, ceu Vandalus, urbem.
Ex quo prima æſtas ingratum temperat annum,
Arcadicæ & regnant, Majo redeunte, cohortes,
Nobilis audacem tuba concit ad arma juventam,
Hoſpitio Romæ prohibemur. Prandia poſtquam
Dimiſere hilares ad jurgia grata phalanges,
Non illa quiſquam me tempeſtate per Urbem
Duceret, increpitans quando volat horrida grando.
Ut rigidæ colubros ad nota latibula damnant,
Sic homines horæ accenſæ; producere ſomnum
Nec datur, in triviis tanto fremit impete bellum.
Urgemur laribus patriis, veluti piceatam
Qui metuit dextram lictoris; at ille per Urbem
Saltem errare poteſt feſtis impunè diebus,
Feſtaque nos multas cogunt latitare per horas.
Si quando infauſto diſcrimina quærimus auſu,
Non pes ad lapidem offendit, ſed ſaxa cruento
Incurrunt capiti, feraliaque omina portant.
Spiſſigradi malè deſertas properamus ad ædes,
Et niſi quòd rarò optato collineat ictu
Funditor, & gemino credit me vertice Janum
Ebrius, & callem dicit, me ſtante, rotari,
O te fœlicem, Gabriel, qui vulnera curas,
Lethales aurum parerent tibi grande fodinæ:
Ceu illi, quo tondente, Deci, tibi barba ſonabat.
Effera nunc peteret Naſamonum littora Vates,
Qui quondam ſtatuit Prochytam mutare Suburrâ,
Horreſcens tignum capiti, incuſſamve metretam
Fortuitò, & populo undantem, ut mare fluctibus, Urbem.
At nunc appetimur ſaxorum turbine, vates,
Juni, & certamus cum Amphione ſaxa trahente.
Quis nos egregios poſthac neget eſſe Poetas?
Tanta ſed inſurgit populi ſcelerata frementis
Tempeſtas, quando ludi increpuere feroces,
Quantam non invitat anus laceranda juventam,
Pallida cum ſcindunt medium jejunia curſum.
Quanta nec Antonj ſolennia turba frequentat
Aſſecla quadrupedum, & paribus curanda medelis;
Nam nimium quantum genitoris cura Promethei
Arcadicum genium, & ſtudia inſertavit equina
Multorum ſtomacho. Hinc hominum vis tanta ſodali

Miſce-

Miſcetur pecori; at Romani Saxones agmen
Ditius obſeſſæ ducunt per compita Romæ.
Per fora, per calles regnant, numeroque ſuperbi
Nuper furtivis Capitolj nobile ſaxum
Obſedere armis, & cœco marte Britannos
Ad fera bella canes ſtimularunt: ceu nemus horrens
Nunc quoque Tarpejam umbraret denſa arbore rupem.
Ut quondam ſpinis, & nigra fronde timendum
Relligione animos Evandri urgebat inani.
Excubat haud aliter Tarpejo in colle doloſus
Graſſator, quàm ſi Herciniæ foret accola ſylvæ:
Signaque victorum, & vivacia marmora Patrum
Indole degeneri funeſtat perdita proles.
O Capitolinæ laurus, palmæque parentum,
An non hæc belli facies exoſa recentis
Vos arere jubet, ſolito & viduavit honore?
Quis ferat hoc? Priſcis quod Regia ſacra triumphis
Sit lapidatorum nunc improba arena Gigantum?
Hoſtes, Italiæ flores, generoſa juventus,
Quam per jurgia ſolicitant, lapideſque diſertos,
Martis plebeii lucem ut communicet armis,
Quiſquiliæ juvenum, latronum incerta propago,
Dedecus humanæ gentis, contagia Romæ,
Quos manet Ægea lentandus remus in unda,
Aut pendere decet triplicis de culmine ligni.
Ah ſi tantus amor pugnæ, capitumque feneſtræ
Alliciunt animos, paribus concurrite telis:
Tranſtyberina hoſtes vobis e plebe legantur,
Proles lurconum, Exploratorum, ſycophantum:
Montanara vocet generoſa ad bella Suburram.
Stent contra pugnantum acies, queis miſſile telum
Funda vibretur celeri, productaque obumbrent
Pallia ſolicitum corpus, quæ pallia Myſtæ
Ferre ſolent, aut quos puerorum turba Crabrones
Nuncupat, a ferula poſtquam rubuere diſerta.
Hoc tecti clypeo vigilent, oculiſque rotatum
Explorent ictum, atque hoſti bellaria donent,
Ceu Tiburtinis quæ ſurgunt ſaccara in undis.
Hos legite in pugnam Martes; at arena petantur
Æquora camporum Marium circumſita Montem,
Nec matris bello diſcerpite viſcera Romæ.
Si tumor invitat tentoria figere in urbe,
Vadite, quà partim Roma, & pomœria partim
Oſſa amplectuntur Ceſtj tumulata Gigantis,
Pyramis immenſo quæ ſtringit Mauſolæo.
Vadite: ibi teſtis qui ſurgit in aera collis,
Arma dabit: totum in pugnam diſſolvite Montem:
Et vel Hebræorum patrium nudate ſepulchrum.
Marmora ſi deſint, recutitæ corpora gentis
Tela dabunt; neque Cadmæus ne ſurgat ab umbris
Bellator, metuas: hac Mars lapidator in aula

Se

Digitized by Google

Se jactet, quam fœcundant magnæ oſſa parentis.
At mediam arridet ſi bellum agitare per urbem,
Alcidæ labor eſt lapides portare rotandos.
Impletur ſinus, & belli curvantur in uſum
Pallia: victorum umbræ funeſtantur avorum,
Qui vallum arma, cibos in pugnam ex urbe ferebant.
Sed noſter Mavors virtuti inſultat avitæ,
Dum, quod Corbulo non ferret, ſub marmore ſudat.
Cum primum lapidum nimbum exoneraverit ira,
Non levia impendent ſaxo diſcrimina docto:
Præſul Aloyſi, vel tu, Paſquille, volabis,
Famoſiſque ſuum deerit conchile libellis,
Quis Lapidatores dicet contagia Romæ?
Quæ mala non leges, non evertere Tribuni,
Hæc pueri excindent monumenta exoſa Catones,
Ludicraque, everſo Paſquillo, charta peribit.
Vel prope Romuleas bellum ſi ſurgat Athenas,
Non ego te incolumem ſpero, vicina Mauti
Pyramis, Autumno quam primo carbaſa obumbrant
Ludibrium pluviæ, cui numquam intacta recedunt.
Te novus Enceladus, rabidi ſive ira Mimantis,
Adverſum in cornu jaculabitur: omnia tandem
Si tela invideat ſors improba, Cantaber aurum,
Dentem Luſiades mittet lapidator in hoſtes,
Ut quondam. Telum indulſit quis carius hoſti?
Vulneris optati quænam vos urget orexis?
Cur caput in geminos diffindi geſtit hiatus?
Pallade fœcundum Vulcani fortè cerebrum
Indiget, ut quondam cerebroſus Jupiter, arte?
At quos deliciæ rapiunt ad ſaxa ferinæ,
Ingenio nequeunt amplecti Pallada pingui;
In vacuo poſuere tibi ſed vertice nidum,
Noctua Palladia: hinc doctas in Gymnade lites
Non dirimunt: ſaxis facundia cedit, & hoſtis
Vincitur armata, qui Pallade vicit inermi.
An quia, quos cerebri vitium, & vis effera bilis,
Mentis in exilium rapuit, quandoque recluſo
Vertice deponunt furias, ne naviget æger
Anticyram, ad ſcopulos offendit ſponte volantes,
Ut nigrum exudet patula e cervice venenum?
Roma, tuos dicam cives, quos barbara Erynnis
In furias agit inſanas? Non talia præſens
Monſtra parit Roma; at latrones, Romulus olim
Quos ad famoſum furtis pellexit Aſylum,
Non vos diſſimulent fratres, queis lacte ferino
Tradidit immanes nutrix Lupa barbara mores.
Exere funereo frontem redivive ſepulchro,
Deucalion, pugnâque tuos inſtare nepotes
Aſpice. Quis lapidum ſobolem hunc heroa negabit?
Fabula nunc per vos, & Naſo abſolvitur audax;
Nam tandem patuit ſoboleſcere marmora poſſe.
O qui marmoreus quondam de nubibus imber

O qui

Digitized by Google

Decidit, & priſcam monſtro perterruit Urbem,
Cur ex ultori haud iterum devolvitur Axe
In lapidatores, quos improba vexat amati
Vulneris ambitio? Crudeli parcite voto
Sydera, quod commune bonum, & mens conſecrat ultrix
Criminis immani populantis turbine Romam.
Plurimus ad Xyſti pontem decumbat, & ægrum
Dein latus attollat, dextram ſubeunte bacillo:
Tertio & adnixus pede, cum teſtudine certet,
Qui tardum increpuit Zephyrum πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς.
Portenta hæc Romæ haud Afris cedentia monſtris
Scipio debellet: de Cælo immania ſaxa
Præcipitent, veluti Cereris quæ dona laborant.
At non de gravida nube in caput incidat ictus:
Parcas inſulſo peponi mitiſſima nubes:
Terga, lacertos, dextram ultricia marmora frangant.
Quamquam nulla caput ſceleratum infringere ſaxo
Relligio prohibet; Romæ nam prona medela
Verticibus patulis, atque aſpera vulnera cruris.
Aeris ingenium laudo: non ardua cura
Eſt læſi capitis, nam tanta eſt copia morbi.
Quis cerebro valet? Huic celeri vertigine currit:
Hunc rapit ambitio ſupra ſarraca Bootæ:
Hunc timor angit iners: hic ſpe lactatur inani.
Ergo chirurgi ne dextera Dædala ceſſet.
Argum luminibus vincat lapidator: ut ictus
Certius exploret, cauta in cervice feneſtras
Pandat, poſtica ne grandine terga petantur.
Cernis, anhelanti quærant ut vulnera curſu?
Ceu medici mala venantur: generoſa cicatrix
In vultu radiat: mediis e naribus extat
Vincens pyramidem gibbus: ſeptena ſuperbit
In malis nota, Pythagoræ ingenioſa renati
Teſſera. Salvete heroes, certiſſima Martis
Progenies, quos Eurotæ crudelibus undis
Opponat Tyberis, victrix & Roma Laconi.
Spartani juvenes nutriti vulnere crudo
Romuleæ cedant pubi: fora noſtra moventur
Impete fulmineo, quæque hoſtem invitat Achillem,
Æſtuat in triviis virtus. Gaudete Quirites.
Salva erit Italici tandem reverentia Martis.
Quid lapſam querimur? virtus adoleſcit avorum.
De ſilice excuteret flammas, quod ſanguinis undam
Explicat e juvenis ridentis vertice, ſaxum.
Ecce renaſcentes hilarant Capitolia laurus,
Magnanimâ lapidatores quas ſanguinis nndâ
Lactant, Marforium meritis ut frondibus umbrent.
Illius auſpiciis lapidoſa ad prælia currunt,
Integri ut redeant, velut ejus marmora vivunt;
Non, uti Marforii frater, naſo viduati

Digitized by Google

Ad ſua tecta pedem referant, aut aure minores.
Uſque adeo belli ſitis aſperat horrida Romam;
Hoſtiles animos ut procreet, atque ſodales
Ad pugnam jubeat properare, furore coacto.
Nulla hos Tiſiphone facibus combuſſit Averni:
Ipſi Tiſiphonem & colubros urſere morantes.
Qui nunc Hectoreis animis in bella feruntur,
Sunt, quod Pellæo fuerat Patroclus Achilli,
Unanimes lixæ: quo unus, ſe proluit alter
Vervecis jure: Albano flagravit eodem,
Qui nunc hoſtilem ſitit exhaurire cruorem,
Pugnat per ludum, ut poſſit captare quietem;
Namque hilarem pariunt gratiſſima jurgia ſomnum.
Marmorea poſtquam fremuerunt grandine, rurſus
Hoſtiles ponunt animos, caupone ſequeſtre..
Accumbunt epulis æqualibus: accola Montis
Laudibus immodicis Valles ad ſydera tollit,
Adverſoque Duci prægrandia pocula libat.
Dein iterant pugnam Centaurorum, & Lapitharum:
Amphora cum phialis volat: & mercede ſequeſter
Fraudatur caupo, laribus nam turba malignis
Præcipitat ſeſe, & campo bacchatur aperto.
Cernis, ut intereant jocalariter? Omnia vitæ
Per ludum bona dilapidant; ſunt namque furentem
Qui in triviis claudunt inhonoro fine juventam
Navifrago appulſi ſcopulo. Civilia bella,
Queis Gener atque Socer laceravit viſcera Romæ,
Innocua eſſe facit furor hic. Trepidate Britanni,
Saxones, & Patris qui demum cumque Latini
Sacra profanatis: generoſus pullulat ultor
Romuleæ fidei: de culmine Rector Eoi,
Auguror, Imperii cadet, & quæ deſtinat orbem
Amplecti, fracto mœrebit Cynthia cornu.
O qui ſemianimum bellorum turbine mundum
Concutitis Reges, centum ex hoc agmine lecti
Si veſtra heroes poſthac vexilla frequentent,
Currum ornate triumphalem, victoria parta eſt.
Fræna recuſantes quid vexas, Sarmata, Moſchos
Ariete fulmineo? Tua roboret arma Latinus
Funditor, attonitas ſubvertet Moſchua Turres,
Romnlei tantùm ſaxi proſtrata pavore.
Aerei montes, atque æmula mœnia monti
Sinarum fruſtra vallant confinia regni,
Tartarus irrupit, vacuaque triumphat in aula.
Qui nemora, urſorumque domos, colis antra, Tyranne;
Hos lege Mavortes, hoſtiliaque agmina franges.
Quod non aerei montes, non æmula monti
Mœnia tutantur, tibi ſaxa volantia regnum
Reſtituent, Italoque decus revireſcet in armis.
An ſurgunt criſtæ? veluti ludicra ſequantur

Verba

Verba animi vultum? lapidator ganeo geſtis?
O pecus Arcadiæ, merito pro fuſte jocoſa
Laude onerate, diem fugias, ſolemque, malignum
Latroni timido, quem te talaria plantis
Admota oſtendunt: animos a crimine ducis,
Atque ope Mercurii fretus, pedibuſque citatis,
Hoſte procul, dubiam tentare aſſuetus arenam,
Poſt jactum fugis ad divortia nota viarum:
Fortis, ut ex alta Princeps qui turre ſagittas
In tergum incauti generoſior impulit hoſtis:
Atque invitantem campi ad diſcrimen aperti
Ludibrio excepit, pluviamque iteravit acutam.
    Terrigenæ fratres, o Enceladi æmula pubes,
Quem celebrant ſaxa in Cælum contorta, Jovemque,
Non vos Palladio depicta umbone Meduſa
Imperet in lapides ſævos dureſcere: Non vos
Palladis arma feræ, ſed doctæ ſceptra Minervæ
Caſtigare decet: manicas, & fræna ſatelles
Iniiciat, quando fruſtra inclamabitis, ignem,
O ſocii, flammas, quæ nota eſt teſſera, quando
Lictor adeſt: ſcutica vinctos vos urat edaci
Arcadico impoſitos pecori, qui Dædalus arte
Claudit ſpiramenta animæ, & cogit morientes
Aera per vacuum ſaltus agitare coactos.
Omnia dein raptos hilaris per compita Romæ,
Auratis malis adverſa a plebe petitos,
Saxeus, ante necem tumulans, vos obruat imber,
Atque renaſcentes perimant ſua tela Gigantes.
Vel prope gaviſas Tyberini fluminis undas
In collum inſiliant jugulantis crura Magiſtri.

I N C R I T I C O S

Poetarum Cenſores Satyra Perſii Stylo.

Ab Authore dicta in Claſſe Rhetoricæ Anno 1665.

CAlliope Satyri vultus imitare jocoſi,
Tiſiphoneſque angues dextrâ rape. Vapulet aulæ
Palladiæ tortor, ſacer Arbiter Ingeniorum,
Criticus, an Cynicus? cujus Cenſura Poetas
Vulnerat immeritos. Impunè exederit omnes,
Omnia qui tela irritat? Qui carmina palmo

Metitur, Phœbi poſſit Collega videri?
Tantum audet verbis! Caſtiget barbara dicta
Turba (1) Micipſarum? Vatum capita ardua calcet
Vilis (2) adulator vulgi? Nam vulgus adorat
Contemptor Regum, vulgo quos æquat. (3) Aquini,
(4) Auruncæque furor noſtris illabere fibris.
Vos etiam hæc vexat Cynicorum urtica nepotum,
Aurea Romulidum Vates quos protulit ætas,
De ſummis cenſent: non ævo, atque arte minores
Tantùm carpimur, & famæ diſcrimen inimus:
Vix Græcæ tenebræ linguæ tutantur Homerum.
Gaude (5) Roma. Iterum viruit cenſoria Virga:
Tercentum e cælo nuper cecidere Catones,
Turba minor, proceres Vatum, & Phœbi chorus omnis
Aſſurgat, docilisque lyram ſuſpendat eburnam
Phœbus: Eos Pindo leges, & jura ferentes,
Auritæ laurus, & Noctua Palladis audi,
Doctaque compeſcat nunc murmura Caſtalius fons.
Pythagora, ipſa etiam poſſunt an ſecla renaſci?
(6) Auguſto certè regnata refloruit ætas,
Dum potant doctos Cynicorum examina fontes.
Vel quos opponat priſcis, quæ volvitur ætas,
Educit Vates. Claudus, (7) Maro docte, maritus
Cypridis extinguat, peperit quem Cypria mater,
Æneam: vincere miſer, ſi Criticus audet
Grande Sophoclæo molîri carmen hiatu.
Ni redeas (8) Samio arbitrio redivivus ab umbris,
Et Gyaræ incluſus ſcopulis Æneida ſæva
Caſtiges trutinâ, jubeas, fauſto ardeat igne
Troja iterum, Phrygiique Duces. Parnaſia (9) laurus
De tumulo prognata tuo ad Sebetidas undas,
Perpetuæ, ut fama eſt, viduatur honore juventæ,
Dum Cynicos lambunt hederæ, laurique ſequaces.
Ludimus? An vero mordaci radimus aures
Sacrorum Vatum? Uſque adeo ne invaſit, Apollo,
Enthea vis Cynicos? Cynicorum in pectore, dicit,
Nil ſalit Arcadico. Atrocis (10) ludibria laudis
Tandem, (11) Eruca, vides? Qualem te reris, Apollo;

Cri-

---

1 *Afrorum*.
2 *Criticus dicitur Adulator vulgi*.
3 *Juvenalis Aquinatis*.
4 *Et Lucilii Auruncani*.
5 *Ironica Criticorum commendatio*.
6 *Ironia*.
7 *Comburatur*.
8 *Pithagoras, ſe authore, renatus Samius fuit*.
9 *Neapoli prope ſepulchrum Virgilii laurus viret*.
10 *Apoſtrophe Poetæ ad Criticos*.
11 *Vermis perpetuò rodens*.

Critice, te pingit, laudum ſub imagine carpens.
Tu tibi magna ſonas: alio te in pondere libræ
Suſpendis, levis aſcendit dum muſa Maronis.
Torva (12) quidem facies, & cui reſpublica Vatum
Nixa, ſupercilium, & Lybicæ ſerpentis ad inſtar
Lingua exerta, alios dum ridet ſanna perennis,
Socraticum ſpondent pectus, quod flumine inundet
Multiplici Pallas; ſed doctam hanc excute larvam.
Ede, quid eſſe putes hunc carnificem ingeniorum?
Verborum haud illi, quæ damnat, regula conſtat.
Hoc tantùm ſapiunt: illis duo carmina furcâ
Haud quiſquam extundet. Videantur ut omnia poſſe,
Nil audent: ſemper minitati partum Elephantis,
Perpetuò infantes, damnant aliena diſertè.
At ſibi (13) plauſores ipſi, ſibi grande Theatrum,
Hæc ſecum: Digito demonſtror, Apolline dextro,
Alpha Magiſtrorum, Vatumque incedo magiſter.
Conſulit in dubiis, & noſtra oracula adorat,
Quiſquis habet faciles hac tempeſtate Camœnas.
Somnia! Sed (14) Cynicos vigilata inſomnia paſcunt:
Se virtute ſua involvunt, & quando mereri
Omnia ſe credunt virtutis præmia, credunt
Omnia ſe pariter retuliſſe. Hoc diſplicet unum
In (15) me, inquit Cynicus, quod poſt exhauſta librorum
Millia tercentum, ad doctas nil accidit aures,
Quod non inſulſa mentem dape torqueat: olim
Romulidas ceu vexavit Theſeide Codrus.
(16) Scaligeri haud jura cineres; faſtidia namque
Docta patent. Si (17) dicenti fors commodat aurem
Criticus, excantat quem voce veneficus, anguem
Exprimit: Obliquis oculis ſi roſtra tuetur,
Fulmineo obtutu Vatem, & livore venenat.
Concio plerumque, & qui fortè ſupervenit, altum
Aut (18) laquear, verbis inſcriptaque lemmata ſacris,
Lumine quæruntur ſuſpenſo: animumque ſupinum
Affectat ſimulare. Cave, (19) videare loquentis
Pendere ex ore, attoniti velut unda popelli.
Magnæ mentis apex nil admiratur, & acre
Deſpuit in muſas aliorum. Criticus ergo
Nunc diducto animam, & criſpante reciprocat ore,

Quod

---

12 *Deſcriptio Critici vultus.*
13 *Magnificæ de ſe ipſo Critici voces.*
14 *Poetæ Reſponſio.*
15 *Critici verba.*
16 *Reſponſio Poetæ.*
17 *Deſcriptio Critici aliorum carmina excipientis.*
18 *Verba, quæ Sanctiſſimum Jeſu nomen in noſtris gymnaſiis coronant.*
19 *Poeta Criticum alloquitur ironicè.*

Digitized by Google

Quod cinerem invitat, calidæque ſiliginis offam.
At nunc inceptos naſo indignante cachinnos
Strangulat objectu dextræ: nunc vulnerat aurem
Vicini, cubito quem tangit, nunc grave ſecum
Cornicatur, ſecreto & ter murmure, ineptum
Vatem, inquit; quamvis ſecum qui murmura miſcet,
Famoſæ (20) invitent aſtantia tecta Columnæ.
Quid caput intorques cerebroſum, & magnus haberi
Poſſe putas, alios rides quòd naribus uncis?
Morde aliena probris: quater expue: Concio num te
Luſurum meliora putet, ſtantem pede in uno?
Livida quin animi putat argumenta puſilli,
Et qui deſperet, quas audet carpere, laurus:
Utque blitum in proprio ſucco a livore coquatur.
Deſilit (21) e roſtris Vates: tunc, Critice, circum
Te ſiſtunt, queis blanditur ſartago maligna
Mordacis linguæ. Centeno hìc folle caminum
Suſcitat invidia; hìc clamor, qui Stentora vincat,
Hìc alto nivibus fluvio torrentior inſtat
Verborum fluctus: Qua Vatum in claſſe Poetam
Scribemus, dicit, Muſarum a flumine, & igni
Quem ſuus amandat torpor, limoque ſepulti
Frigida hyems animi? ut cænoſa, & turbida vena
Nil trahit aſſurgens! pretium quod carminis eſto?
Mille obolo conſtent. Quæ finis? Debita rhombis.
Syllaba ſi peccat, ſtrepitu fora Palladis ardent:
Torva Mimalloneis inflatur bucca querelis.
Funditus (22) Aſcræi periere an Apollinis arces?
Tot laudanda taces: peccavit ſyllaba; ferves,
Oblituſque modi furis, ut lymphatus Oreſtes?
Et cum contractæ facinus, cum crimina vocis
Deprendis primò, exultas, tecumque triumphans,
εὕρηκα, (23) inquis: ut auratæ mentita coronæ
Pondera cum primùm reperit, qui pellere pontum
In gyrum, ac terras decreverat Ennoſigæus
Vertere, ſi vaſto libraſſet in aere corpus.
Ne oblata impleret, catus haud implenda popoſcit.
Exulta pepo; theſaurum venatica naris
Repperit: exclama: titulo res digna ſepulchri eſt:
Contraxit producendas? εὕρηκα. Sed & te
Ridicula in foveam, quam damnas, Pieris egit.
Dum (24) contractam urges, decies producitur a te

Cor-

20 *Prope Antonini Columnam eſt hoſpitium inſanorum.*
21 *Poſt auditum carmen Criticus in illud invehitur.*
22 *Poetæ Reſponſio.*
23 *Græca vox, ſignificans: Inveni, uſurpata ab Archimede, cum argenti auro immiſſi pondus invenit. Archimedes Orbem terrarum loco movendum a ſe ſpopondit.*
24 *Critici, dum alios damnant, ſæpe verbis offendunt.*

Digitized by Google

Corripienda. Sapis! Damna Catilina Cethegum.
Aſt alius linguæ modicus, ſed rodere certus
Auditum carmen: Nobis (25) incognita, dicit,
Verba affert vates: Latii dum prata pererro,
Floribus ex his haud unquam invitata legentis
Dextra. Negas (26) priſcam Latii redolere ſenectam,
Quæ loquimur? Fare: Hammonis (27) de fonte relata,
Quæ Cynici de tuſſe crepant, oracula credam?
Criticus inquit? ita eſt: ſcriptos expungo libellos:
Me tenet ambitio doctæ, Vir magne, lituræ.
(28) Delicium Phœbi! Genuinum frange: tuis ne
Mordeat opprobriis? Non (29) hunc tua dextera florem
Legit: in areolis Latii non floruit ergo?
Suntque inviſa tibi non cognita verba Maroni?
Robur Achillææ ratio hæc non præferat haſtæ?
Adde, Stagyrita, inventis: vigeſima ſurgat
Hinc forma hoſtis diſpoſita ratione premendi.
Sunt Cynico inviſa: Ergo incognita verba Maroni.
Ergo (30) qui priſcos libros exhauſeris omnes,
Tempeſtas, barathrum, & vatum inſaturata Charybdis;
Dic, age, quæ Priami nutrix, quis tonſor Achillis,
Ecquis Margitem veſpillo credidit urnæ?
Neſcis? Hæc Siculi Satyræ memorant Epicharmi,
Porſenni Paraſitus, Apollonii Argonautæ.
Hæc pueri cuſtos Pædotriba ſcire jubetur,
Tanquam ungues, digitoſque ſuos. Præſcripſit Aquinas,
Qui curvum recto diſcrevit, & Æthiopem albo.
Neſciat hæc Cynicus, ſolio qui pellere Phœbum
Deſtinat, effœtum ut Saturnum Jupiter aſtris?
Sed quid ego cineres Vatum, nomenque ſepulchro
Educo, quando ora virûm qui pervolat author,
Haud Cynico notus? Dic, ſodes, Troica narrat
Herodotus, Romana Dion an prælia? Palles?
An luſit ſocco, an ſecuit Lucilius Urbem,
Publica mordaci caſtigans crimina rictu?
An claſſe expungam vatum, dignata ſuperbo
Quos nunquam obtutu Cynici ſunt lumina, vates?
Forte tuis ſubjecta oculis non omnia ſacri
Carmina Virgilii, & luſus, chariteſque feroces,
Queis blandè, Venuſine, ſubis præcordia, Flacce:

Atque

25 *Criticus loquitur.*
26 *Poeta reſpondet.*
27 *Ironia.*
28 *Morio Muſarum.*
29 *Expenditur ironicè hoc argumentum ſæpe a Criticis uſurpatum: Hæc vox eſt mihi iucognita: Ergo latina non eſt.*
30 *Quoniam Criticus profitetur omnia veterum monumenta ſibi eſſe cognita, de aliquibus interrogatur.*

Digitized by Google

Atque inviſa tibi condemnas verba, (31) Mycipſa?
Illis theta nigrum præponis, de quibus omnes,
Ceu locuplete penu, poſſis educere gazas
Muſarum, queis priſcorum veneranda papyrus
Decolor eſt vatum: vincitque ætate, ſituque,
Quam pueri vetulam ferrâ laniare feruntur,
Pallida cum ſcindunt medium jejunia curſum?
ἐσχατοκόλλιον (32) haud toties fugientibus ipſe
Hauſiſti, quoties hi oculis hauſere medullam.
Tuque audes alios lacerare, latrator (33) Anubis?
Hos animos livor! Sed damna, ringere, rode:
Me tua commendat Satyra. Haud tibi Muſa probatur?
Ergo probanda. Suo niſi te fulgore perurant,
Illaudata aliis permittes carmina inepta
Sponte mori. Laceras? Populi famam ergo laceſſunt.
Mordeor? exulto. Eſt, (34) Perſi, qui velle recuſet
Os Cynici meruiſſe; adeo mihi cornea fibra eſt.
Irrue, (35) meque petas atrocius, improba turba
Quàm ſoleat lacerare magiſtros, quos Carbones
Dicunt, cum pueri a ferula rubuere diſerta:
Acrius invehere: & Vates crudelius urge,
Critice; namque utriſque decus malè ſana frementum
Ira parit. Rodit ſolùm præſtantia vulgus.
Qui (36) Cynicis fontes, vis unde uberrima fellis
Hauritur, ſolitique magis livere veneni,
Eſt operæ pretium cognoſcere. Non (37) ſapere unguem
Demorſum celeri deductos impete verſus,
Dicis: quod placeat, plus temporis, atque olei plus,
Quærere. Sed (38) Fabium cunctando vincis, & Urſæ
Partum infœlicem quarto eluctaberis anno,
Nec vinces, una quem nocte effuderat alter..
Si (39) quæ fortè nitent in carmine, purpura ſi qua
Miſta, inquis, pannis, alienâ ſumitur arcâ:
Epotum lymphâ Venuſinus inebriat: altas
Et ſemel ad nubes alæ rapuere Maronis
Repentem; aſt illum ſua dicit gloria furem.
Verùm, (40) age, (quandoquidem nunc vivimus ambitioſa

Pau-

31 *Afer.*
32 *Extimam paginæ partem.*
33 *Canis Ægyptiis adoratus.*
34 *A. Perſius ſententiam hanc non probat.*
35 *Comparatio jurgiorum, quibus Poetas Critici, & Vulgus Jeſuitas impetit.*
36 *Secunda Satyræ pars. Enumerantur illa, quæ præcipuè Critici culpare ſolent in carmine, & ſolvuntur.*
37 *Damnat Criticus in ſcribendo celeritatem.*
38 *Obliqua reſponſio.*
39 *Criticus loquitur: Damnat ſtylum a Veteribus deſumptum.*
40 *Reſpondetur.*

Digitized by Google

Paupertate omnes, atque aurea ſecula lucem
Affundunt ferro) priſcos ſpoliato Poetas,
Ut volucres cornix. Alienis, Critice, pennis
Non unquam tolleris humo; uſque adeo tua cæno
Infixit te ſegnities. Eſt (41) & ſua furi
Gloria, dum callem detorquens unda aliena
In noſtros vario campos diffunditur hauſtu:
Quam ſi conſimile educas imitator in æquor,
Et præbere voluptati majora labores
Pabula lectoris, ductum & veſtigia priſca
Antevolans, quales virtus parit æmula palmas!
At (42) mihi, Critice fur, hinc non indemnis abibis;
Perpetuo quemdam rictu mordere poetam
Suetus, adorabas quem tu, quem divite cenſu
Depopulabaris, ne famæ regna ſubiret,
Et privata tuæ præbens alimenta rapinæ,
Publica materies fieret. Tam dira magiſtro
Dona refers, ſervum pecus! An tua furta flagellans
Concilio te poſſe putas imponere Vatum,
Atque aliis famæ ſurgentis adurere pennas?
Cum tua probra probent, aliis tua furta revelas,
Namque tuas celebrat Satyra inſperata fodinas.
Sunt, (43) quibus excuſſo mos eſt ſuſpendere naſo,
Quoſcumque haud triſti Vates mors tradidit Urnæ.
Vitam agitat? Nigrum Vati, canis, alline ſignum.
Quid (44) ſi nequaquam juvenetur verſibus? atrum
Allinis? Attenuat mors carmen inutile falce?
Linea agendarum quæ dicitur ultima rerum,
Digerit in ſeriem verſus? Et Judicis hujus
Argutum poſthac quis formidabit acumen?
Ante obitum patris eſſe nequit formoſa propago?
Si pater intereat, Margites Nirea vincet?
Suſpicio ingenium. (45) Tu vincis acumine, in altum
Qui crepidas Judex jaculatur, ut ardua litis
Diſſolvat vincla: Inverſæ ſi namque redibunt
Ex alto crepidæ, vincet Marphorius; at ſi
Rectæ, Paſquillus cum palma victor abibit.
Sic vivo informis, pulchra eſt patre Muſa ſepulto.
Sunt, (46) quos mordendi vexat tam dira libido,
Priſcorum ut Vatum ſacra circùm tempora laurus

 Ser-

---

41 *Imitatio Veterum commendatur.*

42 *Criticus neſcio quis damnabat Authores, a quibus omnia ipſe hauriebat, ne ab aliis legerentur.*

43 *Criticus omnes recentes Poetas damnat.*

44 *Expenditur, an Vatis interitus proſit ad Carmen perficiendum.*

45 *Comparatio Critici ratiocinantis cum Judice quodam diſſolvente lites ad jactum crepidæ.*

46 *Criticus alius veteres omnes Poetas contemnit, præter Virgilium, & Horatium.*

Digitized by Google

Serpere gaviſas inſani avellere tentent.
Virgilium, & Flaccum, laudis ne habeantur avari,
Excipiunt; alios curtis, ceu ſcruta relicta,
Judæis vendunt. En primo proximus audit
Statius, & multo nunc Cynicus ſale defricat audax.
Parque tuam, Lucane, petit lixivia frontem.
At quidam invito rictum diducere riſu
Cogit, cui poſtquam muſam lacerare Papinj
Pierius menti calor incidit: Hanc ego, dixit,
Profiteor me non dignari oculo fugiente.
Nec poſſe heroos ſenſus penetrare, fatere.
Et gratis damnas inviſam? & rauca videtur,
Quæ tuba terribilem ſonitum ciet ære canoro?
Hanc ſiluiſſe velis, levis ut qui prælia dixit
Marſus Amazonia? Aſſurgunt (47) quibus omnia Vates
Secula, ſi periiſſe velit, miſcebit in unum
Terraſque, tractuſque maris, Cælumque profundum,
Si quiſquam Aoniis nuper prolutus in undis
Proferat in medium carmen, quod ſacra vetuſtas
Non peperit Cynicis venerabile. Gannit atroces
Diras in Vatem, atque typos, quis credat? in ipſos
Evomit exundans virus: fœliciaque artis
Inſtrumenta typographicæ, queis noſtra ſuperbit
Ætas, ingenioque nepos inſultat avorum,
Pernicioſa, inquit, Muſis; nam (48) vulgus inane
Lactavere typi, quando ſperare coegit
Ars hæc ignavos doctorum præmia Vates.
Phœbe (49) Pater, cunctare, lyram in cervice rebelli
Frangere? Non ego blandior edendi cacoethi:
Indignor, cenſore oculo quòd carmina limet,
Qui tactu Ardelio Muſarum ſacra profanat.
Muſarum a ſacris alvearibus arceo fucos,
Ignavum pecus: & ſtomacho tunc ſurgit orexis,
Aggreditur quando Muſas is forcipe, Apollo
Quo minui (50) Admeti nollet tonſore capellas.
Aude aliquid cedro dignum: decoctius affer,
Illepidum, & craſſum dein carmen, Critice, carpe.
Non tu (51) Mercurii, quod fingo, probas ſimulachrum?
En ſylvam: molire aliud: talaria, vultus
Exprime furaces, lignoque imitare crumænam.
Voti, (52) inquis, modicus, fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet exors ipſa ſecandi.

Eſt;

---

47 *Criticus invehitur in recentiores Poetas, qui ſua carmina in lucem edunt.*
48 *Critici verba.*
49 *Poeta reſpondet.*
50 *Quas ipſe Apollo pavit.*
51 *Italis eſt adagium*; Tò del legno, e fanne un tù.
52 *Critici reſponſio.*

Digitized by Google

Eſt, qui de tabulis Zeuſis, Jove, judicat, æquo,
Nec phialâ ſuper appoſitè depinget Iacchum.
Te (53) certè peregrè rapuit non pictus Iacchus.
Pictorem (54) haud illum ars ſua, te eſſe jubet tua Vatem.
Hinc te quando tuum conari carmina adegit
Munus, & infœlix ſubeunda tibi alea, palle,
Ceu Lugdunenſis Rhetor: dein tetrica quinque
Ora feris claudas exoſa pericula vitans.
Promerite o Momi Satyras, te fortè cruento
Dente laceſſitus ſimili aggredietur aceto.
Utque (55) Criſis rabidum depellat, Critice, morbum,
Perfringet valida caput exitiale cupreſſo.
Critice, (56) Diogenis canis aſſecla, perge, latratu
Quem ſequeris, pariter vitæ ſqualore ſequaris.
Dolia (57) ceu docta incoluit teſtudo, perennis
Tu pariter Bacchi exuviis domiporta fruare:
Lymphatum (58) decet hæc domus irrequieta Triſaucem.
Haud etenim (59) Cyrrhæ Domino, ſed Nyſæ agitantur
Pectora veſtra, canes. (60) Ut vos invaſerit ardor
Carpendi Vates, non longa eſt fabula, dicam.
Natio Seſquipoetarum ridenda petebat
Parnaſum; ſed cum ſalebræ, abruptumque cavernis
Dorſum, ac deſcendens veſtigia falleret unda,
Multiplicem docta funem conflare papyro,
Qua ſua in immenſam ſurgebant carmina molem,
Conſtituunt: Phœbi donandus bibliothecæ
Emoritur labor. Eductum vaſtiſſima funem
In ſpatia audaci niſu jaculantur in altum,
Vatibus & doctis commendant, alta crepido
Quos habet, infœlix aliorum cernere fatum
Solicitos. Funem amplexi tunc Seſquipoetæ
Cautibus inſiſtunt extantibus, atque per auras
Corpora librantes, ſaltu enituntur in altum.
Jamque aliqui ſumma eluctati in culmina montis;
Cum ſubitò victus vegrandi pondere funis,
(Quidam etenim æquales arvinâ, & acumine bubus)
Scinditur: Ecce ruunt pinguiſſima corpora ad imum
Præcipitata ſolum: Capiti ille incurrit amico,
Hic ſepelit comitem: coxâ hic, pedibuſque laborat,
Debilis hic ſcapulis, dextrâ ille, omneſque cerebro,

 Expri-

---

53 *Refellitur a Poeta.*
54 *Critici profitentur ſe eſſe Poetas.*
55 *Augurium Critici fatorum.*
56 *Diogenes Criticorum Princeps.*
57 *Diogenes domum, ut teſtudo, circumferebat.*
58 *Cur dolium ſit Critici domus.*
59 *Non Apollo, ſed Bacchus Criticum in furias agit.*
60 *Criticæ origo fuit Invidia, & Poeticæ laudis deſperatio.*

Digitized by Google

Exprimit invitum ſcena hæc turpiſſima riſum,
Quamquam corda dolent, ſpectantum e culmine vatum,
At lapſi, ſua qui lachrymis urgenda profuſis
Sperabant fata, exardent furialiter, atque
In deriſores intorquent probra poetas.
Saucius ut lapidem canis impetit: ac tua ſæpe
Cornua latratu perfringere, Luna, minatur.
Criticus hinc animos ardor pervaſit inertes,
Diraque Apollineæ carpendæ frondis orexis;
Deſperatum enim egena ſuperbia temnit honorem.
Claudite ſed rivos, Muſæ. Jam verberat aures
Criticus, hæc ipſa exacuit qui in carmina dentes,
Tantùm (61) Auditores occidendi cacoethes!
Haud (62) opus inſulſis a muſis oſtia claudi
Rhetorices, inquit. Nec (63) te cenſore poeſi
Eſt opus: haud opus eſt ruri te fallere ſoles:
Haud opus in ſylvis fato indulgere ferarum:
Nec multis opus eſt, ſodes, mortalibus ægris.
Sed quamquam haud opus eſt, ducit ſua quemque voluptas.
Non damnas captum ſtudiis, queis vita maneret
Præciſis: carpis, quia nos rapit almus Apollo?
Qui (64) ut mala, nunc, aliàs qui, ut plurima, carmina damnant,
Cenſores, Satyra, urgebis, laceratаque rodes.

CAR-

61 *In hanc Satyram Critici jurgia.*
62 *Habita eſt, cum Rhetoribus Autumnales Vacationes indicerentur.*
63 *Reſponſio Poetæ.*
64 *Promittitur Satyra in illos, qui carminum ubertatem damnant.*

Digitized by Google

CARMINA
LIBRI SECUNDI,

In quo multa de B. Aloyſio Gonzaga Soc. Jeſu, & de Victoriis Polonorum, Vario Stylo.

Digitized by Google

DE CAUSIS BREVIS
BEATO ALOYSIO
INDULTÆ VITÆ
Carmen Virgilii Stylo.

Dictum in Templo S.Ignatii anno 1670. a Gabriele Perla Seminarii Rom.Convictore.

FLOS juvenum, noſtri decus, & lux alma vireti,
Ante diem terris ereptum turbine fauſto
Te quis, ALOYSI, Cæli traduxit in hortos?
Raptorum chorus Aligerûm, viridaria terræ
Sydere ſi pulchro viduaſtis, dicite, flori
Huic datus anguſti fuerit cur terminus ævi?
Dicite, & hæc ſaltem fuerint ſolatia raptus.
Tuque adeo, ſi mortales inviſere cœtus
Interdum juvat, huc patriis delapſus ab aſtris
Dexter ades, GONZAGA, tuas dum carmine laudes
Ingredimur, cinerique ſacro dant thura Quirites.
Audimur. Quatit auratas ipſe aureus alas
Aera per, Templumque ſubit. Si lumina ferre
Syderei nequeunt radios, & ſpicula vultus;
At certè exultantem animum mihi vivida imago
Impulit. En, tacitus quamvis latet, hìc bonus aures
Præbet ALOYSIUS Vati. Vix luminis auras
Attigerat GONZAGA, ſacri cum fluminis undæ
Abſterſere animo primævi crimina Patris.
Cæleſtes Charites puerum excepere: liquenti
Lavere ambroſia, totumque per oſcula Cælum
Infudere animo, & mortalis tædia vitæ.
Vidit ut hæc Divinus Amor, nam fortè puelli
Adfuit ad cunas: quàm fauſto Numine matris
Triſte puerperium diſſolverit: Æthera mente
Hauſerit, ante inopis premeret quàm limina terræ:
Hic meus, inquit, erit, jam nunc quem ſeligo, Alumnus.
Fortunate puer! teneros Deus imbuit annos;

Hinc

Digitized by Google

Hinc te non, hominum exercent quæ pectora, peſtes,
Laudum amor, aut gazæ, aut cœcæ mala gaudia mentis
Corripient. Video celeri ſuper æthera penna
Enantem, liquidique ſuper latera ardua Mundi.
Hinc ſceptra exuperas animis, almaque bearis
Pauperie, atque ultro gaudes parere jubenti,
Cæleſtemque agitas mortali in corpore vitam.
Sed non longa tibi carpetur temporis ætas:
Jamdudum optaris Superis, quos te ſine, picto
Vix juvat in prato æternæ indulgere choreæ.
Quot caſus, quot per ſanctæ diſcrimina vitæ
Ibis, Aloyſi? Aſt adero, teque ocyus omni
Eripiam fato, donec non impare ſolvam
Funere, & optanti reddam te munus Olympo.
Dixerat; utque legat mortis genus, aliger Aulam
Intrat Amor, magni quam Provida Cura Tonantis
Undique chryſtallo cinxit. Quæcumque ſub umbris
Nos obducta latent, vitrum immortale recludit.
Hic vivunt abſens ſimulachra imitantia verum,
Si quicquam diſtare poteſt conclavibus almi
Numinis: & rerum formas hæc vivis imago,
Exhibet arcanos nam mens Divina colores.
Hæc Superi, quoties labentis ſecula Mundi
Præcepiſſe animo cupiunt, abſtruſaque fata,
Tecta petunt. Speculi hinc miro ſplendore coruſcat
Pictus Aloyſius, primum qui claudere luſtrum
Dum trepidat, jam tela manu puerilia fundit;
Nam Genitor Tunetum contra, ſcopuloſque natantes,
Harpyaſque maris Piratas, legit ab omni
Inſubria robur Martis, ſecumque ferocem
Natum in bella trahit: Parvo donavit habendum
Arcumque, & pharetram: galeâ caput ille decorus,
Atque trophæa gerens clypeo cœlata ſuorum,
Gonzagas omnes animo hauſerat. Ergo curuli
Tormento, ſummæ quod erat pro mœnibus arcis,
Injicit æratoſque globos, & pulveris urnam
Sulphurei: gravido infauſtum mox ſubjicit ignem,
Nil trepidans. Puer ah fortiſſime, ahenea moles
Fœtu diſſiliens nimio, inſperata rotarum
Sive recedentum fuga te collidet. At ipſe
Feralem amoveam currum, quo innoxia peſtem
Mobilis Ætna vomat. Non his tu digne perire
Fulminibus, queis mortales imitantur Olympum;
Sed jaculis, noſtri quæ nervus torſerit arcus.
    Haud procul oppoſito in ſpeculi videt æquore fluctus
Ticini tumidos, pluvia qui fortè ruenti
Creverat inſultans ripæ: Gonzaga per undas
Currum agit; at pleno fluvius ſeſe objicit alveo,
Quadrigam & rapido contorquens vortice, tandem
Diſtrahit in partes: prima eluctatur, equorum

Digitized by Google

Quam rapit alipedum vicina ad littora fervor.
Alteram, Aloyſius qua ſedit. præcipiti urget
Unda fuga. At non extinguent incendia, faxo,
Quæ pueri flagrant in pectore, fluminis undæ,
Inquit Amor; fauſtis namque illum amplexibus arbor
Frænabit, fluvio quæ fors tranſverſa jacebit.
Argento aut fluctus ſolidabo, aut aere raptum
Ipſe manu incolumem miranti in littore ſiſtam.
Ignea bella Erebus rurſus movet. Ilicet atram
Spelæis cerno e ſtygiis erumpere flammam.
Claudit Aloyſius languentia lumina ſomno:
Cum ſubitò mentem ſubeunt pia vota gementis
Jeſſæi Regis, cecinit quæ plurima Vates,
Eliciens geminos oculis ob crimina fontes.
Quotidie his Cælum jaculis Gonzaga petebat:
Tunc, quoniam exciderant animo, ferro excitat ignem
E ſilicis venis, rapuit quem ſtridula furtim
Eſca, & ſulphureo filo admovet: inde volumen,
Attica quod volucris fabricata eſt virgine cera,
Cærulea admoto comprendit ſulphure flamma.
Hanc cervicali imponit, ſolvitque tributum,
Crimina Aloyſius largè, ſed non ſua, plorans.
Deinde ignem oblitus ſopire ipſe aurea ſomno
Lumina conceſſit. Ceram depaſcitur omnem
Flamma vorax, ſubjectaque lina, & ſtragula ſenſim
Exedit: igneſcunt tabulæ, cœcuſque per omnem
Ignis materiem ſerpit: jam plurimus ater
Erigitur fumus: jam latè incendia regnant,
Et juvenem involvunt. Delapſi e nubibus imbres,
Fonteſque, fluviique, & aquis famulantibus æquor,
Gonzagæ hanc, oro, certatim avertite peſtem.
Ceſſatis? Jam veſter erit labor irritus. Ignis
Virgineis ceſſit nivibus. Se flamma cohercet,
Agger & ipſa ſibi eſt: artus neque tangere ſacros
Auſa (velut gelida juvenem ſi valle ſedentem,
Propter aquæ rivum, vel fontem propter amœnum
Aſpergant rores, mitiſque favonius afflet:)
Blandus Aloyſium ſic ipſe refrigerat ignis.
Cui parcunt elementa, viden, crudelis ut in ſe
Igneſcit juvenis? Speculum mirabile pandit
Lactea ſanguineis ſulcantem membra flagellis,
Et latera urgentem calcaribus, & ſua diris
Urentem Cilicum regalia corpora ſetis.
Ut formæ populatus honos! ut ſydera frontis
Penè extincta latent! Non ſic ſqualere videntur,
Quos ferit in ſylvis Cæli intractabilis ira,
Montibus aut gelidis, aut horriferis ſpeluncis.
Carceris impatiens Gonzaga interritus audet
Ad Superos tentare fugam. Sed dicar acerbus,
Et nimium crudelis Amor, ſi ſponte furentem

Haud

Haud dubiam in mortem impulerim. Juvat aurea tela
Clam torquere: Dei penitus carpatur ab igne,
Atque æſtu pereat vitali. Accommodet alas
Inſtanti fato, dirarum ab ſede ſororum
Quæ digreſſa, lues Gonzagam reddet Olympo.
Romani culmis ſqualent morientibus agri,
Prataque, ſylvæque, & gravidis non picta racemis
Vineta, horrificant arenti fronde colonum.
Sæva fames Latio, atque famem comitatus egentem
Morborum chorus incubuit: languentibus ardens
Hæret Aloyſii haud quicquam mortale agitans mens,
Prodiga mens vitæ. Languentis vertar in ora
Tunc Amor, ille piis quem dum complexibus urget,
Senſibus æthereas ducat fugientibus auras.
Evenere, ſacris quæcumque coloribus olim
Cæleſte exhibuit ſpeculum. Sed funere fauſto
Raptus Aloyſius terræ juvenilibus annis,
Secula Neſtoreæ vicit longæva ſenectæ.

B. ALOYSII GONZAGÆ

E SOCIETATE JESU

Victoriæ cælatæ in novo ejuſdem Sacello.

Olim Carminibus, quaſi præſagis, celebratæ.

QUatuor ſelectæ ſunt, Marmore, vel Argento cælandæ, B. Aloyſii Victoriæ, ortæ a multiplici complexione illius Virtutum. Primam admirata fuit Sancta Maria Magdalena de Pazzis, quæ multis aſſertæ profuſo ſanguine Fidei Teſtibus Immortali Gloria præcellentem vidit, eò quòd ardentiſſimo Amore, perpetuoque orandi ſtudio ſemper Divino Numini adhæſerit. Hæc Palma oculis ſubiicitur, dum Anaglypticum Aloyſii Simulachrum a plurimis Beatarum Mentium Signis in altum effertur. Hinc arrepta videri potuit anſa Carminis, quo deſcribitur

Triumphus B. Aloyſio adornatus ab Amore Divino,

Expreſſus Carmine Virgilii Stylo in Templo S. Ignatii anno 1672.

HEroes, fuſo meriti qui ſanguine palmas,
Parcite, ſi, veræ pro Religionis honore
Cui non hauſerunt tortoris tela cruorem,
Vobis antefero Juvenem. Sunt & ſua menti

Supplicia: arcanæ flagrant in pectore flammæ,
His adeo incenſus Gonzaga per atria Divûm
Sydereo incedit chlamydem circumdatus oſtro,
Plurimus atque illum ſequitur chorus aſpera fata
Sortitus ferro. Hetruſci flos nobilis horti,
Magdala, quæ volucri devecta per aera curru
Nomen Aloyſii ferre ad cunabula ſolis
Optabas, tu, quos ſpectaſti, Diva, triumphos
Nunc memora, dum Gonzagæ inſtaurantur honores,
Incenduntque ſacro cineri pia thura Quirites.
Ad Cæli jubar, & ſuperas interrita ſedes
Sponſa ferebatur Divini Magdala Regis
Æthereæ inſuetos libans e fontibus hauſtus
Lætitiæ, cum Cæleſtis ſpectare Triumphum,
Captivos, currumque, atque arma videtur Amoris.
Phœbo ipſe exoriente ab Eois pulchrior undis,
Lampadas intorquens, & ſpicula, fræna regebat
Alipedum, nivibus qui certant: flammeus olli
Currus erat: circum innumeri, quos ignea letho
Tela dedere Ducis, quadrigam pone ſequuntur,
Atque alii anteeunt, clara omnes veſte coruſci,
Sacraque inſignes lauro: qui martia paſſi
Vulnera Divinum teſtati funere amorem.
Saucius hic pectus, collum huic ceu tortilis auri
Signa notant, decoratque omnes pulcherrima labes.
Incedens, Rex alme, tuis blandiris alumnis
Exultans, miraque animos dulcedine paſcis:
Attollenſque faces dextra vibrante beatas
Pectora tranſadigis, vivique loquentis ab ore
Viſi exire ignes, oculiſque erumpere flammæ.
Ardent, & nimio labefacti lumine, lucis
Fonti inhiant tamen. Aſt omnes pulcherrimus inter
Lumina fixa ſolo Juvenis dejecta tenebat.
Ille quidem exemptus ferro tortoris iniqui,
Divini lenta ſed tabe pereſus Amoris,
Præcox accelerat fatum: eſt ſibi tortor, & oſtro
Virgineo flagra tincta rubent, manibuſque catenas,
Quæque ſuo infigit lateri, calcaria præfert.
Regales humeris tandem rejecit amictus:
Et pro crinali frontem auro lilia cingunt
Mixta roſis, & ſyderibus par laurea nexis.
Magdalæ Aloyſius cultu patet; aſper Amori
At cur, averſuſque oculis ſit, mæſtus & ore,
Miratur. Juvenem jaculatur lumine fauſto
Divus Amor, quem præ cunctis ſibi deperit unum.
Dum telis, facibuſque inſtat, ſeptemplicis arcet
Objectu clypei ſacras Gonzaga ſagittas,
Cæleſti juſſus ſubducere pabula flammæ,
Quæ viridis ſenſim carpebat veris honores.
Parendi ſtudio incenſus timet ille favorem
Numinis, utque nefas flammas exoſus amantes

Fortu-

Fortunis miſer ipſe ſuis iraſcitur. At ſe
Ni fugiat, vitare nequit ſacra ſpicula amoris
Cordi infixa. Animum ſcindit concordia diſcors.
Eſt Amor obſequio pugnax? Aſt urget ad ipſum
Obſequium Divinus Amor. Dum nomen amantis
Vitat, amat: ſterilem fœcundus vincit amorem.
Dum ſpreviſſe ferox blandè Divina videtur
Munera, totus adeſt tamen, & mentem erigit altam
Spretus Amor. Renuit flagrantem cernere coram
Durus Aloyſius, rurſumque modeſta retorquet
Lumina: Demum imo ducens ſuſpiria corde
Rorantes oculos, palmaſque ad ſydera tendit
Pacem orans. Videt extemplo diſcedere Cælum,
Et labi ſua corda ſuper de flumine rivum
Ambroſio. Vetitæ ne ſumant inde favillæ
Cæleſtes alimenta, oculis ſpectare theatra
Reſpuit ætherea, ac tenebris pia lumina damnat.
Contemptus gaudet, ridetque Amor, atque ita fatur.
Fruſtra ſydereas, Aloyſi, fallere curas
Luctaris. Quæ vitali nos lampade corda
Urimus, incaſſum properant extinguere flammam.
Quò prohibes magis, iratus magis æſtuat ignis,
Immensùmque furit, regnataque pectora nobis
Ipſæ undæ incendent. Fugiſti, ſed tua Numen
Invenit fuga. Parendi pugnaverit ardor
Hactenus: haud pugnæ deerit ſuper aſtra triumphus.
Interea noſtris indulge amplexibus ultro,
Quadrigamque ſubi, qua mecum ſydera victor
Contingas. Dixit, penè & renuentis in auras
Attollens dextram, ſpectandum præbet ab alto
Sublimem curru. Plauſu generoſa ſequuntur
Agmina, nec dirâ invidiâ tabeſcère norunt:
Atque hæc alterno reſonant præconia cantu.
Fortunate puer! Tibi ſeſe Regia Cæli
Recluſit, primos ætas dum ſurgit in annos.
Hinc gazas animis ſuperans, tecta ampla parentum,
Regaleſque domos, nocituraque gaudia vitas,
Syrteſque, ſcopuloſque, & naviſragos euripos.
Pauper agis duram non paupere pectore vitam.
Æthereus vigor eſt menti: mortalia regna
Sub pedibus: pennis Divini elatus Amoris
Aſtra petis, vitamque inſtauras alitis inſtar
Æterni. Tibi ſolennes affuſus ad aras,
Quem quondam victor ſpreviſti, ſupplicat Orbis.

B. Aloyſii ad Moderatorem Animi de inutili ſua a cogitatione Divinarum rerum fuga

Epiſtola Ovidii Stylo,

Dicta in eodem Templo, eodemque anno.

DEſperat quas lingua, obſeſſæ nuntia mentis
Proferre hæc poterit pagina fortè notas.
Luctamur ſacrum jamdudum expellere amorem:
Non datur a ſacro libera amore via.
Pæoniâ extinguor curâ. Commercia cæli
Dum prohibes, morbi vis furit aucta mei.
Hærentes animo durum eſt depellere curas,
Quas Divûm thyrſo ſuſcitat acer amor.
Sævius urit amor, pello dum pectore Numen:
Quò magis ignis abeſt, hoc magis ardor adeſt.
Neſcia vinci, atrox, dulciſque eſt cura meum cor,
Quod ſine amore ardet, dum ſimul alget amans.
Quid cervo fugiſſe juvat, Gortynia inhærent
Cui tela, & gelidi quærere fontis aquas?
Sic mihi, tranſadigit fauſto cui pectora Numen
Vulnere, nil prodeſt carpere ab axe fugam.
Quid cupiam, ignoro: ſurgunt pugnantia vota,
Iraſcor votis & miſer ipſe meis.
Sydereæ, quoties, curæ, diſcedite, dixi?
Mens hæret ſolido vincta adamante Deo.
Cæleſtes valeant arces: valeatis Ephœbi
Ætherei; a vobis me procul arcet amor.
Deſinite ambroſii ſucci; cratere nec aureo
Noſtram lætitiæ fonte levate ſitim.
Dulcis Amor fugias: ad ſydera flecte volatum,
Et regnata diu pectora noſtra fuge.
Aut, quæ te invitant, Sponſas dignare: malignos
Ducere me linquas, o mea vita, dies.
Sunt aliis formoſa: uni mihi ſydera ſordent.
Haurire hæc oculis eſt mihi grande nefas.
Si nemora, & ſaltus, & flumina adire jubemur,
Menti hæret, cæli qui rigat arva, latex.
Corripiunt mea cæleſtes en pectora flammæ,
Ipſaque viſa ignes excitat unda ſacros.
Dum ſeptemgeminos colles contemplor, & arces,
Extemplo videor templa habitare Poli.
Atque inquam, cernens victricia mœnia Mundi:
Orbis non ſubdit nunc tibi, Roma, caput?

Heu,

Digitized by Google

Heu, quondam armatam timuit domus utraque Solis:
  Utraque non metuit, dum ſacra jura doces?
Numinis ergo oculis ſpecies mihi ſemper inhæret,
  Hæc animum ſpecies occupat una meum.
Quæ patior, damnis quænam graviora timetis?
  Ne vitæ abrumpat ſtamina Parca celer?
Protrahere ingratæ quid prodeſt tempora vitæ,
  Unica ſi vitæ cauſa, inhibetur amor?
Eſt pejor medicina malo. Si fecerit ardor
  Hic cinerem, vivo. At quæ ſine amore ſalus?
Cum, Lojola, tuos ſuſpiria longa penates
  Ardebant, animo hæc ſpes mihi fauſta fuit:
Fræna ibi, dicebam, dabitur permittere amori.
  Cum ver ſperabam, cœpit amoris hyems.
Una mihi ſi cura fuit puerilibus annis,
  Non erit hæc juveni cura beatus amor?
Uſque adeone mori miſerum eſt, ſuaviſſima tabes
  Carcere ab infauſto ſi mihi pandat iter?
Opprimat hanc animam blandi violentia morbi,
  Qui mihi, dum ſævit, nectare corda rigat.
Pulſus amor? Vitæ quos conſervamur in uſus?
  Ipſa ſalus rediens mi ſine amore nocet.
Irrita Apollineæ ſunt artis pharmaca: morbo
  Una meo velox eſt Libitina ſalus.
Dum vitio Cæli populatur tabida totam
  Vis Urbem, & gliſcit ſævior atra lues,
Me ſinite, invaſit dirus quæ corpora morbus,
  Efferre e triviis, atque fovere ſinu.
Non mihi terribili Lacheſis nam falce minatur:
  Clavis ea ad cælum eſt pandere docta fugam.
Quæ terres alios ſuccincta pavoribus alas,
  Blanda es luminibus quàm, Libitina, meis!
Flammam animo prohibes? Dextræ at permitte laborem;
  Sit mihi pro vetito laus ut amore mori.

EMicat inter Anaglyptica præclari, ante Aram ſpirantis, marmoris Signa, forma Cæleſtis Juvenis offerentis Aloyſio Lilium, integerrimæ Symbolum Virginitatis, qua ita excelluit, ut e ſententia Sacræ Rotæ *Angelicus dici poſſit, quia Angelicam habuit Puritatem*. Hac verò non ſolùm de blandiente, ideoque nocentiore, Hoſte Victoriam retulit, ſed ad eam quoque referendam Ducem, & Auſpicem innumeris Adoleſcentibus ſeſe præbet. Quia hoc impuro Amori accidit moleſtiſſimum, Aquis extinguere conatus eſt, quem lædere ſuo Igne non potuit. Poeticis id coloribus pingit Carmen, quo deſcribitur

B. Aloyſii

Digitized by Google

B. Aloyſii de Ticino Furente Victoria

Statii Stylo,

Dicta a Nicolao Giudice in Templo S. Ignatii anno 1674.

Vicit, io, Gonzaga. Suis quem lædere flammis
Tentavit fruſtra, veſana Cupidinis ira
Fluctibus aggreditur? Ticinus inhorruit undis?
Irrita ſunt ignis, ſunt irrita prælia lymphæ.
Vicit, io, Gonzaga. Sacros celebrare triumphos
Pieris auſa, tuos haud nunc in carmina fontes
Suggere: Caſtaliam ſuperatus præbeat ultro
Amnis aquam. Sed Aloyſii foret apta trophæis
Mœonii Vatis tuba, vel quæ accendit ad arma
Buccina Thebanos fratres; nam clarus Homeri
Carminibus Xanthi victor furibundus Achilles
Gonzagæ cedit. Vix illi cærula Mater,
Cognatæque undæ, & Vulcani furta doloſi,
Irati ſeram palmam tribuere Scamandri.
Aſt alius fato canit Hippomedonta ſiniſtro
Iſmeni furiis congreſſum, quem prius unda
Infregit, Capaneus cruda dein abiete fixit.
Gonzagæ fluviique, & conjuratus Avernus
Fluminibus, fruſtraque armans Amor improbus amnes,
Multiplices pariunt laurus. Niſi Vate careres,
Vincis, Aloyſi, ut reliquos virtute, præires
Heroas, domitor fluviorum, fulgure famæ.
Qui populatur opes animorum, degener ardor,
Falſus Amor, verumque odium, poſtquam humida ſucco
Ambroſiæ nil tela juvant, nil lampades igne
Tartareo incenſæ, decrevit mergere fluctu
Gonzagam. Squalens cultu, facieque furentem
Accuſans animum, lauri viduatus honore,
Et pharetræ, volat ad fontem, qui regia ſedes
Ticini. Sedet is vaſto ſecretus in antro,
Quo ſua maternæ lacteſcit ad ubera venæ
Lympha loquax: Acuunt taurinam cornua frontem
Intexta Heliadum ramis, quos proximus olli
Commodat Eridanus: glauco velatur amictu,
Quem prima Annibalis depinxit adorea, campis
Orta ſuis. Urnam circumſtant Najades udæ,
Et cantu exhilarant Regem, cum fulſit in antro
Improviſus Amor. Lachrimæ eluctantur ocellis
Injuſſæ: explorant aditus ſuſpiria: tandem,
O Pulchri genitor pulcherrime fluminis, inquit,
Inquit, nectareo mentes & inebriat ore,

Digne

Digne hac Nympharum pulchra, Ticine, corona,
Quæque tua ornabunt quamprimùm littora, myrtis,
Digne pater: nobis inviſus mox, tua Regna,
Trux Juvenis tranabit aquas. Everte quadrigam,
Inſultans tibi qua fluctus Gonzaga ſubibit:
Ceu lymphas inopes gremio Ticinus amœno
Duceret. Egelidis ſi quondam arſiſtis in undis
Munere, Naiades, noſtro, mulcete parentem:
Tu calcata, parens, naturæ ulciſcere jura.
Improbus ille meæ contemnit tela pharetræ,
Atque ambita aliis renuit mea dona ſuperbus.
Heu quas non artes, quos non tentavimus aſtus!
Et tentaſſe pudet. Non ulli pervia ferro
Sunt, nivibus vallata, adamante rigentia, corda.
Nequidquam Charites vultum ſparſere nivalem
Purpureo ſucco: nequidquam lumina certant
Syderibus: fruſtraque rigor nil ſubtrahit acer
Cæleſti formæ. Ignorat, ſua vel bona temnit.
Non animum rapit ambitio, non plauſus, & aulæ
Commoda Regalis mentem avertere tenacem
Propoſiti trucis: haud titulis incumbit Avorum,
Qui ſtudium ſaltem poterant acuiſſe Nepotum.
Omnia dum luſtro, flammis incendere Martis
Conatus, noſtra ut Mavors in caſtra ferocem
Alliceret, ſibi nunc crudelia bella moventem
Horreo: præduris lactentia membra flagellis
Vulnerat; innocuos urget calcaribus artus.
Illum Maſſyla peperit ſub rupe leæna,
Aut Hyrcana Tygris, Siculi vel monſtra profundi.
Omina ſunt hæc, & noſtri fatalia luctus
Semina. Funeſtâ jam ſurgere Lilia ſylvâ
Intueor: nec vana timor mentitur Amori.
Illius exemplo jam ſeſe plurima pubes
Metitur. Noſtri Imperii vaſtator in undis
Si pereat, Ticine, tuis, te fama ſequetur
Non minor, Eridanum quàm quæ, Phaetonte ſepulto,
Inſeruit Cælo. Terras is læſerat igne:
Hic ſævo extinguit vitales frigore flammas.
Hæc Amor. Aſſenſu facili plauſiſtis Amori
Flumineæ Nymphæ. At contra Regnator aquarum
Pauca refert. Renuam mandata capeſſere Regis,
Omnia cui parent? Gelidis Alphæus in undis
Non unus flagrat. Æoliis erumpite ab antris
Aerei fratres: in me nunc advena torrens
Influat: incumbant, ſi quæ ſunt æquora Cælo,
Noſtris cuncta vadis. Dixit, dextrâque furorem
Afflat aquis, fluctu quas impulit ire ſonanti.
Spumeus ipſe ſuo rapidum caput abdidit alveo,
Ut propius Juvenem bellum ad crudele laceſſat.
Interea Matrem curru Gonzaga ſequutus
Ibat in adverſas irati fluminis undas.

Cum

Cum videt inſolito ripas, amnemque tumultu
Infremere. Ut cum flagranti finguntur in axe
Tela, ſuper nigra nimborum incude, triſulca,
Terribiles gravida ſonitus e nube ſuſurrant,
Fulminis inſani præludia. Non tamen horret
Sæpius emenſus fluctus auriga minaces.
Cunctantes urget ſtimulis, & verbere demens
Cornipedes: illi ſubeunt humentia regna,
Luctanturque vadis. Tunc verò turbidus amnis
Tempeſtate furit: Sævum ruit agmen aquarum,
Quas imbres aluere atri, niviumque rapinæ:
Et quas Tartareo jaculata ex amne flagrantes
Alecto, Ticine, tuis immiſcuit undis,
Sulphureus Phlegeton ruptæ per viſcera terræ,
Plurimus erupitque Acheron: nec ſegnior inſtat
Cocitus: Styx tota ſuo dum prodit ab antro,
Deſtituit ſicco fruſtratum in gurgite Porthmea;
Cymba ſenis glaucæ deluſa infigitur ulvæ.
Fruſtra iter explorat ſonipes: veſtigia fluctus
Verberat aſſultans: juba tollitur hirta pavore,
Damna ſed ipſa juvant; urens nam lympha coegit
Præcipiti rapidos ad littora vertere curſu
Quadrigam æripedes. Prohibent occulta Barathri
Monſtra iter: extremaſque rotas amplexa Megæra
Alligat. Impulſu volucrum diſtractus equorum
Diſſilit in partes currus, fluvioque, potitur,
Excuſſo, anterior ripâ: natat altera ſævis
Fluctibus implicita: hæc gremio cæleſte tuetur
Pignus Aloyſium: torrens animoſus anhelat
Hanc circùm: raucis hanc abſorbere laborat
Gurgitibus: natat hæc fluvii ſecura latrantis.
At puer, ut dulci reſolutus membra quiete,
Curarum nullos admittit pectore fluctus,
Irridet furias: augent diſcrimina vires,
Et fluvii exultans fruitur caligine dira.
Non adeo tranquilla Thetis certata procellis
Per maria incedit, concha ſubvecta volanti.
Hoc magis infrendens amnis ſequiturque, premitque
Victorem; aſſultu crebro circumtonat, ardens
Obruere impavidum. Tauri non cornibus acres
Sævius incurrunt. Nunc tollit ad æthera lymphas,
Irrorans nubes: præceps nunc volvitur axe
In Juvenis caput. Ut pelagus, quod vaſta Charybdis
Eructat, ſorbetque iterum: nunc pendula circùm
Ambit Aloyſium: mox corruit unda feroci
Impete. Suſpenſis ut quondam fluctibus hæſit,
Iſacidum poſtquam tetigerunt littora turbæ,
Purpureum mare, ut alliceret Pharaona ſuperbum,
Quem ſuper incubuit. Sed non hæc fata morantur
Inſontes. Fundo Gonzaga emergit ab imo
Incolumis, pariunt amnis cui prælia ludum.

Tunc

Digitized by Google

Tunc aliis Erebus Juvenem, ſævuſque Cupido
Artibus aggreditur. Fluvio emerſere procaces
Najades. Infrænant aliæ Delphinas; at illas
Cæruleus defert Triton: Sirenibus omnis
Unda ſcatet, quas picta vehunt conchilia: cantu
Invitant Juvenem: fœlicia littora, fœlix
Inſula ſpondetur pavido. Surda ille doloſas
Aure preces, clauſis & noxia munera temnit
Luminibus: furias iterum, fluviique repoſcit
Prælia. Quæſitus rurſum ingruit impetus undæ,
Littore quæ avulſas ſtirpes, & ſaxa ferebat,
Et ſylvas, Dryadumque domos; his fragmina currus
Incubuere. Volant vicino e margine ripæ,
Gonzagam & famuli plaudenti in littore ſiſtunt.
At ſcopulos vitæ, & fluctus, & noxia cordi
Gaudia Sirenum, & cœcum eluctatus Amorem,
Victor Aloyſius ſortitur in æthere portum.

Ad Ticinum ferocientem

IN BEATUM ALOYSIUM

Elegia dicta a Franciſco Simonetto in eodem Templo.

Propertii Stylo, præſertim ubi digredi viſus ad diverſas Hiſtorias, & Fabulas, argumentum, quod præ manibus habet, & ad quod deinde redit, diſertè illuſtrat.

QUæ, Ticine, tuos armat veſania fluctus?
　　In Superos audax impia bella moves?
Victorem Paphiæ properas extinguere flammæ?
　　Ergo in te Cypris jus habet orta mari?
Aggreditur Gonzaga tuas intrare quadrigâ
　　Dum lymphas, decuit, te reſeraſſe viam:
Pendenti & fluctu cryſtallina mœnia circùm
　　Tollere: muſcoſum ſternere fronde ſolum:
Et gravida Eois conchilia pandere gemmis,
　　Aurifer ac tibi quas commodat Hermus opes:
Et quæ Sardoæ tribuere corallia Nymphæ:
　　Dives Erythræi quæ maris unda parit.
Fatalis Virgæ ut cuſtos cum contigit Arca
　　Littora Jordanis, ſubſiliere vada:
Pendula & attonitis cæli venerabile pignus

Horruit unda fretis: præbuit amnis iter:
Pons fuit amnis. Aquis Jordanis digne nivale
Divinæ quondam tingere frontis ebur,
Quàm bene formoſus te duplicis ubere fontis
Lactatum Libanus procreat, Aſtra beant.
Fortia fœcundas, partiris Regnaque curſu,
Montibus & ſpeculum es, gloria dives agris:
Nile Palæſtinis fœlicior urbibus, exis
Nativo e gremio, & fertilis arva rigas:
Perpetuis ridens floret tibi ripa ſmaragdis,
Nectareis pennis ventilat aura ſinum.
Sed te, qui fluctus acuis, Ticine, ſuperbos,
Effræni ut tumules vortice Aloyſium,
Æolia Boreas excuſſa compede, ſemper
Urgeat, & lymphas nox premat atra tuas:
Perpetuus te turbo agitet, ſemperque tonanti
Exhibeas ſonitu nubila rauca Poli.
Semper erunt infauſta bonis tua littora? Campis
Prima tuis Pœno laurea nata duci.
Perjuros, maleſane, foves? At Scipio penè
Viderat inferni triſtia regna Jovis;
Ni Patrem clypeo texiſſet Natus, adulto
Cui devicta parat terra Lybiſſa decus.
Imbuis exemplum Romanæ, aſperrime, cladis,
Cui Trebia inſiſtes, cui Traſymene lacus,
Quos anguſtabit cumulatis corporum acervis
Annibal, inficiet purpureuſque color.
Cum, quamvis tellus ſubſideret icta Tridente,
Ennoſigæe, tuo, proruieretque ſolum,
Non tamen auditus fremitus, terræque labantis
Exitium, cœcus dum quatit arma furor.
Excuſare tui lævum ſed littoris omen
Flaminius vecors, o Traſymene, poteſt,
Qui terrâ, imprudens, renuentia ſigna refixit,
Irriſitque ſui funeris auſpicium.
Non hæc fata tuus Conſul, Ticine meretur.
Deterior Dux, te judice, victor erit?
Nunc ſcelere exultans majora inſontibus, amens,
Damna paras? tumido gurgite tollis aquas?
A magno quæris metuendum funere nomen?
Audaci hic penna non petit Aſtra Puer.
Securo Aligeri hunc rapiunt ad ſydera curſu,
Quos ore, inſonti pectore quoſque refert.
Grande tuæ decus Inſubriæ, Ticine, protervis
Gonzagam vecors contumulabis aquis?
Sed te per Nomadum crudeles ſerpere terras
Inſubria optabit, Gangaridumque plagas.
Saxa tuos minuent fontes injecta, revulſæ
Turbabunt ſtirpes, inficietque lutum.
Nec verò antiquo tranquillus in æquora perges
Tramite, at in partes disjiciere reus:

Atque

Digitized by Google

Atque inopi flebis tua fruſtra crimina lympha,
Quærere per ſalebras triſte coactus iter.
Scinderis meritò. Ut quondam, dementia Cyri,
Gyndes innumera in cornua ſciſſus iit,
Qui prius Euphrati rapido certaverat alveo,
Gyndes Aſſyrios depopulatus agros.
Forſitan at fluctus glomeras, Ticine, feroces,
Gonzagæ ut victis palma oriatur aquis?
Pullulet ut frondens tumido de gurgite laurus?
Naturæ ut pateat Victor Aloyſius?
Hæc ſi te ſtudia incendunt, ignoſcite, Divi,
Audaci. Culpæ ſplendida cauſa fuit.
Qualiſcumque amni fuerit ſed cauſa furoris,
Victor Aloyſius littora tuta ſubit.
Quadrigam infregit violentior impetus undæ?
Navis Aloyſio ſciſſa quadriga fuit.
Diſſiliit poſtquam, Heroas quæ vexerat, Argo,
Colchorum ſæva ad littora Grajugenas,
Immenſo pars hauſta mari: ſubvecta per auras
Altera pars inter ſydera nomen habet.
Hoc pretium, Neptune, refert temeraria puppis,
Impoſuiſſe tibi quæ prior auſa jugum?
Quæ triſtes Hyadas riſit, ſyrteſque doloſas,
Et cæcos ſcopulos, terribilemque notum?
Hæc tibi, Rex Pelagi, celſo inſultabit ab Axe?
Et nautis animos in tua damna dabit?
Palladia immerito tandem ruat æthere Navis:
Peliaco haud proſit Pinus adulta jugo.
Auratæ furtum pecudis, Medeaque rapta
Urgeat, ut læſo ex axe refixa cadat.
Sprevit Aloyſius fluvii quo prælia, Currum
Par eſt, Aonides, inſeruiſſe polo.
Præfuit huic melior Pallas Divina Virago,
Quæ per aquas ſuevit pandere Stella viam.
Hic Tiphyn vexit, qui dux maria aſpera Vitæ
Incolumi Juvenes vincere calle docet:
Orphea, Sirenes Cæli qui provocat ore:
Sydereis fratrem, & Caſtora luminibus:
Hic tulit Alciden, qui clavâ armatus, & igne,
Omnia Terrarum monſtra, Erebique domat.
Improba quemque auri ſitis haud inflammat, Iaſon
Hoc curru attonitas ludificatur aquas.
Si tamen aurata puppim quæ merce ſuperbit,
Aurea ſortiri ſydera ſortè decet,
Ditior haud ulla Indorum de littore funem
Solvit, quàm quæ fert Navis Aloyſium.
Ille Animi fœlix opibus ſic Aſtra laceſſit,
Præpropero ut furto ſit rapiendus humo.
Heu tua fruſtra olli, Ticine, pepercerit unda.
Quamprimùm terris invidus axis erit.

SApphyrinum Cæli colorem imitatur ſelectiſſimus Lapis lazuli, quo conflata eſt Sepulchralis Urna, & ad ſiniſtrum Urnæ latus jacens prægrandis Globus Terrarum Orbem repræſentans, quem pede repellit Cæleſtis Genius, & alter dextero aſſidens Urnæ lateri Coronam proterit, ac manu oſtentat Flagella, & aculeatas Catenas, exhorrentis Principatum, & in ſe ipſum ſævientis Aloyſii delicias. Ad hanc ille contra ſe Pugnam tranſtulit, quam cum Sanguine hauſerat, Bellicam Indolem, majori proinde inclytus gloria, indicata a Carmine, quo

Gonzagarum Heroum, & ipſius Herculis victor oſtenditur B. Aloyſius

Carmine Statii Stylo,

Dicto a Franciſco Zeccadoro Sem. Rom. Convict. anno 1676. in Templo S.Ignatii.

URanie, Pœana canas, dum plauſibus æther
Gonzagæ aſſultat, ſacri qui martis amore
Afflatus fracto retulit de Dite triumphum.
Et Superis ſua ſunt arma, & ſua prælia Cælo.
Tuque adeo, ſacra belligerum cui ſuſcitat œſtrum
Pectora, Aloyſi, Divino e fonte calorem
Infundas Vati, tua dum celebramus ad aras
Prælia: dum ſacros cineres, clauſaſque favillas,
Purpurei recolunt Patres lux prima Senatus:
Alternæque tuas jactant ad ſydera laudes
Sirenes Tyberis. Regali transfuga ab aula
Dum tranſire flagrat Gonzaga ad caſtra Tonantis,
Atque adamante rigens natum compeſcit anhelum
Dum Genitor, curis animum paſcentibus æger
Intrat Aloyſius conclave, ubi plurima cælum
Æmula Phidiacum Heroum Simulachra laceſſunt.
Gonzagæ hic ſpirant Proavi, quos Martia virtus
Claravit; Spirant, quos mendax intulit aſtris
Fabula Semideos: varia ſub imagine vivit
Præſertim Alcides. Hic diro armata veneno
Serpentum in cunis elidit guttura dextrâ;
Terrorem hic Nemees, populatum ſtragibus Argos,
Interimit Nemorum Regem: Qui littora Cretæ
Fulminat, æripedem ſiccantem flumina Taurum,
Urentem nemora hic perimit: nec dente ruinam
Lunato Arcadiæ minitans Aper, Hydraque Lernæ
Dedecus, ac peſtis: Neſſi neque ſigna bimembris,
Geryonque triplex abſunt. Per ſingula ducit

Dum

Dum faciles Gonzaga oculos, videt Herculis ora
In ſua mutari. Veluti cum fræna Quiritum
Torqueret Cæſar, Caligæ cui nomina ſingunt,
Romani Imperii Phaeton Simulachra Deorum
Imminuit capite, & Signo ſe juſſit in omni
Oſtendi populis. At non hæc monſtra tuenti
Gonzagæ exultant hilari præcordia motu:
Quin indignanti ſimilis Puer aureus inquit.
  Nec me caſtra manent, nec præduri Herculis inſtar
Imbellem ſævire juvat. Quæ ſomnia ludunt
Deceptos oculos? Quæ ſpectra effingit Avernus?
  Hæc ait, incertiſque animi dum fluctuat undis,
Mentis in exilium rapitur. De nube videndum
Tum ſe prodigium miranti præbet Alumno
Gonzagas inter Proceres lectiſſimus Heros,
Olim armis clarus, nulli ac pietate ſecundus:
Quadrigam advertit roſeam, & ſic voce loquutus
Nectarea. Non degenerem virtutis avitæ
Dicat Aloyſium Genitor. Tua gloria quantùm
Martia ſe tollet? Quanto dignatur honore
Te Superûm Princeps! Animi quæ Regna Tonanti
Subdis, erunt tua caſtra, Puer. Sic tempora lauro
Cæleſti ornatus vinces, quas fabula claras
Herculis ærumnas celebravit carmine Vatum;
Extinctaſque feras, debellatoſque Tyrannos,
Fumantem Cacum, Buſiris inhoſpita Regna,
Horrorem Nemees, Erymanthi fulmina, Cretæ
Ignitos Tauros, quæque illi Ætolia, Lerna
Quæ peperit portenta: avido fruſtraque Draconi
Heſperidum defenſa auro fulgentia poma,
Haud ululans nemorum clades, confoſſaque terræ
Progenies, haud Geryon, Lybicique Gigantes,
Defenſi Superi, & Cælo ſuppoſta ruenti
Terga probrum delent, quo nexum brachia vinclis
Per Lydas trahit Alciden Amor improbus urbes.
  Fortior Alcide, humano quæ in pectore clauſa
Monſtra latent, perimes. Vatum vigilata Chymæras
Somnia ceu fingunt, dirus ſic plura Cupido
Effundit capita: huic Hydræ cui forma malignæ,
Huic Canis, aut Tauri, aut minitantis fata Draconis.
Civili hæc ululant ſemper diſcordia bello,
Et cladem ſpirant, proprioque infecta veneno
Exertant ora. At labiis atrocibus, igne
Lumina ſuccenſus frendet, rabiemque miniſtrat,
Imperat atque aliis monſtris Leo. Dira flagellant
Hæc hominum portenta animum; neque corda flagranti
Igne Acherontæo ceſſant incendere teda.
Agmina curarum pugnant, certuſque ruinæ
Effrænes animus motus in prælia cogit.
Ut bellatorum commiſit ſemina terræ,
Qui fraterno haſtam temerarunt ſanguine, Cadmus.

Sed

Sed triſtes franges iras, Gonzaga, nec unquam
Sævitiæ inſanæ tibi flammæ pectus adurent.
Detraxere omnes Alcidæ crimina palmas.
Mœnalium nemus, ac miſeris deſerta colonis
Arcadia implorant invictæ robora Clavæ?
Sed ſternet Tirynthium Aper; namque ille paluſtri
Corda volutabro inficiet. Si dulce venenum
Pingit Aper Cypriæ peſtis, quem vicit Jolas,
Alcides non vincet Aprum. Properate Tyranni,
Quaſque hic fuſte feras, fatali aut perdidit igne
Monſtrorum domitor, dum victum ulciſcitur Orbem
Lydia: Dum dignus credi poſt funera Numen
Amphitryoniades, non diſſimulanda Tonanti
Progenies, Lybico exuſtos Hyperione crines,
Atque hirtos olim, Aſſyrio perfundit amomo:
Sidoniâ indutus pallâ ſervilia ducit
Penſa, colum tractans. At non adamantina collum
Sub juga demittes unquam, quæ nubila famæ
Herculeæ offundent, Aloyſi, moribus inſons
Parthenii numquam franges qui jura pudoris.
Quid vigilem prodeſt extinguere fuſte Draconem,
Semper anhelantes auro qui pingit avaros,
Aurea ſi vincunt victorem poma? Virentem
Tu Colubri extingues peſtem, cui luce maligna
Non Tarteſſiaco pallentia littora fluctu,
Cui non concha Arabum, Æthiopum aut quæ fluctuat auro
Tethys, Aloyſi, Pactolo aut Lydia dives,
Permovere animum. Heſperidum quem poma laceſſunt,
Æſtuat, & ſævit magis implacabilis ardor.
Haud epota ſitim compeſcunt flumina diram.
Ut quamvis Iſtrum, & fluvio ſeptemplice Nilum,
Numinaque excipiat gremio centum humida Nereus,
Plura ſitit. Capitum ſylvâ quæ ſibilat audax
Hydra refert animos vivaci clade ſuperbos.
Hanc non Alcidæ ſpirantia pectora patrem
Ambitioſa Jovem elidunt. Tibi Lerna veneno,
Gonzaga, incaſſum ſpumat, qui cardine fultas
Inſtabili ſpes derides: Præcordia vulgi
Cui non carpuntur plauſu, dominæque ſecures
Quem fruſtra alliciunt: quem nunquam faſcinat amens
Gloria, quæ vigili illudit, ceu ſomnia, menti.
Magnanimum tantùm cæleſtis adorea pectus
Impulit. Excelſas virtutum ſcandere in arces
Dum flagras, non Oechaliæ, non mœnia Trojæ
Alcides melior ſuperas. Non cæde ſagittæ
Lætatæ hoſtili, in cineres quæ plurima ſedit
Non arx Alciden decorat, ſi vincit inanis
Aura Cyclopæas auſum perfringere turres:
Barbaricos fracto mores ſi ſæpius haurit,
Injuſtæ pœnas dans palmæ victor, ab hoſte.
Imperium Oceano claudis, Thebane, columnis?

Cura-

Digitized by Google

Curarum pelago fines imponere gaudet
Gonzaga, immenſum & cordis compeſcere regnum,
Cui neque ſunt fines extremi littora Ponti,
Nec Phœbo inviſæ terræ, cui vota laborant
Perpetuò, mentis miſeros ſedare tumultus
Ni ratio norit. Nigri Jovis horrida tentat
Alcides regna, & pavido tria guttura ſoli
Tartarei canis oſtendit? Tibi victus Avernus
Nondum orto, Gonzaga, ſacrâ te tingere lymphâ
Cum Deus, & liquido properavit ſpargere Cælo.
Prima hæc belligeræ fuerunt tibi ſemina laudis.
Protinus a Puero conterrita Tartara magno
Intremuere; cava Ditis compage ſoluta
Monſtra Erebi ex imis fruſtra fremuere cavernis.
    Cætera quid memorem Herculeæ miracula clavæ,
Fulminibus quæ ſæpe Jovis minuere laborem,
Dum ſcelera extinguunt, queis debita tela Tonantis?
Hæc tu monſtra domas aliis fatalibus armis,
Gonzaga. In tua quod torques, eſt, membra, flagellum
Formidatum Erebo telum: Si pelle Leonis
Induit, atque Hydræ propriis armata trophæis
Corpora magnanimus Tirynthius, horrida ſetis
Texta tibi Cilicum, laterique infixa catena,
Et calcar, ſunt ære rigens lorica trilici.
    Dixit, & hæc hilaris Gonzagæ præbuit arma,
Cæleſtes referat queis, fortior Hercule, palmas.

Arcana B. Aloyſii Gonzagæ pugna, ejuſdemque triumphus,

Elegiaco Carmine celebratus, Ovidii Stylo,

Dicto in eodem Templo, eodemque anno.

AGgredimur luſtrare novis Helicona triumphis,
    Et divina ſacri dicere bella Ducis.
Imbuis exemplum cæleſtis nobile palmæ,
    Gonzaga, inferno victor ab hoſte redux.
Dumque arcana refers fracto Phlegetonte trophæa,
    Ætherea in plauſus acta theatra rapis.
Crimina quod vincas, laudum eſt poſtrema tuarum,
    Quæ prima eſt aliis, raraque palma viris.
Cæleſtes pugnant Charites. Quod quælibet ambit,
    Martis arena ſacri eſt pectus Aloyſii.

Parca-

Digitized by Google

Parendi ſtudium cum dio certat Amore,
Qui vitæ carpit ver juvenile brevis.
Ad Cælum una animum invitat Charis: altera torquet,
Dum Superos acie mentis adire vetat.
Irrigat ambroſius Gonzagæ pectora rivus;
Abnuit ipſe animi grata alimenta ſui,
Juſſus ab amplexu ſe Numinis eripit, horrens
Gurgite quòd pleno proluat ora Deus.
Regali geſtit perfundere flagra cruore,
Eſt, ſacra qui jubeat projicere arma manu.
Turbata exagitat cæleſtis pectora pugna,
Et divina animus ſeditione fremit.
At, quæ illum vexat, Virtutem fortis anhelat
Gonzaga, & votis non favet ipſe ſuis.
Armat curarum quàm formidabilis arcus
Virtutes! Divos prælia ſacra manent!
Noxia perpetuus populetur pectora vultur:
Tantalus inviſas ſpectet avarus opes:
Siſyphium ambitio nequidquam ad culmina ſaxum
Urgeat, ut lapſu deteriore ruat.
Fortunæ Ixion celeri vertigine raptus
Membra det infami dilanianda rotæ.
Cerberus exagitet, miſeræ quos mentis in antro
Conſcius ipſe ſui criminis horror agit.
Pallidaque hos fugiant incaſſum corda latratus,
Abſolvit dum ſe Judice nemo nocens.
At ſacra cur gliſcunt Gonzagæ in pectore bella,
Perpetua virtus quod ditione tenet?
Dulcia curarum cur non oblivia potat,
Et fruitur Campis integer Elyſiis?
Rideat æternus Divorum in pectore Aprilis,
Hoc pennis Zephyrus permeet ambroſiis.
Lætitiæ fons eſt Virtus, quam vulgus inane
Mœroris damnat, triſtitiæque ream.
Perpetuo quamvis madeant at lumina fletu,
Exultant lachrymæ, fletus & ille beat.
Cernis, Aloyſio pariant quos bella triumphos?
Cæleſtem pompam, Pieris alma, refer.
Fama præit, feſtoque hilaris clangore tubarum
Divos Gonzagæ ad ſacra trophæa vocat.
Ille vehens curru volucri, quem flammeus, ales,
Cæleſtique agitat ſemine fætus equus,
Heroum ritu lentas vix flectit habenas,
Et blanda ducit gemmea fræna manu.
Chryſolithis axis, ſaturatur temo pyropis,
Intexto fulgent atque adamante rotæ.
In currum omne rubri pretium fluxit maris, Indi
Et quicquid nutrit, quicquid Hydaſpis aqua.
Quacumque ingreditur, ſubito vernantia cerno
Gramina, & inſolita luce nitere ſolum.
Ipſe autem victor campo ſeſe arduus infert,

Pluri-

Digitized by Google

Plurimus inque oculis vivit, & ore Deus.
Et Pudor, & Charites vultus, & amabilis oris
Majeſtas uno jam ſedet in ſolio.
At quibus incendit victricia tempora gemmis,
Non Arabum hoc ditat munere Phœbus aquas,
Quoque illi virtus auro diademata fingit,
Hoc Regum vulgo nulla fodina parit.
En victi Ditis ſpoliis onerata quadriga
Et ſceptra, & capitis regia vincla gerit.
Et fractos arcus, & Amoris tela protervi,
Extinctaſque faces Matris Acidaliæ.
Edomita cervice, & fræna Superbia mandens
Urget iter: Luxum ſæva catena domat:
Invidia incedit ſtimulis incenſa malignis:
Fulmineo ſeſe vulnerat enſe Furor.
Tincta Acherontæo queis pocula felle Megæra
Obtrudit, vinclis tradita monſtra fremunt.
Ac torvùm aſpiciunt Victorem: & fulmina torquent,
Irrita ſed torquent fulmina, luminibus.
Tartara victa tuo ſubmittunt colla triumpho:
Te, Gonzaga, tremit pallida Tiſiphone,
Dum currus videt ægra tuos ad ſydera duci:
Io, dum tellus, aſtra, triumphe, canunt,
Mortales, ſtudio laudis quid perditis iras,
Ac demens animus cur ſua damna flagrat?
Quos rapit inflatos ventoſo gloria curru,
Vos gelido tellus claudet avara ſinu.
Pellæus Juvenis Perſas, & fulminat Indos:
Dein illum anguſti torquet arena ſoli.
Injuſta ad belli diſcrimina provocat amens
Ignotos Orbes, ſomnia Democriti.
Helleſpontiaco minitatur vincla profundo,
Per medium injecta qui trabe navit Athon.
Dum pede proteritur ratio, qui Numen haberi
Ambivit, terras, & maria alta domans,
Degenerat ſævum in monſtrum: ſe lancinat ipſe,
Ipſe Harpya ſibi eſt, Hydra, Leæna, Tygris.
Crudelem trepidant Heroum pectora mortem,
Queis hæres fruſtra Fama ſuperſtes erit.
Nomina quantumvis rapiat peritura ſepulchro,
Junget fata animæ, & nominis illa brevi.
At ſævæ irrides, Aloyſi, ſtamina Clothus,
Æternum peperit cui Libitina decus.
Majores virtus cordis parit alma triumphos,
Quàm ſi des Regum barbara colla jugo;
Decerpſiſſe Duci nihil hinc nam miles honoris,
Debellat cordis ſi fera monſtra, poteſt.

Digitized by Google

PRæcipuum Aloyſio Triumphum inſtruxit Mors obita in ipſo ætatis vere, argento cælata ſupra regalem Urnam; major enim excitatur admirabilitas eximiæ Sanctitatis a breviſſimo eidem indultæ Vitæ ſpatio, quam Heroica Virtute ultra Neſtoream produxit. Hoc exhibetur in Carmine inquirente,

Cur tam citò terris ereptus fuerit
B. ALOYSIUS.

Quod extat pag. 278.

IN CELEBERRIMAM VICTORIAM
JOANNIS CASIMIRI
Poloniæ, ac Sveciæ Regis de Moſchis relatam

EPINICIUM VIRGILII STYLO

Ab Authore dictum in Collegio Romano Anno 1661.

Digitized by Google

Sereniſſimo, ac Potentiſſimo

JOANNI CASIMIRO

POLONIÆ, AC SVECIÆ REGI

Magno Duci Lithuaniæ &c.

Carmen hoc ſuis tenebris addixeram, Rex Invictiſſime, ne argumenti nobilitatem ingenii culpâ detererem. Sed coactus in lucem proferre hoc unicè lætor, quod illi a Tuo Nomine clypeus accedet. Materies certè nulli contigit ad commendandum auguſtior, ſcilicet Triumphi genus, cui parem nulla ætas vidit. Et quis hiſtoriarum monumenta percurrens incidit in ſeptuaginta hominum millia obſidione cincta in aperto campo? Tu ſolummodo, Sereniſſime Rex, poſt exactam a Regno, & vix non a vita, invadentis audaciam, & poſt redemptum virtute, quod Regnum Tibi invidebat fortunæ rebellantis livor, ſub jugum miſiſti Moſchorum Exercitum prope infinitum. Præſtantiſſimi Vates hoc mihi argumentum invideant, cui carmina obtrudit rei dignitas, & plauſus ingerit materia triumphalis. Nunc verò præcipuè non adeo lucem averſatur hoc Epinicium, cum iterum Moſchi bellum adornant, hoc eſt excidium ſuum, Tuoſque triumphos, ſtatim atque in hoſtium conſpectum veneris, referendos: ceu nuper ab illis Vilnenſem Arcem illico recepiſti, Victor, cum vix Te hoſtes viderint mœnibus obequitantem. Quod authoritatis ferme prodigium nulli admirationem incuſſit, cum par eſſet Sancti Caſimiri ſepulchrum occupatum ab hoſtibus ab Eo ſolvi, qui Regiam Divo illi ſtatuit in animo ſuo, æmulato Sancti Principis Pietatem, Regalemque Conſtantiam. Imminentes porrò Victorias, filias hujuſce, quam commendamus, jure Tibi pollicetur Apollo, ſuetus in futurum jaculari fatidicas curas: ſpondet Virtus Tua ex aſperis bellorum aſſurgens fœlicius, & eo Numinis conſilio duris fatis exercita, ut ſe probet Herculeam Monſtra domando: Vovet noſter Amor, Tibi vicem rependens dignato quondam nos hoſpitio peramanti, cum ad bellicas Te proſequatur expeditiones, & votis in Tuos hoſtes fulmina intorqueat. Tuum Regnum, Chriſtianæ Reipublicæ Munimentum, fortunet Deus.

JOANNIS CASIMIRI
POLONIÆ, AC SVECIÆ REGIS
De Moſchis Triumphus.
EPINICIUM.

ARma placent: juvat æratas decerpere laurus,
Sanguine quæ Moſcho creſcunt: juvat arva videre
Strata cadaveribus, vivaſque in mortibus iras
Barbaricis. Non Caſtalios in carmina fontes,
Non Phœbum moror: irrigui de ſanguinis unda
Vena fluat, dulciſque agitet præcordia Mavors.
Occidit: exanimi fœcundat corpore campos
Moſchua Sarmaticos: ferro populata, cruore
Luxuriabit humus. Poſtquam ambitioſa catenas
Induit, & furias, & quas Diſcordia juſſit,
Optavit proprias lacerata Polonia clades,
Ivit per Lechos tempeſtas Svecica fines,
Incubuitque furens Lithuanis Moſchua Regnis.
In lachrymas abiere nives: non funera fratris,
Sed Regni excidium, electrum quæ lachrymat arbor,
Flevit: Hyperboreus Cælo trepidavit Orion,
Tunc primùm timida Oceano ſeſe abdidit Arctos.
Non tamen humanos volvit ſors improba caſus.
Si premitur virtus, mox tollet ad æthera frontem,
Conſilium teſtata Dei. Terram ore momordit
Svecus, & audacem ſtyx atra coercuit umbram:
Magnanimus raptor Regnorum funere merſus
Deſeruit ſua, nunc furias Acheronte ſub imo
Suſcitat: attonitas inclinat Moſchua turres,
Surgere pyramidas dum aggeſtis corporum acervis,
Et modò nata ſuo videt ire fluenta cruore:
Regales aptat currus, ſua plauſtra, Bootes,
Ut patrio Victor Caſimirus in Axe triumphet.
Ipſa etiam feſtos iterant Capitolia plauſus:
Pieridum chorus aſſultat, queis pandere cauſas
Impetus eſt, ſeriemque hilaris depingere belli.
Ut Pax cognatos æterno fœdere Reges,
Et Ligerim junxit Bœti, ut fraterna quierunt
Agmina, communiſque hoſtis latus haſta ſitivit
Chriſtiadum, palmæ quem jam ſpe devovet Orco,
Hæreſis infremuit; jugulo fatalia namque
Arma ſuo vidit Patri jurata Latino:
Et jam ictus experta, caput, quod ſibilat Hydris,
Quaſſans, per Cælum fuſcis ſe ſuſtulit alis:
Nec mora longa: riget Boreæ quâ ſævior ira
Conſtitit, ac Phœbo inviſis ſe condidit antris.

Hic

Digitized by Google

Hic peſtis regnat, quæ Chriſti a Vertice membra
Scindit, Perfidiæ ſoror, Argivique Tyranni
Mancipium; ſed vincla placent hoſtilia, Patris
Eximat ut ſeſe imperiis; ea cura ſuperbam
Extimulat: nullus conſtat color ore bilingui,
Mille trahit varios; truncans irata colubros
Aſperat invidiam, quodque armis aſtra negarunt,
Excidium votis Romanæ deſtinat Urbi.
At ſpecus horrendum monſtri domus; hanc nive dura
Vexat hyems; tenebræ regnant, namque objice ſaxi
Obſtruitur, ſolem cernit quæ porta cadentem.
Hæreſis hæc ubi tecta ſubit, liventia libat
Oſcula germanæ, dein talia pectore rumpit.
O ſoror, in duris cui virtus vivida rebus
Perſtat adhuc, fatis ad te crudelibus actæ
Affer opem, noſtroque volens ſuccurre labori.
Aſpicis, ut noſtris minitentur funera Regnis,
Qui delira Senis venerantur ſacra Quirini?
Per me turbatum ſatis eſt, ſat avara cruorem
Hac hauſtum dextra tellus bibit: arduus ex quo
Svecorum Princeps, belli ceu turbo, rebellem
Sarmatiam invaſit. Quas clades intulit hoſti,
Quot largas animæ gentes donavit Averno!
Indoluit ſtygius laſſatam Navita cymbam,
Relligio Templa, ac Regnum Caſimirus ademptum.
Sed mea vis quantùm ſeſe hoc jactavit alumno!
O virtus, o dextra potens, mea prima voluptas,
O Superûm livor! Tibi ni ſors læva fuiſſet,
Poſt debellatos Germanos, atque ſubactam
Italiæ partem, ſatiaſſes Tybridis undâ
Cornipedes: olim hæc Cromuel tibi fata canebat:
Romuleùm egiſſes Tarpeja ex arce Tyrannum.
Viciſtis Superi: raptas e vertice laurus
Erubuit Svecus, vitamque abjecit inertem.
Nunc alios ſopor altus habet: conſpirat in unum,
Exitium in noſtrum vires ut conferat, hoſtis.
Jamque adeo Gallus, furiis juvenilibus ardens,
Arcibus impreſſo noſtris inſultat aratro.
Proh dolor! Oceani peſtis Romana per undas
Navigat, inficiens tabo, mea Regna, Britannos.
Quò tumor, & virtus abjere? ſedemus inultæ,
Nec totum in Superos certatim Acheronta movemus?
Sanguine quæ noſtro luſit, volat haſta per auras,
Ambitioſa tuum, ſoror, abſorbere cruorem:
Sors premit una duas; ne ſpe lacteris inani.
Opprime cunctantem, ne in te prior involet hoſtis.
Tu potes audaces rapere in certamina Moſchos,
Delicias Erebi: gens nulla ferocior ardet,
Viribus, & numero, palmiſque accenſa relatis.
Dixerat: illa moræ impatiens, nil tendere contra,
Urget enim belli ſitis, & rapit ira calentem:

Exuit

Digitized by Google

Exuit horrentes vultus, nivibuſque colubros
Vallat crinales: gratus color innatat ori,
Canities mento ſonat, & furialia membra
Syrmate velantur: multa & ſe in luce videndam
Sceremet ante oculos offert irata cubantis.
Hoc duce inundavit Lithuanos milite campos
Moſchua, nec ſævis fors impia defuit armis.
Solicitum pugnæ tunc ira, timorque coquebant;
Scilicet æthereis Caſimirus lapſus ab aſtris,
Regia prælusit ſuperis cui purpura regnis,
Terruerat monſtris ſcelerata in bella ruentem.
Vibrato latebras animæ perrumpere telo,
Si ſua Marte ferox vaſtaret regna, minatus.
Aggreditur timidum, ficta ſub imagine Myſtæ,
Bellua Cociti, & diras in pectore tædas
Suſcitat, injectoque agitat fera corda colubro.
Olli cura ingens noctem expulit: ilicet ardent
Jucundæ belli furiæ: Victoria campis
Viſa volare ſuis ſpe blanda exaſperat iram.
Arma rapi jubet, arma fremit generoſa juventus.
Fœtum hic Vulcano rapit æs, plumboque volanti,
Efferat hic enſes, & fata natantia ſuccis
Vipereis addit chalybi, quo certior ictus
Deſtinet, inque hoſtem geminis mors evolet alis.
Pars pedes ire parat, premit altera quadrupedantem,
Inſpiratque ſuum, cui plaudit pectora, virus.
Funduntur portis, & regia ſigna frequentant
Innumeræ gentes. Veluti cum cerea caſtra
Deſeruit regnator Apum, ruit excita turba
Bellantum, fremituque imitatur murmura ponti,
Littoreas numero dum vincere certat arenas.
Hæc acuit ſaxo roſtrum, rapit illa roſarum
Spicula, quæ fuerant puerorum pollice vulſa,
Dum Floram populantur, & ornant tempora ſertis.
Fervet amor belli, anguſtoque in pectore regnum
Mars habet: unum omnes, pennis per mutua nexis,
Excipiunt dorſo regem, gaudentque ſuperbo
Pondere. Sic lateri Ducis hæret Martia proles
Moſchorum: multis hic millibus imminet ore
Fulmineo, ſpiratque oculis minitantibus ignem.
Vadimus, o ſocii, ad palmas: aſſueta triumphis
Arma manu fugiunt, properantque haurire cruorem.
Ante hyemem ſub humum quàm ſol pellat, per apertum
Ferro iter irrumpam regalem victor in Urbem.
Corpora regnum adiment Nereo: atque epulata cruore
Viſtula purpureos horreſcet currere fluctus.
Interea laudum ſtimulis, & nobilis iræ
Sarmatiæ Martes exciti in prælia currunt.
Te flos militiæ cingit, generoſe Potoci,
Bello exultantem, & Divos in bella trahentem.
Laurigerâ torquens dextrâ Lubomirſcius haſtam

Evo-

Evolat: huic vivax clypei cælatur in auro
Gloria Sarmatiæ, & palmæ pinguntur Avorum.
Ductorem ſequitur centeno vulnere fulgens
Miles, in adverſo cui pectore Svecicus enſis
Hæſerat: hinc animo virtus, & mortis honoræ
Aucta ſitis. Credas æratas currere ſylvas,
Pulverulenta vorat ſonipes dum curſibus arva,
Atque attollit Eques ferratam ad ſydera cornum.
Ut contra explicuere acies Mavortia ſigna,
Sarmatiæ intonuit lævùm: furere Æthere toto
Viſa cohors bellantum, & vivæ in nubibus haſtæ.
Cyllaron at frænans, niveiſque ſuperbus in armis
Labitur e Cælo miles, cui gratia frontem
Efferat, & certat feritas augere decorem.
Seſe infert medium Lechis, atque ora reſolvens;
Virtutem his acuit dictis, pugnamque laceſſit.
Magnanimi Heroes, quorum victoria plauſus
Expectat Superûm, nam bella agitatis Olympi,
Me Duce, communes generosè irrumpite in hoſtes,
Sit metuiſſe nefas, addit dum cauſa vigorem,
Et conjurati veniunt ad prælia Divi.
In partes, Caſimire, tuas en advolo, qui me
Moribus, imperioque refers, ut nomine, Ductor.
Nec novus accedo caſtris: me ſigna movente,
Æthereas addente acies, jam Patria quarto,
Illuſtres animæ, vidit vos vincere Luſtro.
Sydereus miles, qui Svecica diffidit arma,
Erexitque cadaveribus juga, ſanguine fluctus
Explicuit, poſtque in tenues evanuit auras,
Ille ego ſum. Fruſtra Odryſium feralis Enyo
Impulerat Regem, vireſque Orientis in arma.
Quàm diſpar belli facies! nam Thracibus octo
Sarmata par unus belli diſcrimen inibat,
Vix numerum, innumeris ſi congrederetur, habebat;
Congreſſus vicit: ſimilis fortuna moratur,
Moſche, tuas acies, cladem quibus aſtra minantur.
His dictis accenſi animi, ſitis aucta cruoris,
Spes hilarat pugnam, quam, Cælo authore, capeſſunt;
Ilicet intonuere tubæ: volat ærea grando
Vulcani pennis: diro tormenta fragore
Luctantes vincunt nubes, excluſaque peſtis
Fulminibus certat. Sed qualis flamma triſulca,
Et nive candentes innoxia vulnerat alpes,
Devorat &, populi quò fluxerat unda, theatrum:
Sic Moſchis librata, manum fruſtrantur: in auras
Detorquent curſus, atque indignantia ſolvunt
Nubila, & occultant liventi in carcere ſolem.
At quæ Sarmaticus recluſit Jupiter, hoſtes
Excidio involvunt: cadit undique barbara turba,
It capitum nimbus, ſuppletque volatile ferrum,

Fata

Digitized by Google

Fata ferens: miles Ducibus, peditumque manipli
Agglomerantur equis, &, quod miretur Avernus,
Invideatque, neſas ictu ſoboleſcit ab uno.
Quin etiam, hoſtilis vibrat quà machina plumbum,
Ludibrium aurarum, Lechus collineat ictus,
Ora premens fruſtra minitantia mobilis Ætnæ.
Hæc inter pulcher noſtris Mars ludit in armis:
Lunatæ perſtant acies, & ſole recepto
Ingeminant clypei lucem. Sed ubi ignea tandem
Tempeſtas, belli facies & cæca quievit,
Vulneris ardet amor, premit ævi prodiga virtus
Pulvereum campum, propiuſque in viſcera lethum
Hoſtibus importat. Protectus corpora ferro
Sarmata cornipedem flectit: lethalis arundo,
Cuſpide præfixa, manibus riget, & ruit acres
Ad terram Moſchos: adverſo conditur ore,
Haud unquam dextram illudens, iramque moventis.
Sed nihil hoſtili ſtringit de corpore Moſchus,
Inſultatque fremens clypeis. Fert Lechicus umbo
Ramoſam ſylvam, qua mole ſiniſtra ſuperbit,
Et ſe protegit ereptis ex hoſte trophæis.
Ut manibus fugere haſtæ, truncique volantes
Aſtra ſalutarunt, falcatus ſtringitur enſis:
Agmina miſcentur: pede pes, umbonibus umbo,
Virque viro. Sed enim miles devotus Olympo
Ex adamante riget, fruſtra fatalia tundit
Arma chalybs: gladios Moſchus non ore recuſat,
Non tumulare ſinu: metitur ſeges horrida ferro.
Nec tot Gargaricus proſternit meſſor ariſtas,
Grandine nec tanta Rhodopen nimboſus Orion
Verberat, exanimes quot Sarmata trudit ad Orcum.
Exultat Libitina: labor laſſavit anilis,
Stamina quæ truncat, Lacheſim: non fila ſorores
Dædaleis formant digitis, non turbine verſant:
Licia ſcindendi labor omnibus imminet unus,
Immiſcetque manus operi gaviſa Megæra.
Arma viris permixta ruunt: tremit horrida tellus
Montibus impoſitis, & fluctuat unda cruoris.
Dum turpi Mavors epulatus ſanguine fumat,
Et Cælo pugnans tot cædibus ira triumphat,
Nox ruit, & nigris tellurem amplectitur alis.
Tingere cur ponto properaſti, Phœbe, quadrigam,
Cum luce abrumpens curſum victricibus armis?
Debueras fræno rapidos cohibere jugales
Spectator pugnæ, & jaculis defigere Moſchos.
Ceu quondam Iſacidum ductor, pugnantibus aſtris,
Merſit Amorrhæo ſqualentes ſanguine campos,
Hæſit equis palmas mirantibus occiduus ſol.
Blandus ad hæc riſit Phœbus, meque increpat ultro.
Invida nox victis ſolatia cladis ademit,

Ne

Ne dextrâ heroum caderent, & vulnere pulchro.
Conficient illos inopi jejunia tabe,
Durior aut letho ſors franget; namque catenis
Uſti vile latus ſervitum Thracibus ibunt.
Cæſorum o quoties optabit fata ſuperſtes!
   Sceremet ereptas Marti ſub ſigna cohortes
Advocat, ac tenebris protectus noctis opacæ,
Caſtra locat, valloque tegit trepidantia corda.
Inſtant ardentes operi, timor urget anhelus:
Circinat hic gyro ſpatium, deſcripta coercent
Clivo alii loca: pars creta ſolidare tenaci,
Sylvani ſpoliare domum pars altera certat,
Mugit enim prope caſtra nemus. Dein curribus armant
Belligeris frontes, incendia vana vomentes.
Quæ ſimul ac hoſti patuerunt ſole renato,
Haud ſeſe premit ira, & palmæ animoſa voluntas
Irruere in trepidos ambit. Velut arduus Æton
Puniceis invecta rotis cum diſpulit umbras
Aurora, & dubia luſtravit culmina luce,
Stare loco neſcit, crinem quatit, & pede nubes
Creber agit pulſans, roſeaſque injuſſus habenas
Implicat, & luctantem e naribus egerit ignem.
Ardet enim volucres agitare per aera currus,
Ferre diem terris, radiiſque retexere Cælum.
Sed præſtat rabiem compeſcere; namque morantes
Armabunt in caſtra famem, cogentque catenas
Exoptare, atque inſtar habebunt fata triumphi.
Ergo innixi haſtis ſtant circùm caſtra frementes,
Portarumque aditus denſo cuſtode coronant.
Non unquam inſeſſa cedunt ſtatione: per herbam
Acclines clypeis, umbrati caſſide crines,
Dum vigilant alii, carpunt fugitiva ſoporis
Munera, ne trepidus vallo ſeſe explicet hoſtis.
   Atque aliquis primam ante aciem ſic intonat ore,
Inſultans captis, riſuque irritat amaro.
Nec pudor eſt, gentem innumeram, tot fulmina Martis,
Obſidione premi, patuloque in carcere claudi?
At vix Perſarum tot Cyrus in arma phalanges
Impulit, & ratibus qui cælans æquora Nereo
Vincla reluctanti impoſuit. Sic Moſchua vincit?
Sic bello petitur Cracovia? Bruma recurrit,
Ducere regali quam debes miles in urbe,
Nec properas? Fluat in naves, quæ ſibilat arbor,
Velificetur ager ſociorum ſanguine inundans.
Turpius haud quicquam luſtravit lampade Titan,
Millia bellantum ſi ſeptuaginta tuentur
Indecorem vallo vitam. Licet hæſerit antro
Caudino Latium, Samniſque minantia Cælo
Per juga diſpoſitus frænarit legibus hoſtem:
Congreſſa eſt Romæ natura; volare revulſi

Nam colles renuunt, portaſque recludere valles,
Æquora camporum hic facili vos tramite ducent,
Ite alacres, ferroque viam protendite; nulli
Luctandum, niſi quem fecere cadavera, colli.
Talia jactanti gemitus aſſultat imago,
Mors trepidis ignava placet: quibus ira timorem,
Et mentem furor abripuit, facto impete, vallum
Reſcindunt, claro optantes occumbere fato.
Stat contra obnixus, certus non cedere callem
Sarmata, & exceptum telo latus haurit adacto.
Profuit hic fervor captis, nam ſtragis acervi
Defendunt alto metuentem carcere turbam.
Sed jam Tænareis e faucibus exit in auras
Dira Fames, furiis comitata, & funera vibrans
Terrifico vultu, ſceptrumque in caſtra capeſſit.
Poſtquam abſumpta Ceres, quas bucula dente ſuperbo
Attondet, renuitque herbas, tibi pabula, miles,
Dulcia ſufficiunt: angit ſitis arida fauces,
Cœnoſus galeâ bibitur Neptunus: & unda,
Omnibus unda patens, hic magno venditur auro.
Emoritur bellator equus, Dominique vorantem
Ingluviem crudus compeſcit: Maſſica vincit
Vina cruor. Dapibus mox raptis, aſpera edendi
Igneſcit rabies, & morſu viſcera torquet.
Umbræ, pallentes umbræ, ſimulachra virorum
Lurida, procumbunt optatæ pabula mortis.
Et vos, hoſtilis dextræ quos dona coegit
Implorare fames, ventri dum grata profundo
Ingeritis vitæ ſolatia, lethifer horror
Perfundit: miſeros mors pallida paſcitur artus,
Faucibus ac dulces epulæ luctantibus hærent,
Collectamque ſitim recreant dum munera Bacchi,
Ambroſio mortem hauritis cratere natantem.
Tum fracti cecidere animi: Dux ipſe, triumphis
Enumerans annos, & ſpe nova regna potitus,
Deliciumque ſui Regis, terrorque Trionum,
Victoris ruit ante pedes: vexilla ſuperbas
Allambunt plantas, manibus fugit aureus enſis,
Servitii pignus. Quo poſtquam bellicus ardor
Abjecto periit, mœſti glomerantur in unum,
Dejecti vultum, ſocios & lumine quærunt
Attonito, inſultantque Duci, & ferale tuentur
Exitii cauſam, ac fremitu promiſſa repoſcunt.
Haud aliter cœcis ſcopulis alliſa carina
Triſtes relliquias inopi dum liquit in alga,
Naufraga turba truci defigit luce magiſtrum,
Qui, Boream irridens, nigro ſe credere ponto
Suaſit ovans, primuſque ratem de littore ſolvit.
Sarmata dum trepidis vultu blanditur amico,
(Scilicet expletur, quæ nobilis ira ſuperbos

Vidit

Digitized by Google

Vidit ſubjectos, pulchrumque eſt parcere capto,)
Barbara gens, Lechis juncta auxiliaribus armis,
Sicut apum turbæ ſe crabro immiſcuit aſper,
Evomit ultrices in Moſchos Numinis iras.
Hac fortuna tenus luſit; nam ſæva minantes
Fulmineo terrent gladio, maniciſque coercent
Imbelles dextras, Thracum quas remus in unda
Lentandus manet, aut ſervilia penſa trahenda.
Nec lachrymæ, aut valuere preces: non aſtra querelis
Pulſata, & quæ ſpondebat data dextera pacem,
Quin etiam fruſtra indomitos frænare Potocius
Aggreditur: Victor pro capto ſupplicat hoſte.

Canitiem lachrymis fœdans, atque ora verenda
Sceremet ardentes oculos ad ſydera tollit;
Namque triumphales conſtringunt vincula palmas,
Et cui nunc, inquit, ſorti me fata reſervant,
Cum placito ſervire negant mea ſceptra Tyranno?
Mancipio invidit fortuna: onerata catenis
Sarmatiæ Regis traxiſſet dextra quadrigas,
Exitiique libens noſtri ſimulachra rotaſſem.
Muneris in partem Lechorum fræna repoſco,
Quorum Relligio vix pugnat, & inclyta virtus,
Bellorumque decus pariet ſolatia victo,
Barbarus at ſceptro aſſuetam ſine vindice dextram
Vinxerit ignavus! Nunc altè vulnera tangunt:
Execror antiquas laurus, & munera fortis
Infidæ, &, qui torquetis mea corda, triumphos.
Heu quæ me vitæ ſtimulavit dira voluptas,
Ut laqueos emerem poſitis inglorius armis!
Vos o fœlices umbræ, cineresque meorum,
Fortia queis vitæ fregerunt vulnera nexus,
Barbare, ſi meritum dederunt tibi Tartara nomen,
Tænareos auge fratres: in me enſe recurvo
Irrue, & optantem demitte in Tartara prædam.
Vel tu ſydereo, CASIMIRE, interfice telo,
Haud fruſtra exitium, fateor, mihi triſte minatus.
Talibus oranti vocem dolor intercludit.

Exere victricem, generoſa Polonia, frontem,
Quam cingunt emptæ profuſo ſanguine laurus.
Conjurata tuum ſequitur victoria Martem:
Palmarum ex una denſiſſima pullulat arbor.
Millia Moſchorum dum ſeptuaginta Potocius
Fulminat, interea bello Lithuania fervens,
Te, Sapieha, Ducem ſequitur, cui tempora circùm
Barbarico ſerpit laurus nutrita cruore.
Moſchua fatali rurſus dat colla ſecuri,
Et regnata olim innumeris premit arva ſepulchris.
Quis te, Czarnieci, ſileat, quem Svecica fractæ
Hæreſis hydra tremit, numeras qui prælia palmis?
Pergite Magnanimi Heroes, quos horret Avernus,

Perfidiæque lues. Non jam caput altius effert,
Vulnere fœcundo rorans, capitumque feraci:
Irruit in Monſtrum Lechus, ſylvâquæ renaſcens
Abſcidit arboreâ caput: indignata rebellem
Perfidia impegit Svecorum rupibus enſem.
Tuque adeo, totus cui votis militàt Orbis,
Et Cælum, Caſimire, novos meditare triumphos.
Auroram quate: Biſtoniæ jam cornua Lunæ
Uladislaus fregit: te gloria fratris
Solicitis ambit pennis, te ſæva Propontis,
Et victi metuunt Thraces: trepidantibus inſta.
Romanæ Fidei fuit olim Sarmata Vallum:
Nunc etiam hoſtiles, ceu Fulmen, diruet Urbes.

In

Digitized by Google

In Romanam Supplicationem inſtitutam a Clemente X. Pont. Max. Et Pacem Turcis negatam a Polonis.

Carmen Virgilii Stylo,

Dictum in Aula Maxima Collegii Romani anno 1672. a pluribus Authoris Auditoribus.

P R O L U S I O.

DUcentis Turcarum, innumeris Koſacchorum, & Scytharum millibus negata Pax a Polonis noſtram ſibi vendicat Muſam; non ſolùm enim relatæ Victoriæ, ſed & non inita Fœdera ſæpe commendationem laceſſunt. Si prodigium viſum eſt illi, qui palmam duobus tantùm Imperatoribus, ſe Judice, concedebat, quòd Annibal petiverit Pacem, prodigioſa pariter videri poteſt Magnanimitas inclytæ Gentis, quæ civilibus agitata turbis, præteritis ferè annuis exhauſta bellis, ab incredibili Barbarorum copia propemodum obruta, fœdus cum potentiſſimo hoſte ferire detrectavit. Quia verò poſt Urbem ſæpius funeſtatam infauſto nuntio Pacis ignavæ, certiores facti ſumus, quod illam perhorreſcat generoſa Polonia, poſtquam Romæ Supplicationes religioſiſſimè habitæ ſunt, iiſdem tribuimus conſilium gerendi fortiter belli, ſolutam obſidione Leopolim, ereptos a Barbarorum manibus captivos innumeros, receptas Arces plurimas, & munitiſſimas, & maximam hoſtium vim fœliciſſimè trucidatam. Cumque plura hoc anno ſcripturi carmina ſimus ad veterum Heroicorum Poetarum ſimilitudinem conformata, Virgiliani interim Styli qualecumque ſpecimen damus.

Additur Specimen Translationis, qua cæterorum quoque Auctoris Carminum Sententia non invenuſtè queat exponi Linguis a Latina diverſis, prout curandum dixi in Idea Carminis Heroici pag. 63.

Degli

DEgli Eroi di Polonia acceſo il petto
Dal famoſo valor l'inique leggi
Sdegna accettar dell'obbrobrioſa Pace.
Avvezzi a riportar trionfi, il Trace
Adoreran per Donno? E' fiſo in cuore
Di far, che paghi ſanguinoſe pene
Il nemico feroce: e invendicata
Non ſia la patria, offeſa da tempeſta
Cruda di Marte. Guerra, inclita guerra,
Chiedon fremendo. Ogni cimento d'armi,
Per atroce che ſia, può ſuperarſi
Da' Sarmati campioni: in niun ſi annida
Vergognoſo timor. Non dà ſalvezza
Col Trace altero la codarda Pace.
Ogn'un brama la guerra: all'armi, all'armi.
Udite? Ceſſi il pauroſo pianto
Dall'Europa, che adora il vero Nume.
Mentre il Leco non crolla, o Fè Latina,
Stà in piè'l tuo Baluardo. Il nero Cielo
Velaro i nembi, perche il ſol più bello
Dipoi ſembraſſe. I Zeſiri pel corſo
Or gonfian favorevoli le vele,
Perche apparve del Mare orrido il volto.
Itene allegri. Del gran Regno il pino
Per ſicuro ſentier ſen' vola al porto.
Almo Paſtor del mondo, a' Lechi impetra
Il ſoccorſo divin: mentre alle ſtelle
Indrizzi i voti, l'Armeria ſovrana
Apri a lor prò: Forze, e cuor pronto il Cielo
Dona a' guerrieri. Segui a romper l'onde
De' contraſti, o Gran Rè, da duri fati
Eſercitato. Stà teco al timone,
E ſpinge il legno Staniſlao, con cui
Hai comune la ſtirpe. Se verace
Sveglia Febo i Poeti, quella Muſa
Ch'or canta della Pace il gran diſprezzo,
Celebrerà ben preſto i tuoi trionfi.
Poiche di Camenec perduto il grido
S'udì coſtante in Roma, ſcoſſo il petto
Dal caſo acerbo, avanti i Sacri Altari
De' Criſtiani il Gran Padre, in lunghe preci
Mentre ſuol trar le notti: Per qual tuono,
Diſſe, di guerre la Sarmatia trema?
Caduto è il vallo, che sù gli alti monti
La provida natura, e l'arte accorta
Avea fondato. Or veggio da quel colle
Toſto precipitar nel cuor del Regno
Un diluvio di guerra. Onde ſanguigne
Già la Viſtola teme. Nè ſol miro
Vedove le Città, ma i ſacri Templi
Caduti a terra: Sviene il fior degli anni,

E l'in-

Digitized by Google

CARMEN.

MAgnanimos virtus incendit avita Polonos.
Bella fremit. Non ſe ſub leges Pacis iniquæ
Subdidit: Odryſios virtus aſſueta triumphis
Horreſcit dominos. Stat, pœnam ex hoſte cruentam
Sumere, & immani violatam turbine Martis
Ulciſci Patriam; fremitu bella, inclyta bella,
Certatim inclamant: nec ineluctabile tempus
Sarmatiæ eſt ullum, nec per tremefacta malignus
Corda metus cuiquam inſinuat. Cum Thrace ſuperbo
Nulla ſalus paci; bellum, te poſcimus omnes.
Auditis? pavido ſolvat ſe addicta Tonanti
Luctu Europa: Tuum Lechus ſtat, Romula, vallum,
Relligio. Nigrum velarunt æthera nimbi,
Pulchrior ut frontem poſt horrida nubila Phœbus
Exerat. Intendunt Zephyri nunc vela ſecundi,
Oceani vultus quia ſævus inhorruit. Ite,
Ite alacres. Regni fœlici it gurgite Pinus:
Civilis turbo poſuit. Contra agmina Thracum,
Maxime, divinum propera tentare, Sacerdos,
Auxilium Lechis. Armamentaria Cæli
Recludes, fauſtis oneras dum ſydera votis.
Sufficiunt pugnæ vires, animoſque volentes
Cælicolæ. Ductore Deo perrumpere fluctus
Bellorum, duris Michael exercite fatis,
Perge: gubernaclo tecum ſubit, atque Magiſter
Ipſe ratem, clarum genus a quo Principe ducis,
Stanislaus agit. Vates ſi verus Apollo
Solicitat, clarum celebrat quæ carmine Pacis
Contemptum, partos extollet Muſa Triumphos.
Erepti poſtquam Camenæci certior Urbem
Implevit rumor, mentem concuſſus acerbo
Chriſtiadum caſu Pater, ante altaria Divûm
Dum nocturna ſolet Superos in vota vocare:
Quo, dixit, tonitru bellorum Regna tremiſcunt
Sarmatiæ? Exciſum vallum, quod montibus altis
Impoſuit Natura, atque Ars munimine certo
Firmavit. Video Camenæci e colle ruentem
Diluviem belli devolvi in viſcera Regni.
Viſtula purpureas exhorret ſanguine lymphas.
Nec tantùm innumeris viduatæ civibus Urbes,
At ſacra Templa cadunt: trepidat flos integer ævi,

Par-

Digitized by Google

Partheniique chori, matrumque effæta ſenectus
Sanguineos Thracum ad vultus. Per Lechica Regna
Graſſatum quos in populos aget impetus hoſtem?
Olli quis metas palmarum ponit? In omnem
Europam dira Bizantj effuſus ab Urbe
Turbo ruet? Spe quid fruſtra lactamur inani
Sæva rati diſtare pericula? Barbarus olim
Italiam quoties ſuper irruit, omnia latè
Involvens flammis, ac ferro Regna trucidans?
Viribus an magis, ac numero, palmiſque relatis
Vandalus exarſit, quàm dira ſuperbia Thracum,
Quàm Macedo, Argivus, Scyta, quoſque coegit in unum
Innumeros populos Othomani Luna Tyranni?
Ille, velut cum lauricomo nemori ingruit ignis
Invectus Boreæ pennis incendia Regnis
Admovet. Experta Egyptus, deletaque Memphis,
Et Syriæ, quacumque rapax procurrit Orontes,
Urbes everſæ, captivaque nobilis unda
Jordanis: ſenſere Arabes, fruſtraque ſuperbi
Arſacidæ, & quas Neptunus circumfluit undis
Inſulæ Ægeo in magno: Rhodos inclyta diro
Succubuit ſceptro: cecidit pulcherrima Cyprus,
Extremum & Fidei vulnus Creta. Heu mora ſemper
Fallax bellorum nobis illuſerit? Aures
Præbet adhuc quiſquam ſpondenti fœdera Thraci,
Poſt hauſtum toties latitans ſub pace venenum?
Necdum Biſtoniæ norunt perjuria gentis,
Quæ totum (pudor) audaci ſpe devorat Orbem?
Lactamus lento vires torpore Tyranni,
Auſoniæ ut tandem galeis victricibus undas
Hauriat? Extremis animum ſervare periclis,
Solvere & impavidas, quas longa ignavia mentes
Obſidet, ex omni jamdudum fervere parte
Chriſtiadas decet. At renuunt avertere ferro,
Criminibus quos invitant. Hæc fatus, & æger
Solicitum curis animum paſcentibus Heros,
Mentis in exilium rapitur. Spectare videtur

Arcis

Digitized by Google

E l'intatte donzelle, e i vecchi imbelli
Nel rimirar del Trace il fier ſembiante.
Saccheggiata Polonia, il ſuo furore
Dove lui condurrà? Chi pon la meta
A' ſuoi trionfi? Sù l'Europa tutta
Hà da piombar il turbo di Bizanto?
A che allattarſi di fallace ſpeme,
Quaſi il periglio ſia lontano? Un tempo
Quante fiate i barbari inondaro
L'Italia, conſegnando i Regni al fuoco,
O col ferro eſtinguendoli? La forza,
O de' guarrieri il numero, o le palme
Già riportate, al Vandalo più ardire
Diedero già, di quel, ch'or diano al Trace
Il Macedone, il Greco, e tutta Scitia,
E genti ſenza numero, che inſieme
La ſua Luna adunò? Egli, qual fiamma,
Che s'appiglia di lauri a un boſco ſpinta
Dalle penne di Borea, incende i Regni.
Sallo l'Egitto, e la diſtrutta Menfi,
E di Soria, dovunque bagna Oronte,
Le Città deſolate: il sà cattiva
L'onda del bel Giordan: Gli Arabi, e indarno
Orgoglioſi gli Arſacidi: e dall'onde
Cinte dell'Ocean l'Iſole, Rodi
S'arreſe al fiero ſcettro, e gli ſoggiace
La belliſſima Cipri, e Candia, eſtrema
Ferita della Fede. Ahi che mai ſempre
Dopo un'impreſa hà da burlarci il finto
Tardar dell'altra? Tuttavia ſi preſta
L'orecchia al Trace, che inſidioſa pace
Promette, dopo haver ben tante volte
Trangugiato il velen, che ſi naſconde
Sotto il nome di Accordi? Gli ſpergiuri
Della gente Biſtonia ancor paleſi
A baſtanza non ſon, che tutto il mondo,
Ahi diſonore, con audace ſpeme
Divora? Ed allattiamo del Tiranno
Noi col lento torpor le forze orrende,
Perche giunga d'Italia a attinger l'onde
Coll'elmo vittorioſo? E' tempo omai,
Che ne' perigli eſtremi il forte petto
Si dimoſtri, e ſi rompan le catene
Della vile dimora, e d'ogni parte
I popoli fedeli ardan di ſdegno.
Ma ricuſan tener lungi coll'armi
Quei, che contra di sè pur'ogni giorno
Chiamano co' misfatti alla vendetta.
Ciò diſſe il Sacro Eroe languido e meſto
Per le cure mordaci: ed in un breve
Eſilio della mente indi è rapito.

Digitized by Google

Gli ſembra in quello di mirar'aperto
D'una Torre del Cielo il più ſegreto.
Pendon dall'alte mura immenſe chiavi,
Che ſpalancaron già l'eccelſe porte,
Onde precipitò diluvio immenſo
Sù le terre colpevoli. Con altre
Sprigiona Aſtrea dalle caverne d'Eolo
Le procelle ſdegnate. Ivi ſon gli archi,
E le ſaette, del ſuperbo Moſtro
Che rintuzzaron già l'alta follia,
Quand'egli ardito a ſollevar tumulti
Nel campo dell'Empireo, indi cadeo.
Il fulmine, ſpavento de' mortali,
Ivi ſi mira, e quell'Ariete orrendo,
Con cui talvolta Iddio dell'ampia terra
Scuote le fondamenta, e il gran Tridente,
Che ſuol ſvegliar dell'Ocean le furie.
Queſti prodigii al Vicerè Divino
Datiſi a rimirar, a così dire
Lo ſollevaro. Non indarno il Cielo
Con sì belle ſembianze il cùor mi paſce.
Augurio quinci io prendo, che dall'alto
Sian per darſici l'armi. Or con qual'arti
La Torre fulminante aprir potraſſi?
Se frequentano i Templi, e a' ſacri altari
Chiedon mercè i Mortali, e con iſcarſo
Dan riſtoro alle membra, e con vil cibo;
Della Menſa Divina, e dell'ambroſia
De gli Angeli, appagati: e da ciaſcuno,
Giuſta ſua poſſa, ſi comparte l'oro
A famelica turba. Il Cielo in lega
Con noi trarran queſt'arti incontro al Trace.
Sì diſſe, e a gli alti Templi il Sommo Padre
I popoli invitò ſenza dimora.
Solenni addobbi ornano i Sacri Altari,
I quali dalle turbe ſupplicanti
Son coronati. Al ſolito coſtume
Di bianche ſopravveſti ornato il Coro
De' minor Sacerdoti iva cantando.
Ma di viole il color meſto a' Grandi
Cardini della Fede appreſta il manto.
De' Criſtiani indi ſeguiva il Padre
Carico d'anni, ma pur verde e forte
Per proſpera vecchiaja, a quei del Cielo
Simil nel volto. Al tuo Sacrato Oſtello
Prima s'invia dell'immortal giardino
Nobile fior, Giacinto, di cui un tempo
Le forze gareggiaro con Alcide:
Della Vergine Madre un Simulacro
Di grave marmo ſopra l'acque avvezzo
A traſportare, or per un'ampio fiume

Del

Digitized by Google

Arcis ſydereæ penetralia: pariete ſummo
Immenſæ pendent Claves, quibus oſtia cæli
Recluſa ultrici terras merſère nocentes
Diluvie: quibus æoliis educit ab antris
Non rarò ſcelerum vindex Aſtræa procellas.
Hic arcus, ac tela rigent, queis dira ſuperbi
Fracta olim Monſtri vecordia, caſtra tumultu
Quod Superûm miſcere auſum ruit æthere præceps.
Humanæ terror mentis de fornice pendent
Fulmina: quoque Deus terræ quatit, & maris alti
Fundamenta, Aries, ponduſque immane Tridentis.
Divino hæc dum Proregi miranda videntur:
Haud, reor, incaſſum nos, dixit, imagine paſcunt
Tam fauſta Superi; demiſſa ſed, auguror, axe
Arma dabunt. Qua fulmineam recludere Turrim
Arte datur? Si Templa adeant, veniamque per aras
Criminis expoſcant homines, & Fruge refecti
Divina, tenui foveant labentia membra,
Et vili dape: ſi demum non parcus egenti
Suppeditet quiſquis, quæ cuique eſt copia, gazas.
Hæc conjuratos rapient in prælia Divos.
Dixit, & alta vocat populos in templa Sacerdos.
Haud mora: Solenni fulgent altaria cultu,
Suppliciter triſti cœtu quæ turba coronat.
Incedens albo in morem velatur amictu
Myſtarum chorus; at violæ dant triſtia magnis
Patribus indumenta, Fides queis nititur alma
Cardinibus: tum Chriſtiadum Pater optimus ævo
Obſitus, at viridis decoratus honore ſenectæ,
Cælicolis ibat ſimilis. Tua templa petuntur
Syderei, Hyacinthe, horti flos nobilis: Olim
Herculeis idem fortiſſime viribus heros,
Marmoream ſuetus Mariam tumidum ſuper amnem

Digitized by Google

Deſerre, Odryſii per flumina dira cruoris
Vexillum ſiſtas Camenæci in turre Polonum.
Tum Stanislai ſupplex procedit ad aras
Relligioſa cohors Procerum: mirantur euntes
Romulidæ, externique viri, diſcrimina tanti
Quos belli excierant, placandaque ſydera fletu.
At dum Lechorum Patris ſacra Templa Sabæo
Thure calent, hæc præpetibus ſuper æthera pennis
Verba volant: Auſus truculento obſiſtere Regi,
Numinis & caſta pro lege laceſſere lethum,
Da, Pater alme, tuos audere in prælia cives:
Fortibus ipſe animis illabere: frange Tyranni
Cornua Biſtonii. Divinæ Auguſta Parentis
Perpetuo fluxu populus dein Templa frequentat,
Dædaleæ ſuper Exquilii quæ culmina Montis
Deſcripſere Nives, Nemeæi ex axe Leonis
Dum furor urebat terram. Velut agmina mille
Terribilis quæ dicta Erebo, Divina Virago, es,
Auxilio Lechos firma: Regina, tuorum
Aligerûm lectas acies ad prælia mitte.
Si pedibus ſubjecta tuis innoxia Luna
Pingitur, Odryſii diſcerpe inſignia Regis,
Argento pingit quæ Cynthia ſæva maligno.
Nec tua non adeunt Laterani Templa Quirites,
Phoſphore Divini Solis: Si purior unda
Jordanis fluxit, tua cum ſacra dextera fonte
Sydereas laviſſe nives eſt juſſa: cruore
Tinge lacus, fluvioſque, atque æquora Balthica Thracum.
Tuque adeo, dilecte Deo, quem Numinis almus
Infuſum gremio ſopor irrigat, indole quamvis
Spirares blanda cæleſtem ſemper amorem,
A Tonitru partum ſi te quandoque Magiſter
Non fruſtra dixit, nunc Fulminis indue vultus,
Biſtoniis latè ſpargens incendia caſtris.
At Vaticani lambit quà ſydera moles,
Uberibus lachrymis cineres pia turba beatos
Dum rigat: Exoriare, inquit, ſacer ignis ab urna,

Chri-

Digitized by Google

Del ſangue Odriſio lo ſtendardo all'alta
Torre di Camenec porta de' Lechi.
Indi l'inclita ſchiera alla magione
Sen' và di Stanislao. Turba infinita
Di Romani, e di Eſterni, quella meſta,
E Sacra pompa ammira, per sì grave
Periglio d'armi, e per placar le ſtelle
Col pianto, ivi concorſa. Mentre il Tempio
Del Padre de' Polacchi dal Sabeo
Incenſo è riſcaldato, queſte voci
Volano al Ciel ſopra veloci penne.
O tu, che ardiſti al Rè feroce il petto
Adamantino opporre, e per la caſta
Legge Divina provocar la morte,
Or, gran Padre, concedi alla tua Gente
Maſchio valor: negli animi guerrieri
Tu medeſmo diſcendi; e tu le corna
Al Tiranno Ottoman rintuzza, o rompi.
Della Madre di Dio l'Auguſta Reggia
Con onde non ceſſanti poi frequenta
Il popolo divoto, in sù l'Eſquilio
Già diſegnata da dedalee nevi,
Del Nemeeo Leon mentre la rabbia
Incendeva la terra. Come mille
Squadre all'Averno formidabil Diva,
Dà valor' a' Polacchi. Alma Regina,
L'alate ſchiere tue lor pronta indrizza.
Se ſi dipinge l'innocente Luna
Sotto le piante tue, ſquarcia il Veſſillo
Dell'Odriſio Signor, che coloriſce
Cintia crudel col ſuo maligno argento.
Anche al tuo Tempio il popolo Quirino
Viene ſul Lateran, del Sol Divino
Stella foriera. Se più chiara l'onda
Scorſe del bel Giordan, quando le nevi
Celeſtiali col Sacrato fonte
Lavaſti, or tingi di purpureo ſmalto
Col ſangue ſcorſo dalle Tracie vene
I laghi, i fiumi, e il Baltico Oceano.
E tu diletto a Dio, che già nel grembo
Del tuo Signor da fortunato ſonno
Foſti irrigato, benche ſempre amore
L'indole tua ſpiraſſe, ſe del Tuono
Il tuo Divin Maeſtro non indarno
Già Figlio ti chiamò, prendi or ſembianza
Di Fulmine, e de' Biſtoni feroci
Alle tende guerriere apporta incendio.
Ma là dove alle ſtelle eccelſa mole
Inalza il Vatican, mentre la turba
Inaffia quelle ceneri beate
Col pianto. Naſca, diſſe, una pietoſa

Fiam-

Digitized by Google

Fiamma dall'Urna, che de' Rè Criſtiani
Accenda il petto. O' Santo Uſcier del Cielo,
Cuſtode della Fede, inclita Pietra,
Sopra la qual ripoſa il Divin Tempio,
Invendicato diroccarſi il Vallo
Della Fede ſopporti, mentre i Turchi
Entran nella Sarmazia? A Stanislao
Di nuovo Roma oſſequioſa torna;
E tè, che di Polonia il Padre antico
Col nome rinovelli, o Giovinetto,
Adoran di Quirin sù l'alto monte
Nel Tempio de' Panfilii, che raſſembra
Pel Celeſte fulgor de' marmi, e d'auro
Diſceſa dall'Empireo una Colonia.
Quà del popol concorre onda frequente,
Quà i Padri Porporati: e chi del Sacro
Mondo governa l'adorato Scettro,
Avanti il Sacro Altare il Gran Clemente
Proſtrato diſſe: O dell'immenſo Regno
Altra ſperanza, e della tua Sarmazia,
Splendor celeſte, Koska, ſe d'Arabia
Co' primi doni io profumai 'l tuo Tempio,
A' miei voti acconſenti, e alla tua patria
Preſta pronto il ſoccorſo: ſe il tuo ſangue,
E quel del chiaro Rè da un fonte iſteſſo
Diſcende, tien dalle Città de' Lechi
Lungi le Tracie fiamme, o le ſoffoga.
Te non diſpregieran, quaſi che ſia
Povero di valor, l'Odriſie ſquadre:
Perche ſe bene in sù'l bel fior degli anni
Ito del Rè Sovrano all'alte inſegne,
Parve, che degl'illuſtri avoli tuoi
Non curaſſi le glorie inclite in armi;
Pur non ſol con gli Angelici coſtumi
Abbatteſti l'Inferno; ma del Trace
Fur lo ſpavento l'armi tue fatali.
Per te tremaro i cani della Scitia,
Per te i Coſacchi, orrido nome. Un tempo
Dal monte di Cocimo, invitto Eroe,
Precipitaſti innumerabil'oſte
Dell'orgoglioſo Oſman', e del lor Sangue
Arricchiſti le valli. Tu lo Scudo
Sei di Sarmazia, tu l'Aſta, e l'orrendo
Fulmine de gli Odriſii, or le ſaette
Nelle lor vene inebria. Di tua deſtra
Degno ſia il dardo, onde ferito impari
A por ſoſſopra i battezzati regni
Il famoſo Viſir. Così pregava
Il Sacro Prence da Divino ſpirto
Acceſo il petto, quando a un tratto appare
Del celeſte Garzon'il bel ſembiante

Da

Chriſtiadum incendas qui fortia pectora Regum.
Claviger Aſtrorum, Fidei cui credita cura eſt,
Te ſuper hærentis cuſtos fidiſſime Templi,
Everti vallum Fidei patieris inultus,
Sarmatiæ irrumpunt quando confinia Turcæ?
Dein Stanislai ſacra limina rurſus adorant
Romulidæ, & Lechi referentem nomina Patris
Te quærunt, Juvenis, ſublimi in colle Quirini
Pamphilio in Templo, quod lapſa Colonia Cælo
Sydereo lapidum fulgore videtur, & auri.
Huc populi fluit unda: Patres huc ſupplice cultu
Purpurei: Sacer ipſe Orbis Moderator ad aras
Procumbens: Magni, dixit, ſpes altera Regni,
Sarmatiæ lux, Koſtka, tuæ, ſi primus acerram
Implevi gazis Arabum, tibi debita honoris
Munera perſolvens, noſtris bonus annue votis,
Et patriæ ſuccurre tuæ. Si ſanguine clarum
Contingis Regem, Lechorum ex urbibus ignes
Threicios prohibe. Non te virtutis egentem
Odryſiæ ſpernent acies, namque alma Tonantis
Signa licet flore ætatis vernante ſequutus
Belligeras viſus laudes ſpreviſſe tuorum,
Non tamen innocuis tantùm ſubvertis Avernum
Moribus, at ſuperas Thraces fatalibus armis.
Te Scythiæ tremuere canes, te dira, Coſàcchi,
Nomina: Cocimi de monte, invicte, phalangas
Proruis innumeras, & ditas ſanguine valles
Barbarico. Tu Sauromatis tutiſſimus umbo,
Tu Lechis haſta, & fulmen, nunc tela ſuperbos
In Turcas jaculare: tuâ Viſirius ictus
Dextrâ Chriſtiadum diſcat ſubvertere Regna.
Talibus orabat propiori Numine pectus
Afflatus Princeps: mutari viſa repentè
Syderei facies Juvenis; nec riſus in ore,

Nec

Nec ludunt Charites: ſpirant ardentia Martem
Lumina; ſed feritas auget formoſa decorem.
Auratum tremulo vibratur fornice Templum;
Ignea rima oculos perſtringit: nubibus aer
Cingitur, & cælum trepido tonat omne fragore.
Emicat, atque hilaris non abnuit omina Princeps,
Inſtauratque diem votis, cæleſtiaque urget
Agmina in excidium Thracum. Veſtigia magni
Romulidæ Patris inſiſtunt, precibuſque laborant
Placare averſum Numen, fuſique verendos
Ante pedes Myſtæ ſua delent crimina fletu,
Seque reos dicunt, purgata & labe latentem
Sydereum excipiunt Cereris ſub imagine Regem.
Cæleſti Ambroſiâ paſti non munera libant
Aeris, aut Sylvæ, ſed quæ leviora dat amnis,
Et pelagus, quæque Agricolæ juſtiſſima tellus
Præbet inempta olera: atque ſibi quæ denegat, ultro
Relligioſa Deo largitur dextera egenti,
Pauperis in gremium turbæ dum prodigit aurum.
Ter quinos operata dies gens omnis ad aras:
Cum jubar extulerat ſacris addicta ſupremum
Aurora, en Urbem melioris nuntia fati
Fama ſubit: Proceres ad Regia ſigna frequentes
Confluere: expulſos obſeſſa Thracas ab Urbe,
Magnanimus fugit nemorum cui nomina Princeps;
Innumera e vinclis raptorum erepta Scytharum
Agmina: barbaricas merſas Acheronte phalanges,
Admonet. In melius porrò quis diffita corda
Rettulit, ac ſtimulis acuit non mollibus iras
In Turcas, Martiſque animos incendit amore?
Sydereis alis tua ſcilicet, alme Quiritum,
Et Mundi Pater, in cælum pia vota volarunt.
Aſt aliam rerum ſeriem, mutataque Regni
Fata, & cauſarum magnos evolvere nexus,
Calliope, aggredere, in Regum conclavia namque
Te juvat, & Martis pugnas intrare cruentas.
Turbidus ut primùm Lechi confinia Regni
Turcarum Princeps irrupit, & arce potitus
Aeria, peditum nimbos, equitumque per agros
Podoliæ ſparſit: veluti cum candidus annum

Cælo

Digitized by Google

Da sè diverſo. Non più ſcherza il riſo
Nella ſua bocca, e fuggon dalle guancie
Le Grazie allegre: gli occhi ſpiran Marte;
Pur la bella ferocia anche è gradita.
Trema l'aurato Tempio: da baleni
L'aria è diviſa, e da improviſe nubi
Tutta ingombrata, e per gli ſpeſſi tuoni
Tutto riſuona minacciante il Cielo.
Si ſolleva da terra, e non ricuſa
L'Ottimo Padre i fortunati auguri.
Rinnova le preghiere, e alla ruina
De' Traci affretta l'immortali ſchiere.
Premon di lui le venerabil'orme
I pietoſi Romani, e di placare
Solleciti co' voti il Nume offeſo,
De' Miniſtri di Dio proſteſi a' piedi
Lavan col pianto le lor colpe: e poi
Ricevon il Signor ſotto ſembianza
Di Cerere naſcoſto: e paſcolati
Della Celeſte ambroſia, a ſchivo i doni
Hanno dell'aria, e delle ſelve, e ſolo
Accettan quelli, che lor porge il fiume,
E'l mare: e l'erbe, che corteſe il ſuolo
Dona all'agricoltor. Quel, che a sè niega,
La religioſa man conſacra a Dio,
Verſando de' mendici oro nel ſeno.
Trè volte cinque furo i ſacri giorni
Dedicati a gli altari: e appena avea
L'ultima Aurora aperto il varco al Sole,
Quando ecco entrar l'allegra Fama in Roma,
Che miglior ſorti avviſa: Agli Stendardi
Correr frequenti i Satrapi del Regno:
Eſſer dalla Città cacciati i Traci,
Cui diè l'inclito nome il Rè de' boſchi:
Innumerabil turba da' legami
Sciolta de' ladri Sciti: e in Acheronte
Le barbare falangi eſſer ſepolte.
Or chì cambiò gli affetti, e generoſa
Acceſe l'ira contro i Traci? Al Cielo
Volar tuoi voti, Almo Paſtor del Mondo.
Ma la cambiata ſerie, e del gran Regno
I fati favorevoli, e di loro
Le ſublimi cagioni imprendi meco,
Calliope, a paleſar. Tu ne' ſegreti
Gabinetti de' Regi, e nelle pugne
Sanguinoſe di Marte uſi volare.
Poiche il Tiranno Tracio entro i confini
Penetrò di Polonia, e impadronito
Dell'aerea fortezza, a nembi ſparſe
Pedoni, e Cavalier ne' vaſti campi
Della Podolia: Come quando il Toro

Apre l'anno nel Ciel, cade un torrente
Dal monte, gonfio per le pioggie, e carco
Di nevi ſciolte, d'ogn'intorno meſti
Fuggon gli Agricoltori: Il ſuo viaggio
Dal barbarico ſtuol, cui niun s'oppone,
E' proſeguito. Spiega in sù la ſera
Peſanti d'oro, e d'orientali perle
All'Odriſio Tiranno i padiglioni.
Queſti ſuperbo nell'altrui Reame
Entra con faſto, e a tua ruina aſpira,
Generoſa Leopoli. Il ſentiero
Miſura colle ſtragi, e omai alle mura
Formidabil ſi moſtra. D'ogni parte
La circonda, e ogni ſorza uſa, ed ogn'arte:
Con orribil fragor tuonan ben cento
Infernali bombarde. I Cittadini
Antepongono al barbaro ſervaggio
Ogni pena più dura. Il gran valore
De' difenſori il numero raddoppia:
La ſua deſtra a ciaſcun'è una falange.
L'alte muraglia circondaro: e a gara
Con fuochi da lanciar, e colle penne
Di polvere mortal, di nitro acceſo,
Tengon lungi i nemici. Eſſi ad aprire
Sotto dell'alta terra atre ſpelonche
S'affrettano, e le ſtivano di zolfo:
Indi per chiuder la naſcoſta peſte
Fabbricavan pareti, perche il fuoco
Serpeggiando ne' ciechi naſcondigli,
Avido d'uſcir fuori ogni riparo
Rompa di mura, e mandi al Ciel le torri.
Mentre queſti apparecchi un forte Eroe
Dalla Città rimira, arde di ſdegno:
E, come mandra vil, diſſe, quì chiuſi
Vogliam perir? Dell'infingarda vita
A chi non giova il vergognoſo avanzo,
Meco ſortir dall'aſſediate porte
Oſi volando: Quella mole orrenda
Guaſtar'agogno, che il nemico fiero
Omai conduce a fin'a' noſtri danni:
E donar a gli artefici avernali
Non ſperato ſepolcro. In un s'uniro
Giovani valoroſi, a cui la gloria
Feriſce il fianco con illuſtre ſprone.
Venti di cimentarſi hanno ardimento'
Contra gente infinita. Come un nembo
Uſciti fuor, corron là dove ferve
L'opra de' zappatori, e una gran lampa
Ciaſcun vi getta. L'infelice fine,
Che alla Città deſtina, or cade ſopra
Il feroce nemico: A un tratto acceſo

S'alza

Digitized by Google

Cælo aperit Taurus, ruit alto e culmine torrens,
Multo imbre, & nivium tumidus tabe: undique mœſti
Agricolæ dant terga fugæ. Quem nulla morantur
Agmina, Biſtonius tranquillo exercitus urget
Curſu iter. Odryſio ſub noctem aurata Tyranno
Explicat, & ſatura Eois tentoria gemmis.
Ille tumens animis Regno ſeſe arduus infert,
Excidiumque tuum, generoſa Leopolis, ambit.
Innumeris emenſus iter jam cladibus, Urbi
Formidandus adeſt: circùm undique partibus inſtat
Omnibus, ac totis renuentem viribus urget.
Horribili centum reboant tormenta fragore,
Exitiumque vomunt: ſtant obnixi omnia contra
Dura pati cives: numerum fortiſſima virtus
Auget, & eſt ſua dextera cuilibet agminis inſtar.
Ardua murorum rarâ cinxere coronâ:
Miſſilibus flammis, nitrati & pulveris alis
Barbaricas arcent acies. Spelæa ſub alta
Tellure effodiunt hoſtes, & ſulphure glauco
Certatim ſaturant: dein fornice claudere peſtem
Aggreſſi, ut ſerpens per cœca latibula flamma,
In ſublime viam dum quærit, diruta pandat
Mœnia, & excuſſas jaculetur in æthera turres.
Igneſcunt iræ ſpectanti talia Lecho:
Et, Pecudum ritu, ſocii, moriemur inulti
Incluſi caveâ? dixit. Contemptor inertis
Si quiſquam eſt lucis, nobiſcum erumpere portis
Audeat. Inferna quam ſub teſtudine adornat
Hoſtis atrox, ardent animi corrumpere molem,
Atque inſperato artifices donare ſepulchro.
Ilicet agglomerant ſeſe, queis gloria calcar
Infigit lateri, Juvenes, fortiſſima corda:
Biſdeni innumeros audent contendere contra.
Effuſi nimbo ſimiles, quà plurima fervet
Foſſorum manus, incumbunt, & lampada quiſquis
Conjicit immanem: obſeſſæ quæ deſtinat Urbi,
Hoſtis fata ſubit: ſerpunt incendia latè,

Et quoniam nondum muros effoſſa ſuburget
Semita, perniciem non infert flamma Polonis;
Barbara ſed Thracum rapit agmina: plurima vento
Delata inſiluit caſtris: præludit Averni,
Millia multa neci demittens, ignibus ignis.
Turcarum ductor ſpe tandem excuſſus inani,
Caſtra movet, multùm incuſans infida Memetis
Numina, præſidiumque ſuæ ſuccedit ad Arcis,
Quæ celſo ſubjecta tegit tentoria colle
Podoliæ ad fines. Meritum cui Tartara nomen
Finxerunt, Scytha bacchari per viſcera Regni
Audet adhuc: Campis atrum volat agmen apertis,
Longævoſque ſenes, trepidas atque undique matres,
Heu matres, miſeraſque nurus, ſponſoque puellas
Abripit intactas: mœſtis ululatibus arva
Reſponſant, valleſque cavæ, ſylvæque gementes.
Heu fruſtra inviſam cupiunt abrumpere lucem,
Nec Scyticis, probrum! ſervitum matribus ire.
Migrantes cernant, patriâque impunè ruentes
Sauromatæ? Hic matris, captivæ hic conjugis irâ,
Undique collecti invadunt; cedentibus inſtant
A tergo taciti. Per ſylvarum invia lentus
Incedit, turba imbelli gravis hoſtis, & auro.
Ut nebulâ campos cum plumbeus obruit Auſter,
Carpit iter tacitus, crines & rore viator
Nocturno madidus ſuſpirat lumina ſolis:
Sarmata ſic denſæ per vaſta ſilentia ſylvæ
Urget iter: meritas agit ardor ſumere pœnas,
Et Scythicam ferro jamdudum excindere gentem.
Pulveream ut primùm nubem, miſerabile vulgus,
Captivi hauſerunt, fulgentiaque arma per umbras
Attonitis videre oculis, præcordia motu
Lætitia ingenti pulſat: ſua quiſque peroſus
Vincula cuſtodem votis occidit amarum.
Aſt animoſa phalanx, ceu fulmen nube triſulcum,
Pulveris e nimbo exiliens tremefacta Scytharum

Digitized by Google

S'alza l'incendio, e perche aperto ancora
Non arriva il ſentier ſotto le mura,
Non oltraggia i Polacchi; ma le ſquadre
Barbare involge, e con veloci penne
Spinto da' venti, a' padiglioni arriva.
Della fiamma infernal preludio è quella,
Che tanti vi precipita. Il Tirànno
Caduto al fin dalla ſuperba ſpeme,
Ritira il campo, e beſtemmiando indarno
Il ſuo Macon, della ſublime rocca
Torna a' ripari, che gli appreſta alloggio
Di Podolia a' confini. Intanto ardiſce
Pur tuttavia di ſaccheggiar'il Regno
Lo Scita, a cui dier confacevol nome
Del Tartaro le Furie. Il crudo ſtuolo
Vola pe'i campi, e le tremanti madri,
E i vecchi imbelli, e l'infelici nuore,
E l'intatte fanciulle al caro ſpoſo,
Crudele, invola. A gli urli le campagne
Riſpondon meſte, e l'incavate valli,
E le ſelve piangenti. Ahi braman toſto
Romper'i lacci dell'odioſa vita,
Nè alle madri di Scitia, o diſonore,
Preſtar vil ſervitù. Senza vendetta
Se le vedran rapir'i generoſi
Diſcendenti da Lecho? Per lo ſdegno
Della madre talun, quel della ſpoſa
Imprigionata, s'adunaro a un tratto:
Cheti van dietro a' fuggitivi. Gravi
Per la turba cattiva, e veſti, ed oro
Pel più cupo de' boſchi ivan gli Sciti.
Non altrimenti, che ſe l'Auſtro i monti
Copre di nebbia, e involge i larghi campi
In caligine cieca, il paſſeggiere
Mutolo ſiegue il ſuo viaggio, e i crini
Inzuppato, ſoſpira i rai del Sole:
Il Polacco pe'l vaſto ermo ſilenzio
Della ſpeſſa boſcaglia affretta il corſo:
A far pagar le meritate pene
Al fiero Scita il ſuo furor lo porta.
Subito che i prigioni il polverìo
Vider per l'aria, e trà l'oſcura nube
Balenar l'armi, attoniti, ed allegri
Odono dirſi al cuor felici annunzii:
Odiando i ſuoi legami ogn'uno uccide
Colle preghiere il ſuo cuſtode amaro.
Ma di Sarmazia l'animoſa ſquadra,
Qual di trè punte un fulmine ſi ſchiude
Dal grembo delle nuvole tonanti:
Tal ſi lanciò dal polveroſo nembo
Sopra i tremanti Tartari. Or'indarno

Brama-

Digitized by Google

Bramano quei dell'agghiacciato Tanai,
O del nevoſo Boriſtène il fiume,
Che gli naſconda; mentre nate a un tratto
Vedon del ſangue ſuo bollir fiumane.
Sopra gl'imbelli impetuoſo ſegue
La Vittoria il Polacco: Alzaſi un monte
Di ſtrage meſcolata. A Dorocenco,
All'atroce ribello, un ſimil fato,
O ſtelle, io chiedo pur dovute ſorti,
Apparecchiate. Cada il fraudolento
Sollevator de' Regni, che la Patria
Osò vender'al Trace. Intanto un ponte
Rompono i Lechi del vicino fiume.
Chiuſo il varco alla fuga, il vil nemico
Con tartareo clamore aſſorda l'aria:
E nella ſua ruina aver compagni
Vuole i ſuoi prigionieri: e del misfatto
Mentre paga le pene, altri più crudi
Ne commette morendo. Al lido l'onde
Non altrimente ſpingon le procelle
Dall'Auſtro moſſe: e mentre l'un feriſce
Un'altro flutto, sù gli acuti ſcogli
Si rompon tutti: freme il lido, aſperſe
Son di ſpuma le rupi. Ma a ferire
Appena avea dato principio il fiero
Scita i prigioni, che ſchierato intorno
L'incalza il vincitore, e l'armi ſquote
Dalle mani nemiche: e ſciolti i lacci
De' ſuoi, ne ſtringe i barbari. A baſtanza
Dopo che bevve dell'odiato ſangue
L'acceſa ſpada, e chi non cadde eſtinto,
La catena domò, mirano il volto
E il numero de' ſuoi reſi alla cara
Antica libertà: cercan pel boſco,
Quei, che fuggendo ucciſe il fiero Scita;
E col ſepolcro onorangli, e col pianto.
Mentre queſte di Marte allegre ſorti
Riſtoran la Sarmazia, armate al campo
Volan le ſquadre, e alle Reali inſegne:
Quelle, che manda la Minor Polonia,
E la Maggior: nobile queſta un tempo
Per lo Soglio di Leco, illuſtre or quella
Per la Regal Città. Laſciar due mila
La ſuperba Poſnania, ed altrettanti
Lancicia, e i campi di Caliſſia, e quelli
Di Petricovia, cui conceſſe Aſtrea
Il Tribunal ſupremo. Ma del Regno
Tu, che ſei lo ſplendor, il doppio invii
Delle turbe, o Cracovia: nè le grandi
Ricchezze di Lublin gli abitatori
Ritengon sì, che per la patria pronti

Non

Agmina perrumpit. Tanais fruſtra illa nivalis
Exoptant latebras, rigidique Boriſtenis amnem,
Dum, modò nata, ſuo ſpectant fumare cruore
Flumina. In imbelles furiata mente feruntur
Sauromatæ: ante illos confuſæ ſtragis acervus
Tollitur immanis. Dorocenco hæc fata rebelli,
Inſtaurate, pii Superi, ſi debita poſco:
Concidat hortator ſcelerum, qui vendere Thraci
Eſt auſus Patriam. Interea convellere pontem
Lechiadæ certant vicini fluminis, hoſti
Præpediuntque fugam: tum verò accenſa furentum
Pectora tartareis clamoribus æthera complent:
Exitioque ſuo captivam involvere turbam
Feſtinant: cædunt pariter, pariterque nefandi
Dant ſceleris pœnas. Auſtro feriente procellæ
Non ſecus inſanos urgent ad littora fluctus:
Dumque alios trudunt alii, franguntur acutas
Omnes ad cautes. At vix deducere adortos
Ad lethum Lechos premit undique victor, & arma
Excutit hoſtili e dextra, ſolvitque ſuorum
Vincula, barbaricis quæ nectit digna lacertis.
Sauromatæ rarus verſis auſertur habenis.
Ut ſatis exarſit mucro, domuitque catena,
Queis parcit gladius, numerum, vultuſque recenſent
Servitio exemptos: quærunt, quos barbarus hoſtis
In nemore extinxit fugiens, mandantque ſepulchro.
Talia Sarmatiæ fauſto dum marte geruntur,
Armatæ coeunt ad Regia ſigna phalanges:
Quaſque minor miſit, majorque Polonia turmas,
Lechi olim hæc ſolio, regali ea nobilis Urbe.
Poſnaniam biſmille viri liquere ſuperbam,
Lanciciam totidem, Caliſſiæ & uberis arva,
Et Petricoviam, cui ſummum Aſtræa tribunal
Indulſit. Sed tu, præclara Cracovia, Regni
Grande decus, mittis plures ad ſigna cohortes:
Nec retinent magnæ te, Lublini incola, gazæ,
Quin Patriæ cupias vitam pro laude paciſci;

Nec

Digitized by Google

Nec Sandomiriæ deſunt vexilla decoræ.
Qui pecori gratos, & luxuriantibus herbis
Lætos, Podoliæ campos coluere, ubi celſa
Cornua ramoſi haud extant e gramine Tauri:
Ruſſia quos nigra, Carpathio quæ ſubdita Monti,
Miſit ad arma viros: his clara Leopolis addit
Præcelſos ſtimulos, partæ jam conſcia laudis.
Candida Maſoviæ feſtinant pectora, magnum
Varſaviæ ſolita in campis ſpectare Senatum.
Pruſſia belligeros quos dat Regalis alumnos,
Fœcundæ Cereri, ac Nymphis, quæ ſtagna, lacuſque,
Piſcoſóſque ſecant fluvios, gratiſſima ſedes.
Accola Toruni, prædivitis ala Gedani,
Et Mariæburgi cives: exemptaque Sveci
Imperio quos immenſis Livonia nutrit
Æquoribus. Samogitiæ qui pinguia mella
Libatis, longo aſſueti exercere paterna
Venatu nemora, in martis pandetis arena,
Quod belli tyrocinium poſuiſtis in antris.
Martia Volhiniæ virtus, quæ vulnera ferro
Immenſo torquet, concurrere Thracibus ardet,
Et Czernihoviæ pubes ſua ſigna frequentat.
Unà ingens Lithuana cohors, quam nobilis armat,
Vilna, animis, opibuſque potens, & laude Minervæ.
Omnibus hæc Regni de partibus agmina in unum
Conveniſſe videns iram Rex aggere ab alto
Magnanimis acuit dictis, præclaraque belli
Ductorùm pendet dicentis ab ore corona.
Mundi præſidium Arctoi, generoſa Gradivi
Robora, quò virtus abiit? quò ſparſa Poloni
Nominis in cunctas exceſſit gloria gentes?
Barbarus ingreditur Regni confinia Turca?
Nubibus immiſtæ traduntur protinus arces?
Nunc etiam ſolvent (Superi prohibete) Tyranno
Vectigal Lechi? Sic verſis Sarmata fatis

Ergo

Digitized by Google

Non volin' a' perigli: nè le truppe
Mancan di Sandomiria. Le campagne
Quei, ch'abitar della Podolia, allegre
D'erbe luſſureggianti, ed a gli armenti
Paſcoli grati, ove l'eccelſe corna
D'un toro, che co' rami alti d'un cervo
Può gareggiar non ſpuntan fuor dell'erba.
Quei, che la nera Ruſſia all'armi indrizza
Sottopoſta al Carpazio. A queſti aggiunge
Stimoli illuſtri col valor moſtrato
La famoſa Leopoli. S'affrettano
L'ingenui Maſoviti, il gran Senato
Di Varſavia ne' campi uſi a mirare.
Ecco dipoi venir guerrieri allievi
Della Pruſſia real, magion gradita
A Cerere feconda, ed alle Ninfe,
Che i ſtagni, i laghi, ed i peſcoſi fiumi
Godon ſolcar notando. Di Torunio
Le ſquadre, del ricchiſſimo Gedano,
Di Marieburgo: E quei che la Livonia
Non ſoggetta allo Sveco nell'immenſe
Sue campagne alimenta. Ma chi'l mele
Guſta di Samogitia, a eſercitare
Con inceſſanti caccie avvezzo i boſchi,
Darà a veder nel campo Marziale,
Qual prova di valor fece negli antri.
Di Volinia la ſchiera, col nemico
Brama di cimentarſi in fiera pugna,
Che con immenſo ferro i colpi vibra;
Di Ceſnicovia inſieme a gli ſtendardi
Vola la gioventù. Di Lituania
Le numeroſe truppe, a cui dà l'armi,
Per gran cuor, per ricchezze, e per la lode
Della dotta Minerva, inclita Vilna.

Poiche il Rè tutte vagheggiò le ſquadre
Unite inſieme, ad iſvegliar l'ardire
In loro incominciò da un alto ſeggio
Con detti generoſi: attenta pende
De' maggior Duci un'inclita corona.

Del mondo Aquilonar difeſa invitta,
Nervo, e pregio di Marte, eccelſi Eroi,
Dove è il valor Polacco? E la gran fama
Sparſa di lui dall'un'all'altro Polo,
Or'oſcurata, e ſpenta? Entro i confini
Del noſtro Regno il barbaro Ottomano
Oſa di penetrar? Cedonſi a un tratto
Le ſublimi fortezze, che le nubi
Sormontan colle torri? Or al Tiranno,
Proibitelo voi, ch'in Ciel regnate,
Pagherà la Sarmazia un vil tributo?
Sì cambiaronſi i fati? Eſſer del mondo

Deve lo ſcherno la Polonia illuſtre,
Del mondo, ch'al ſuperbo vincitore
Veda ſtender la deſtra ſupplicante,
Che poc'anzi vibrar fulmini orrendi
Solea contra gli Odriſii? E' pur lontana
La vergognoſa tema. Alla ruina
La perverſa Diſcordia eſpone il Regno:
Eſſa alle ſquadre, che maligno punge
Il livor contra noi, gli ſpirti affoga,
E toglie il brio contra gli odiati Traci.
Se da talun' de' Grandi al fine ſnida,
E al Tartaro precipita l'Erinni
Della cadente Patria, o qual ci aſpetta
Gloria immortal? Già la Vittoria ſpiega
Sù noſtri campi le dorate penne.
Peroche, o miei nelle ſublimi impreſe
Fidi compagni, non è già il cimento,
Ch'or ci ſovraſta, di nemico invitto.
D'invitar la Polonia a nuova guerra
I Cani della Tracia oſano ancora?
Nè di Cocimo la funeſta immago
Tuttavia gli ſpaventa? e colle ſciable
Trecentomila eſtinti, e rotto Oſmano
Follemente ſuperbo? E pur'i Traci
Ammaeſtrò quella famoſa ſtrage
Ben dieci luſtri a non provarci in armi.
Ma qual vergogna arder ci deve il cuore,
Se de gli Sciti la vil turba inſulti
Alla Sarmazia? Se impunite a ferro
Metton', e a fuoco le Città i rubelli
Ogn'anno vinti? A che ridir l'antiche
Riportate vittorie? A noi del Regno
Da che ordinaſte il maneggiar le briglie,
Qual ruina gli hà oppreſſi! E quanti campi
Col ſangue han fecondati! E quanto ſpeſſo
Son fuggiti vilmente, le faretre
Per lo ſpavento, e della Legge infame
Gettando il Libro, che delitto orrendo
Loro raſſembra: parte d'eſſi cieca,
E diſperata abbandonati i freni
Dall'alte balze ſpinſero il deſtriere
Nelle ruine, mentre la lor fuga
Incalzava il Polacco. Seguirò
A ricordar delle Cittadi i nomi
Soggiogate da noi? Pria di Braclavia;
Da tè forzata, e da' Coſacchi tuoi,
Fortiſſimo Pivvone, a noi fedeli:
E di Bialogrodo, le cui mura
Per trè giorni continui in fiera pugna
T'ammiraro anelante: al fin raggiungi
I Turchi volti in fuga, e in un gli Sciti;

Qual

Ergo jacet? Mundo debes ludibria civis?
Qui trepidos videat victori tendere inermes,
Spargere in Odryſios conſuetas fulmina dextras?
At certè metus omnis abeſt. Diſcordia Regnum
His veſana malis oneras: quas gloria noſtra
Obliquis urit ſtimulis, in barbara Thracum
Agmina inaſſueto frangis torpore phalanges.
Tartara ſi repetat Patriæ pereuntis Erynnis
Excedens animis Procerum, nos quanta ſequetur
Gloria? Jam noſtris volitat victoria campis.
Haud etenim invicti ſubeunda eſt alea Martis,
O Socii: Lechos audent in prælia Thraces
Poſcere? nec mentem Cocimi terret imago,
Cæſique falcato ſexcentum millia ferro?
Et fracta Oſmani vecordia? At illa ſuperbos
Certè luſtra decem Turcas abſiſtere bello
Edocuit clades. Quàm porrò exæſtuet ingens
Imo in corde pudor, ſi vilis turba Scytharum
Sarmatiæ inſultet? Si debellata quotannis
Agmina bacchari valeant impunè per Urbes?
Quid vetera evolvam? Regni ex quo flectere habenas
Nos juſſi, qua procumbunt perculſa ruina?
Sanguine quot campos aluere! Ut turpia ſæpe
Terga dedere fugæ, pharetraſque, ſacrumque volumen
Infandæ legis jacientia, quod velut ingens
Horreſcunt crimen! Pars cæca, & concita frænis
Immiſſis in præcipites urgere cavernas
Quadrupedem ſueti, dum toto Sarmata feſſos
Æquore victor agit. Captas an proſequar Urbes?
Braclaviam, tibi quæ ceſſit, fortiſſime Pivvo,
Quoſque fides nobis devinxit clara, Coſacchis?
Et Bialogrodum, cujus prope mœnia ſoles
Tres tibi bellando exhauſti: Dare terga coactos
Tandem præcipites Turcas, unàque ruentem

Tartaream aſſequeris pubem. Quæ mittis Averno
Pabula, bellantum dum quadraginta trucidas
Millia! Tunc ſcelerum concretus labe Czecrinum
Dum peteret, fruſtra Dorocencus transfuga Pacem
Optavit. Ladiſſinum, Brahilovia fortis,
Et Mohiloviæ vallum, celsâque Sciana
Arce potens, certans Cameneci turribus altis,
Sponte jugum ſubeunt. Halneci a civibus ignis
Exigit immanes pœnas. Te, Vinnica, linquam,
Sacra ubi barbarico maduerunt templa cerebro,
Et quos obſediſſe adytus eſt auſa, Scytharum
Sanguine placavit rabies? Tunc pectora matres
Percuſſas raptam ſobolem, metuenſque pericli
Invalidum ſenium, Moldavis exul ab oris
Ultra Danubii fluctus duxiſſe profundi
Turcarum fertur timor. Alter vertitur annus,
Ex quo Sauromatæ quamvis ſignare trophæis
Conſueſtis lucem, Pacis nunc damna probroſæ
Expetitis? Magno Bellum clamore Phalanges,
Atque Duces Bellum expoſcunt: odia inclyta quiſquis
Corde fovet: pugnâ ſi quis deſiſtere Lechos,
Ac tanto hortetur ceſſantes cardine rerum
Dedecus haud Patriæ certatim abolere, recurvo
Scindatur ferro. Tunc cælo authore furorem
Rex acuit magis: Ipſe aderit Deus, inquit, ab aſtris:
Inſtaurate animos, Loyolæque aſſecla magni,
Stanislae, aderis, cuſtos fidiſſime Regni.
Tu mihi quodcumque hoc Sceptri, tu Numina, Dive,
Concilias: Patriæ in quovis diſcrimine rerum
Tu ſecura ſalus, avertes turbidus ora,
Sanguine dum tibi conjunctum regnare Poloni
Juſſerunt Proceres, coluit qui ſemper honores,
Dive, tuos, auxitque tuos qui primus honores?
Vix ea fatus erat, ſubito cum læva fragore
Pars cæli intonuit: dictu mirabile monſtrum
Arrectas rapuit mentes. Vexilla, nitebant

Quæ

Digitized by Google

Qual paſto allor donaſti al lago Averno
Di ben quarantamila, che ſul campo
Reſtaro eſtinti? Allor, mentre a Zecrino
Fuggiva Doroceſco, di delitti
Compoſto, e tradimenti, indarno pace,
E perdono bramò. Di Ladiſſino
Seguirò a dir, di Brailovia forte,
Di Moilovia, e di tè, che coll'alta
Tua fortezza, o Sciana, a Camenecco
Contraſti il primo vanto? Il noſtro giogo
Senza reſiſter voi prendeſte. Il fuoco
Fù pena atroce all'oſtinato Alneco.
In oblio ti porrò, Vinnica, i Templi
Ove furon di barbare cervella
Tutti coſperſi, ove placò gli altari
Il Tartaro col ſangue, che aſſediati
Aveva pria? De' Turchi allor la tema
Dalla Moldavia in volontario eſilio
Conduſſe via le madri, che piangenti
Percotevanſi il petto, e i figli imbelli,
E la cadente etade, all'altra riva
Del profondo Danubio. Un'anno ſolo
S'è valicato, dappoiche ogni giorno
Notammo co' trofei: bramate i danni
Ora di pace vergognoſa? Un grido
S'alzò ad un tratto, e inſieme le ſalangi
Guerra chieſero, e i Duci, invitta guerra
Gridar fremendo: Se codardi i Lechi
V'è chi pretenda, e neghittoſi, or quando
Dee cancellarſi il diſonor del Regno,
Col torto acciaro partaſi. Ciò udito,
Il Rè intrapeſe a via maggior furore
Accendere negli animi, ſpiegando
Che il Cielo haveano in lega: Iddio dall'alto
Sarà, diſſe, preſente: E tu ſeguace
Del gran Lojola, o Stanislao, del Regno
Inclito Protettor'a' tuoi l'aita
Pronta darai, Tu queſto Scettro a noi,
Qualunque ſia, porgeſti: Tu il Divino
Favor n'ottieni: Tu di queſta Patria
In ogni riſchio ſei ſalvezza, e vita:
Altrove or volgerai crucccioſo il volto,
Mentre ch'à un Rè teco di ſangue unito
Han comandato di ſalire al Trono
I Principi del Regno? Il qual mai ſempre
T'hà riverito, o Divo, e hà fatto ogn'opra
Prima d'ogn'altro, perche il mondo onori
Con maggior culto le tue doti eccelſe?
    Appena avea ciò detto, quando il Cielo
Tuonò dalla ſiniſtra: ed un prodigio
Maraviglioſo a sè rapì le menti:

Gli

Gli Stendardi, che pria l'Armi del Regno,
E del Rè figuravano, or dall'arte
Di Celeſte pittor cangiati a un tratto,
Varie memorie di trionfi antichi
Danno a veder, con cui domò gli Sciti
Molte fiate Stanislao, ed a Turchi
Diè rotte ſanguinoſe. Mille ſquadre
Di lor dipinge l'improviſa immago,
Ch'entran nel Regno impetuoſe, L'onde
Del vaſto Egèo, e la Meoti nera,
La Propontide, il Bosforo, l'Euſſino,
Il Tanai nevoſo, e l'Ebro Tracio,
Miranſi in atto, che un diluvio d'acque
Minaccian contra tè, Viſtola illuſtre.
Non mai di Perſia il Rè con tante ſquadre
Inondò i Campi Greci, in mezzo a quante
Schiere ſi vede balenar'Oſmano,
Folle per l'alta ſpeme. Ad incontrarlo
Dall'altra parte il Prence Ladislao
Conduce i ſuoi campioni, ma dal grande
Numero de' nemici è oppreſſo. Un ſolo
Con dodici de' Traci avrà contraſto.
Itene: o valoroſi, al gran cimento,
Voſtra è la palma; peroche non lungi
Eſprimono i colori dedalei
Il maggior Tempio di Cracovia, in cui
Mentre di Stanislao, chiuſo nell'oro,
Con ſacra pompa il riverito Capo
Vien'introdotto alla Sarmazia in dono
Inviato da Roma, intanto in alto
Del Ciel ſi mira l'immortal Reina
Sù carro trionfal, che della neve
Più candidi deſtrieri imbriglia, e regge,
Della Madre belliſſima il Fanciullo
Divino abbraccia il collo, e ſupplicante
Per la ſua Patria Stanislao l'adora.
A lui quaſi ſdegnato il dolce Infante
Porge una ſpada, che col ſangue atroce
De' Traci coloriſca. Acceſo ſcende
Il giovane dal carro, e vola al campo:
Orribil'in ſembiante, e l'armi orrende
Maneggiando, che a lui la celeſtiale
Fucina fabbricò, con che furioſo
Turbine ſpinge il ferro, e qual di ſtrage
Inalza un monte! dal ſublime eſempio
Infocati i Polacchi mieton tanti
De' feroci nemici, che la furia,
Con cui'l nudo African ſuol colla falce
Di Gargara laſciar vedovi i campi,
Cede alla lor ferocia. Oſmano intanto
Sparſo di nera polve, e di pallore

Miraſi

Digitized by Google

Quæ Regni, Regiſque notata inſignibus, arte
Nunc Superûm depicta notant monumenta Triumphi
Multiplicis, Turcas quo ſæpe, Scythaſque feroces
Edomuit Stanislaus. Mille agmina Thracum
In trepidum Regnum irrumpentia pingit imago,
Ægæi fluctus, Mæotis nigra, Propontis,
Boſphorus, Euxinum pelagus, Tanaiſque nivalis,
Threiiciuſque Hebrus, immanem tibi viſa minari,
Viſtula, diluviem undarum. Tot barbarus olim
Perſarum haud Princeps campis infudit Achivis
Agmina, quot medius Turcarum in millibus ardet
Oſmanus, fruſtraque animo ſpem turbidus haurit.
Parte alia Superis, Uladislae, ſecundis
Agmen agis, ſpiraſque oculis, & pectore martem;
At numero obrueris: biſſenis Thracibus unus
Sarmata, vix totidem, ſi congrediatur, habebis:
Congreſſus vinces; namque haud procul inde colores
Dædalei referunt tua Templa, Cracovia, ſacrum
Quæ Stanislai rutilo incluſum caput auro
Dum ſubit, Auſonia ſubmiſſum munus ab Urbe,
Interea excelſa cæli in regione ſereni
Ipſa videbatur Superûm Regina quadrigam
Flectere, certanteſque nivi frænare jugales:
Formoſæ collum Matris complectitur Infans,
Pro Patria ſupplex quem Stanislaus adorat.
Huic indignanti ſimilis Puer aureus enſem
Porrigit atroci tingendum ſanguine Thracum:
Deſiliens curru Juvenis volat igneus axe:
Lechorum ante acies cæleſtibus horret in armis.
Turbine quo gladium torquet? quot ſtragis acervos
Erigit? Incenſi præclara exempla ſequuntur
Sauromatæ, innumeroſque metunt: diſcinctus ut Afer
Gargara cum viduat ſegete, Oſmanus fugere atro

Digitized by Google

Pulvere, & horrenti turpis pallore videtur.
Altera Lublinum Vexilla, Premislia muros
Aſt alia exhibuere tuos, quos undique cingunt
Agmina tartarea, obſeſſæque Leopolis Arcem.
Mœnia tormentis partim disjecta, ſub alta
Effoſſæ tellure ſpecus, & ſulphure diro
Fœcundæ, Cereris penuria, tabida peſtis
Per miſeras graſſata Urbes, extrema minantur.
Cernere erat pavidas matres: in imagine terror
Vivit, ad attonitas clamor penè accidit aures.
Ecce autem piceus dum ad mœnia volvitur ignis,
Stanislaus aquas cæleſti effundit ab urna.
Quà rara eſt acies Lechorum, devolat: unus
Tormenta innumera explodit: quà Tartarus inſtat,
Telorum effundit nimbum. Tot Apollo ſagittis,
Ut perhibent Vates, Trojæ ſub mœnibus altis
Haud peſtem afflavit Grajis; nec ferreus enſes
Ægæon tot vibravit. Quod pectore robur
Concipiunt Lechi, dum lapſas æthere cernunt
Excubias Divi! Lublinum is protegit haſtâ,
Et gladio, aſt alias clypeo tegit impiger Urbes,
Incendit frontem fulgor, ridentia Martem
Lumina contemnunt: quà ferreus ingruit imber,
Extemplo opponit clypei ſeptemplicis orbem.
Indica ceu lento conſtans pila glutine terræ
Alliſa, ad nubes reſilit: miratur, inerti
Impete qui jecit, globuli redeuntis in auras
Alatas vires: Clypeo incurrentia tela
Sic trepidos repetunt hoſtes. Cum concitus Heros
Fatalem dextrâ quatit Ægyda, flammea torquet
Fulmina in imbelles acies. Formidinis ora,
Iræque, Mortiſque, truci pinguntur in ære:
Obverſo hoſtiles fugiunt umbone phalanges.
Vexillum aſt aliud cæleſtis pinxit Apelles,

Koſtkæ

Digitized by Google

Miraſi volto in vergognoſa fuga.
Altri ſtendardi hanno Lublin dipinto,
Altri Premislia, e l'aſſediate mura
Di Leopoli invitta da Tartaree
Frotte di moſtri: diroccate in parte
Dalle bombarde le muraglie, aperte
Alte mine ſotterra, e d'atro zolfo
Già gravide, di Cerere omai i doni
Mancati affatto, e la naſcente peſte
Sparſa per tutto, la ruina eſtrema
Minaccia a gli aſſediati. Le tremanti
Madri vedeanſi: vive anche il timore
Nella pittura, e poco men, che gli urli
Non feriſcan gli orecchi. Ma la fiamma
Nutrita dalla pece all'alte mura
Mentre vola, e s'appiglia, intanto verſa
Da un'urna Celeſtial'ampia fiumana
Veloce Stanislao: dove più radi
Rimira i difenſori, a un tratto accorre;
Senza numero ſon quelle tonanti
Macchine, dalle quali egli dà il varco
Contra i nemici a' fulmini infocati:
N'avventa un nembo. De' Poeti a' ſogni
Se vogliam preſtar fede, le ſaette
Non furon tante, le cui penne a' Greci,
Spinte da Febo offeſo, ſotto l'alte
Mura di Troja, il peſtilente morbo
Portaron già: nè tante contra il Cielo
Vibrò ſpade Egeone. Or qual fortezza
Arma il cuor de' Polacchi, a ſua difeſa
Mentre vedono ſceſo il Sacro Eroe
Dal Regno Eterno? Egli Lublin coll'aſta
Protegge, e colla ſpada, ma per l'altre
Città lo ſcudo impugna: gli sfavilla
Lume nel volto, e ridono i belli occhi,
Che di Marte i perigli hanno in diſpregio.
Dove di ferro la crudel tempeſta
Più forte incalza, egli lo ſcudo oppone.
Come palla Indiana, d'arrendevole
Gomma compoſta, percotendo in terra
Si ſolleva alle nubi: Ammira il volo
Del ſuo ritorno chi con debil forza
La ſpinſe al ſuolo. Le ſaette alate
Non altrimenti nello ſcudo urtando
Tornan contro gli arcieri. Ma ſe ſquote
L'Eroe del Cielo il ſuo fatale Scudo,
Dipinto vi ſi mira il fier ſembiante
Dello Spavento, dello Sdegno atroce,
E della ſcura Morte. Al comparire
Di que' ceffi odiati le falangi
Pongonſi in fuga. Il Celeſtial'Apelle

Un'altro colorì nobil ſtendardo,
Ove del Koska avanti il Sacro Altare
Proſtrato Caſimiro: La tua veſta
D'oro, diſſe, ſarà, Divin Garzone,
Nel Tempio di Lublin, ſe la tua aita
Ducencinquantamila orridi Sciti
Abbatterà, e l'infinite ſquadre
De' Coſacchi rubelli al regno tuo.
Sì detto avea: nè lungi uſcir ſi mira
Dal Sacro Tempio: come il Rè de boſchi
Da un'antro della Libia, impetuoſo
Si getta ſopra all'infelice armento,
Che l'incauto paſtor nell'erma ſelva,
E intrigata ſviò. Vola dall'alto
In queſto mentre il Giovane feroce
Coll'aſta, e collo ſcudo. Appunto come
Con funeſto roſſor l'acceſa ſtella
Del ſuperbo Orion ſtragi, e ruine
Minaccia a' naviganti, e contra loro
Par, che ruoti una ſpada fulminante,
E del mar'adirato ſopra l'onde
Piombi precipitoſo. Quale ſcempio
Porti a' nemici l'immortal Campione,
Di Bereſtexo l'inondati campi
Da un mar di ſangue, dicanlo, e quell'oſſa
De' barbari inſepolti, in cui l'aratro
Speſſo del villanello urta, e l'inſulta.
Mentre i guerrieri allegri ammiran queſti
Stendardi prodigioſi, di bel nuovo
Tornan'a vagheggiarli, e non mai ſazii
Son di fiſſarvi attonito lo ſguardo:
E godon di pigliar da' chiari eſempi
Magnanima ſperanza: e contra il verno,
Quaſi fremon crucciosi, perche al campo,
Svelte dal ſuol le fortunate inſegne,
Impediſce il volar', e colle trombe
L'accendere il valor'? Appena il Cielo
Col primo riſo a Primavera il ſegno
Darà d'uſcir'a ſerenar'il mondo,
Ratti anderan, dove col chiaro invito
Gl'indrizzano le ſtelle. Itene, o prodi,
Sotto gli augurii del Gran Rè al cimento.
E tu, Sire, cui diè l'inclito nome
Il Conduttor delle Celeſti ſquadre:
Se già quegli ſchiacciò l'altiera teſta
Al Tartareo Dragone, abbatti un'altro
Orgoglioſo Tiranno, che ſimile
Al Moſtro forſennato, arde per brama
Nel domato Aquilon d'alzar'il ſoglio.

Digitized by Google

Koſtkæ ubi procumbens ſupplex Caſimirus ad aras:
Aureus, inquit, eris, regali veſtis honore,
Quo tua Lublini in Templo fulgebit imago,
Tercentum frangas ſi quinquaginta Scytharum
Millia, quique tua irrumpunt in Regna, Coſacchos
Dixerat: haud procul inde ſacrâ prodire videtur
Æde: velut Lybico Rex Sylvarum exit ab antro
Armentum in trepidum, incautus quod devia Paſtor
Impulit in nemora. En celſo volat ilicet axe
Fatali Juvenis clypeo munitus, & haſtâ,
Ut cælo lugubrè rubens Orionis ignis
Fulmineo interitum nautis ſolet enſe minari,
Dum ſupra iratas Ponti penè irruit undas,
Quam cieat ſtragem, immenſo ſaturata cruore
Arva Bereſtexi teſtantur, barbaraque oſſa,
Nunc etiam agricolæ queis ſæpe inſultat aratrum,
Prodigioſa vident hæc dum Vexilla Poloni,
Attonitis hærent oculis, lætique tuendo
Expleri nequeunt, ſpemque inde ediſcere gaudent
Magnanimam, incuſantque hyemem, quæ vellere fauſta
Nunc Vexilla negat, lituoque accendere Martem,
Cum primùm verno ridebit lumine cælum,
Inclyta Divorum ducunt quò ſigna, volabunt,
Auſpiciis magni properate ad prælia Regis,
Tartarei eliſit Michael ſi colla Draconis,
Sacra refers Ducis Aligerûm qui nomina Princeps,
Ardentem domiti regnare Aquilonis in oris,
Odryſium tumido deturba e Monte Tyrannum,

Digitized by Google

Paræneſis ad Polonos, ut bellum urgeant in Turcas.

Inducitur eam habens Franciſcus Bonviſius tunc Apoſtolicus Nuntius Clementis X. Pont. Max. deinde S.R.E. Cardinalis.

Lucani Stylo, ab Authore dicta in Claſſe Rhetoricæ anno 1673.

PRæfamur, hunc ferme in Concionibus eſſe characterem Lucani. Multiplicibus utitur argumentis, quæ inſignem etiam Oratorem decerent: non affluit verbis inanibus, ſed crebræ Sententiæ vim in breve dictum cogit: Dictio eſt animoſa, & acuta: vividæ, ac frequentes figuræ.

SArmatiæ tandem in præceps rapere inclyta Regna
Fortunam puduit. Thraci ſervire Polonus
Non ambit miles. Nolenti barbarus hoſtis
Inſultet? Veſtræ armavit fiducia rixæ,
Sauromatæ, Turcas: civilis fulmina Pacis
Nunc horrent. Magni vigeat Concordia Regni
Certa ſalus. Cauſa ulla nequit civilibus armis
Obtendi: Patriæ ſævit quæ in viſcera ferro,
Eſt crimen virtus. Niſi tu facis ipſa timendum,
Haud metuiſſe potes, generoſa Polonia, Thracem.
Biſtonas haud metuit, timuit viciſſe Polonus.
Polluit antiquos Camencci Arx capta triumphos;
At victos, Othomanne, times, quibus horrida vires
Incendit clades. Virtutem triſtia fata
Exacuunt: oppreſſus habet plus nobilis iræ
Magnanimus. Num læſi impunè fuiſſe ferentur
Sarmatiæ Heroes? Quantùm irritata flagrare
Conſuerit virtus, ludentia fata tumultu
Monſtravere brevi. Ut terræ genitricis ab ulnis
Fortior exiliit proles, atque uſa cadendi
Auxilio eſt: ſic Sauromatæ ſunt cæde refecti,
Oſtendentque ſui non vile fuiſſe cruoris
Odryſiis pretium. Non ulla oblivia Lechos
Immemores fecere ſui, nec inebriat acres
Lethe ignava viros. In caſtra Polona Triumphi
Antiqui redeunt, &, quas haud obruet ullum
Ætatis ſenium, palmæ. Corrumpere famam
Lechiadas pudet. Oſmanus dum verteret Arces

Chriſtia-

Chriſtiadum, mora victori, Vallumque Latinæ
Sarmata erat Fidei: furor hìc, atque impetus hæſit
Torrentis belli, Arctoas qua cæde volucres
Oſmani miles ſaturavit? Tempſerit hoſtis
Victores impunè ſuos? Trax Lechica Regna
Dum ſubiit, Patrum fremuiſſe ſepulchra feruntur;
Tollentem caput a gelida Viſirius urna
Uladislaum, minitantemque aſpera vidit
Funera terribili nutu. Sub pectore patres
Natorum vivunt, quos fortes eſſe coacta
Nunc tandem virtute pudet, veſania Turcas
Cum tanta exagitat, Vectigal ſolvere Lechos
Ut jubeant. Venit vitæ quæ libera in auras,
Libera vult fatum virtus ſubiiſſe Polona.
Turpe jugum accipient prono nunc milite colla?
Exhibeat fœdus, vectigal & ipſe remittat
Odryſius quamvis Princeps, haud fortibus arma
Excutiet. Spondet victis donare ſalutem?
Sarmata funeſtæ contemnit munera dextræ,
Extorquere juvat, quæ, ne rapiantur, inertes
Indulgent hoſtes. Peperit ſi ad vincula quoſdam
Natura, ut ſapiens docuit Cortina Stagyræ;
Hæc vos fata manent, Turcæ, ſervire Tyranno
Queis libet inſano: queis nulla e ſanguine claro
Nobilitas: nulla & certi Patrimonia cenſus;
Nulla, niſi pecudum, Lex: nullæ Palladis artes;
Prolis amor nullus: Regalis purpura fratrum
Sanguine plerumque imbuitur: Rex barbarus ambit
Incutere horrorem populis, non optat amari.
Vos, generis probrum humani, convellitis alma
Naturæ qui jura, decet ſervilia vinclis
Colla dare. Ingenuis vos nectere vincla Polonis
Speraſtis? Videt haud gentem lux publica Mundi,
Quam deceat ſervire minus; namque unica Reges
Hæc facit. At cui ſceptra dedit, ſacramque thiaram,
Quos addit Princeps animis flagrantibus ignes?
Oſtendit, quantùm interſit regnare coactum,
Inſomni volvit dum cura publica fata,
Oblituſque ſui Patriæ timet: improba nullo
Turbine ſors illi virtutem excuſſit avitam.
Emenſus Regni ſyrtes, ſcopuloſque recentis
Incluſum exhibuit juvenili in pectore Numen,
Conſilii fontem. Virtus, & ſumma Poteſtas,
Ut coeunt in Rege pio, qui militat aſtris,
Et Patriæ ſervit? Regni niſi vita, ſaluſque
Pendeat ex illo Arctoi, atque in bella ruentem
Patria compeſcat, Thracum in ſe provocet unum
Fulmina. Crudelis penitus niſi corruat hoſtis,
Admiſiſſe negat regali gaudia corde.
Illius auſpiciis clari juvet alea Martis

Sarma-

Digitized by Google

Sarmatiam. Patriæ irrumpant ne in viſcera Turcæ,
Votum erit? Ultro acies gaudet rapuiſſe feroces:
Et perrumpere amat, quò fortes inclyta Virtus
Ire jubet. De te hoc tantùm, Fortuna, Polonus
Conqueritur, jugulo indecori quod polluis enſes,
Concidat Heroum dextrâ grex vilis, ademptâ
Qui patriâ triſtis, Cæli nec ferre rigorem,
Nec vultum valet hoſtilem? Rurſum aurea ſigna
Lechiadum cernes Cameneci effulgere in arce.
Aereos iter ad montes Natura negavit?
Expediet Cælum. Nullum ſubducite fatis
Tempus, Sauromatæ, faciles nec perdite Divos.
    Eoi terror Mundi, victricia campis
Vexilla Odryſiis infer, dum barbarus hoſtis
Languet iners. Spes Chriſtiadum fœlicibus armis
Nunquam tanta fuit. Fortunæ exuſcitat iram,
Qui, dum ſors ridet, dum fervent militis arma,
Dum torpent hoſtes, non horret vincere lentè.
Qui bellum fugit, invitat. Differre paratis
Nunc certè noceat, dum Thrax terit otia Mavors
Attritus palmis, probroſâ & Cypride putris.
Mox uret nix alta ſolum, pugnamque negabit;
Hoſtis vere novo vires, animoſque reſumet.
    Expediunt illum curæ per acuta ſagaces
Bellorum. Ceſſat, donec civilis Enyo
Chriſtiadas rurſus dirimat. Tunc fœdere fracto,
Irriſaque fide, quem proruat, eliget hoſtem.
Heu mora noſtra dedit vires, & cornua monſtro.
Cunctando colubrum lactabimus? Aſpera ſurgant
Prælia, dum metuit: dumque Optimus excubat Orbi
Chriſtiadum Pater, atque aris cum ſupplice Mundo
Affuſus nobis pugnantia ſuſcitat aſtra,
Bella juvent: Patriæque, & ruptis legibus ullum
Subtraxiſſe diem pudeat. Viciſſe Polonos
Moſchorum dextrâ pudeat: dum terga feroces
Illi urgent Thracum, ſpectabit Sarmata cladem?
Moſchorum titulis exuta Polonia vinclis
Accedet? Noſtro vecors Fortuna pudori,
Non Virtus parcet? Quæ tempora non probat hoſtis,
Hæc pugnæ expediunt. Fidei feralis Erynnis,
Chriſtiadum fatale malum, Viſirius horret
Sarmatiæ arma. Piget fortem tentaſſe Polonos,
Et viciſſe piget. Mentem quatit ira, metuſque.
Cretæ everſores fregit Cyprus. Otia lentus
Dum carpit, luxu & marcens haud conſulit Orbis
Soliciti famam, quem fruſtra e ſede minatus
Concuſſiſſe, trucis cur nos immane Tyranni
Deſtruimus meritum? Verbis at pugnat acerbis?
Audendo dudum didicit velare timorem,
Pectora dum pallens imbellia concutit horror,

Quæ

Digitized by Google

Quæ fuga comprendit curarum, odiumque pericli.
At quamvis amens cæptis immanibus inſtet,
Auroràque inſlet minitantia claſſica totâ,
Incaſſum furit. Extractus niſi miles Averno
Inſtauret pugnam, Thrax penè relinquitur enſi
Ipſe ſuo. Timet Ægyptus, Lybiæque Tyranni:
Fruſtra Arabas Campſan ſcelerata invitat ad arma.
Hinc inſtant Perſæ: Æthiopes hinc bella minantur,
Si Regno excedant Turcæ: fruſtraque pudendum
Auxilium a ſociis Orbis Rex quærit Eoi.
Moldavam tentare fidem, populoſque bibentes
Danubium fruſtra ſatagit: fierique recuſant
Haud ulla Valachi tandem mercede nocentes.
Ignavos lethi metus urget: fama relatæ
Haud quemquam impellit palmæ. Vix Thracia conſtat,
Dum reliqui rupere fidem, torpore vel hærent
Attonito populi. Scelerum nox horrida terret,
Quos egit furor Odryſio ſervire, Coſaccos.
Tartariam invaſit peſtis: quæ paſcitur ipſam
Bizantj regalem Urbem: gens obſita ſqualet
Infernæ pallore domus. Conſpirat Avernus
Cum Superis, ſævitque tuos dum, Sarmata, in hoſtes,
Bellum urge. Vix mortali victoria quicquam
Debebit dextræ. Laſſatum in crimina fulmen
Non torpet. Nullas meruerunt ſolvere pœnas
Cælicolis Thraces? Facilis ſua Regna tueri
Eſt Deus. Una poteſt Lechis cauſa eſſe timoris,
Haud cauſam cognoſſe ſuam. Vindex ne Tonantis
Formidet miles? Virtus ſecura feratur
Quò ſe fata vocant, quò votis proripit Orbis.
    Si pereas, æquo meritorum Judice quæris
Funera. Sors utra contingat, Victoria certa eſt.
Clara immortalem pariunt ſi fata Triumphum,
Exoptat clades, palmas timet inclyta Virtus.

In

In Vexillum Imperatoris Turcarum a Joanne Sobiesko Supremo Polonorum Exercituum Duce conſecratum Sanctiſs. Pont. CLEMENTI X.

Carmen Statii Stylo,

Dictum ab Authoris Auditoribus anno 1674. in Aula Maxima Collegii Romani,

Pridie quàm Romam afferretur Nuntium ejuſdem Excellentiſſimi Ducis Sobieski electi in Sereniſſimum Poloniæ Regem.

P R O L U S I O.

REgale Vexillum Imperatoris Turcarum, quod Supremus Polonorum Exercituum Dux Excellentiſſimus Princeps, & incomparabilis Heros Joannes Sobieski Sanctiſſimo Pontifici Clementi X. devovit, ut Romam gaudio erexit, ita Muſas animavit ad cantum. Expendimus in Carmine quot nominibus Vexillum debitum fuerit Sanctiſſimo Patri, & quàm ſapienti conſilio fuerit ab eodem Apoſtolorum Principi religioſiſſimè conſecratum. Quoniam verò in Epiniciis olim ſcriptis, & nuper in Paræneſi, ſemel, & iterum, qualicumque Virgilii Stylo, & rurſus Lucani charactere Polonæ virtuti plauſimus, juvat in præſentia magnanimum Statii volatum, licet imparibus alis, tentare. Quis enim æmuletur eximiam in hoc Vate facultatem, qua multiplices rerum formas imaginatur, ideoque diſertæ Picturæ artificium, quo ita eas carmine repræſentat, ut ſi eædem coloribus exprimerentur, jucundiſſima oculos admiratione ſuſpenderent: acumen, quo animos ipſos pervadit, & eorum regnum ſpectandum oculis exhibet: vividas, & experrectas figuras Interrogationis, Admirationis, Sarcaſmi, ideſt amaræ, ac inſultantis Irriſionis: creberrimas Similitudines: mirabile Incrementum, quo frequentiſſimè, & ingenioſè materiam illuſtrat: grandiloquum denique verborum Sonum, ac Stylum perpetuis ferè metaphoris, aliiſque tropis aſſurgentem?

Aggredimur Carmen ab adhiberi conſueta a Statio in Sylvis amplificatione rei, deſcribendo Quiritum gaudium oculis uſurpantium erepta hoſtibus Fidei Trophæa, iiſdemque barbaris inſultantium eò quòd Vexillo intexuerint Oleas potius, quàm Lauros, argumentum probroſæ Pacis, quam perditè ambiunt.

CAR-

C A R M E N.

QUæ Petri Vexilla tholis pendentia cerno,
Auro barbarico, textoque imbuta ſmaragdo?
Quæ miſerum triplex argentea Luna pavorem
Induitur Thracum, ac trepidis vincitur Olivis?
Biſtonas ad Bellum rapuere ferentia Pacem
Signa intexta Oleis? Sic martem Aurora minatur?
Sobrius an tandem votis Viſirius haurit
Perpetuam Cretæ Vindemiam, amara timoris
Eluat ut Baccho? Victori Creta ſuperbo
Incumbe, ambroſiâque tuâ te ulciſcere, fortes
Extinguens animos, ignavæ & Pacis amorem
Infundens. Hinc picta oſtro manſueſcit Oliva?
Nec Laurus pavidas Lunas amplectitur audax?
Fruſtra Oleas prætendit Enyo: nulla ſoporat
Pax oblata viros. Pulchris animata pavoris
Odryſii Vexilla notis, volitantia campis
Podoliæ vidit currus auriga Bootes:
Threiiciumque auro pictum riſere timorem
Aſtra, Tyras diro tumuit cum ſanguine Thracum.
Frigida belligeros inſpirat Parrhaſis æſtus,
Dumque horret glacie, Martis flagrat ignibus Arctos.
Vincis io, Sobieske! Rotæ de culmine tandem
Dejecti Thraces damnant immania vota
Veſanis auſi furiis tentare Polonos,
Et cervi inſultare leonibus. Impulit Urbem
Laurigeræ clangor famæ: palmæque relatæ
Argumenta hilarant Romanos inclyta colles.
Sors victa erubuit ſervire clientibus Orci.
Impulit in furias amentes Eumenis hoſtes,
Ut palmas pareret cælo. Cur aurea Magno
Clementi Vexilla ſacro quæſita cruore
Sarmatiæ Mavors donet? Cur illa ſuperbis
Poſtibus affigat Clemens, evolvere geſtit
Calliope, mea Cyrrhæum dum gaudia fontem
Largius hauſere: in venis & ſuſcitat ignes
Belligeros, Aſcræa animo quæ fluctuat unda.
Dum tua, Magne Parens, Argentea Sydera adorat
Biſtonii triplex Argentea Cynthia Regis,
Incendas avidum mihi, major Apolline, pectus.
Luxuriat ſparſo Thracum dum ſanguine tellus,
Conjurata hilarat clamor Mavortius aſtra:
Lechiadæ exultant. Secum pugnantibus ardent
Quas belli exuvias Divis ſacrare, feruntur
Ante Ducem: pictæ veſtes, ardentia gemmis
Cingula, gemmati capulis radiantibus enſes,
Signa auro contexta, undantia turbine lina,
Præſidium capitis, galeæ jubar, æmula ſoli
Umbo-

Umbonum, radios cum vibrant æra, coruſcos.
Dum pia cura flagrat bellantum, ex æthere lapſa,
Nexa triumphali crines Victoria lauro,
Signiferi e manibus Vexillum nobile in altum
Evehit, & blanda alloquitur ſic voce cohortes.
Auguſto hæc Fidei ſunt debita munera Patri,
Is Cælum precibus fractos armavit in hoſtes;
Abſenti Deus Odryſias evertere turmas
Annuit. Arcana haud unquam ſunt irrita tela,
Clementis pharetra in Regem quæ torquet Eoum;
Cruda olli virtus, viridiſque illuſtre ſenectæ
Eſt robur: fortis cæleſtia ſurgit in arma
Canities: in Threiicios illi omnia Romæ
Templa tonant; ſacra cuduntur fulmina in æde,
Per noctem vigilant noſtris ubi vota triumphis
Chriſtiadum Patris. Nobis ſi plurimus ignis
Excubat aſtrorum, ſacris totumque ſub armis
Collucet cælum, nobis prece Numen amicant,
Atque armant Superos Clementis vota faventes,
Si manifeſte tuas impellis, Koſtka, phalanges,
Qui te aris donat, rapit in certamina Clemens.
Ut quondam Iſacidis pugnantibus adfuit æther,
Alatam mentem dum Moſes inſerit aſtris,
Nec votis tantùm Clemens in Tartara pugnat,
Solicitas totum curas dum ſpargit in Orbem,
Olli primus amor, princeps & cura Poloni
Nominis eſt. Noſtras legiones inſtruit auro,
Atque Virum huc legat, qui vincens Pallada mente,
Mercurium eloquio, ſæva ambitione furentes
Sarmatiâ Eumenidas pellat: cunctantibus addat
Principibus calcar Fidei cæleſtis in hoſtes.
Dum volat aereas bruma flagrante per alpes,
Illius eximias celebrans huc Fama præivit
Divinas dotes: parcam in præconia Famam
Vidimus, ambroſio quando hauſimus ore loquentis
Manantem fluvium: Procerum cum pectora flexit
Civilis ſtudio Pacis: fax primaque belli
Biſtonii fuit: in numos & præbuit ultro
Conflandum menſæ argentum. Tibi grandia legans,
Sarmata, Bonviſium dat propugnacula Clemens.
Ergo illi, qui nos ſtimulis cæleſtibus urget,
Per quem nobiſcum pugnantia ſenſimus aſtra,
Unde fluunt vires, huic Palmæ ſigna relatæ
Debita ſunt, hoſti rapta hæc Vexilla feroci.
Dixerat, & Labarum Sobiesko ut tradidit, alas
Explicat, & curſum æthereas molitur ad auras.
Haud mora: Sarmatici Dux invictiſſime belli,
Te pius ardor agit Cælo parere jubenti.
Evolat emenſum Boreæ canentia regna,
Atque iter, Auſoniæ quà mitior intepet aura,

Digitized by Google

Ac exultantem Vexillum fertur in Urbem,
Excipiens blando Clemens quod fulgure riſus,
Obtutu læta ora premit: tum plurima gaudet
Scitari, & longo vix explet gaudia viſu.
Nec minus auguſtâ dignatur tangere dextrâ,
Tartara quæ claudit, quæ nutu ſydera pandit:
Infuſumque Oſtro Thracum ſpectare ruborem
Exultat, ſolùmque hebetat ſpes gaudia major.
Tum ſic orſa loqui Magni ſunt ora Parentis.

Lechiadum virtus fortunæ crimina delet:
Auroram quamvis totam deſcendere mendax
Concineret fama, objeciſtis pectora Thraci.
Sancta pias rapuit clara in diſcrimina dextras
Ambitio: Threſſo contraria fata Tyranno
Illuſtrem retulere vicem. Quæ mittitis Orco
Pabula! Biſtonii quantùm generoſa cruoris
Exaturata ſitis! Boreas dum ſævit in Arctos,
Has peperit palmas Sobieski nobilis ardor!
Romulidum quondam virtus, quæ ſubdidit Orbem,
Cum fremerent nimbi, haud ſuevit tentare Gradivum.
At nunquam poſita Sobieskus caſſide ceſſat.
Æternum Cæli haud hebetat Mavortia frigus
Pectora. Cum viduas Regni non flectis habenas,
Magnanimis, Princeps, quem ſpondent aſtra Polonis,
Sic Oriens fractus? Thraces quo funere merges
Impoſitus ſolio, qui jam venture timeris?
Laudis anhela ſitis, jurataque dextera Cælo,
Quas Erebo ſpondet clades? Ut Numina contra
Tendere te incaſſum, veſane, fateberis, hoſtis!
Eveniet: Lætam ſpes extrahit inclyta mentem.

Hæc ait, atque animis, oculiſque frequentibus axem
Aſpiciens, aliud videt aere penſile Signum,
In quo Dædaleis depicta coloribus ora
In pavidos Thracas torquentis fulmina Petri.
Miratur Magni ſtudium teſtantia Patris
Prodigia: &, Petri quâ occurrunt aurea Cælo
Templa, jubet ſacro ſuſpendi e pariete Signum.

In plauſum erigitur ſepteno culmine Roma,
Atque hilaris quatit aſtra fragor, per compita fertur
Dum canis Odryſii probrum: via murmurat omnis:
Per fora funduntur feſtivæ gaudia turbæ.
Aſperat ut quando ventorum pugna profundum,
Frangitur ad ſcopulos magno maris unda tumultu.

At cum pervenit Labarum, quà marmora Pontem
Ut tibi ſacrarent, Michael, Dux inclyte Cæli,
Fluxerunt Ligurum montes, regalia muſco
Colla levat Tyberis, Vexillum & nobile ab undis
Dum videt: Hunc, inquit, Galilæi gloria ponti,
Et fluviis dilecte, Hominum Piſcator, honorem
Fluviorum Regi indulges, ſpectare triumphos

Digitized by Google

Ut valeam ſacros, qui cum Tarpeja ſubibant
Saxa Jovi veterum ſacranda trophæa Quiritum,
Illa meo ſemper libavi mœſtus ab alveo.
E Vaticano melius tu fulmina torques,
Cum Capitolini tandem ridenda Tonantis
Fulmina detonuere: rubet tua dextra triſulcis;
Barbara quæ Regum transfigunt agmina, telis,
Marte triumphator pulſo, turbaque Deorum,
Tu Romæ imperio moriendo potitus, & Orbis.
Fulmineas acies Lybiæ rapiebat ad Urbem
Annibal, ut noſtræ Romanis cædibus undæ
Hærerent, poſtquam fumarat ſanguine primo
Ticinus: Traſymene rotans ingentia gentis
Funera Romuleæ, vix eluctataque in æquor
Purpureum Trebia, incaſſum indignata, rubebas.
Præcipiens animo Vates ventura ſuperbo
Tunc dixit Lybiæ Monſtro: Nil tela, nec enſes
Profuerint tibi, prætumidi nil pectoris æſtus.
Non tu Romana victor regnabis in arce.
Hanc olim nudus, remo qui verberat undas,
Invadet, letho mercatus regna probroſo.
Militibus fruſtra, quam ſpes jam devorat audax;
Urbem partiris pretio: atque e culmine montis,
Incola ceu Pholoes, ac fratres fronte proterva
Ætnæos referens, rutilanti fulgure dextræ
Ad ſtragem invitas Afros. Te ferreus agger
Fruſtra ambit, niſi ſubversâ cui turpe reverti
In patriam eſt, Româ, quem lactat magna pericli
Egregii ſpes, quem ſtimulis incendit Enyo.
Cingeris incaſſum, veſane, horrentibus armis.
Quam tu ſuſpiras fruſtra, regnabit in Urbe
Piſcator. Poſtquam attonitis hæc auribus hauſit
Annibal, infrendens, indignatuſque Tonanti,
Secretus coquit invidiam: dolor, iraque mentem
Exedit: arcano cordis pallore notatur
Invitus vultus: quas anxia pectora potant,
Incluſit lachrymas furor ebrius. Obruit ingens
Tunc acies metus, immanis Ducis impetus hæret
Dum ſegnis: compreſſa fames dum Tygridis Afræ
Molitur reditum, grave, & illætabile murmur
Agmina permiſcet. Diſcedit nubilus irâ
Annibal exutus fortunæ dona ſuperbæ,
Et Piſcatori regnandam deſerit Urbem.
Evenere, olim quæ Mavors horruit Afer.
Retia qui traxit, regnat Piſcator in Urbe.
Aurato inſultant tecto quæ Templa Neronis,
Sacra, Palæſtinas, Petro, qui diffidit undas
Remigio: trifido ligno quem perfidus olim
Suffixit Nero. Barbaricis hæc Templa trophæis
Nunc rutilant, Fidei Petrus dum fulminat hoſtes.

Talia

Digitized by Google

Talia ſuſpiciens Thracum Vexilla profatur,
Æſtuat & ripis animoſus Tybris anhelis.
At Labarum auguſtam trepidans defertur in ædem,
Sacra triumphales cineres quà ampleſtitur urna,
Divinæ flagrant ubi tot poſt ſecla favillæ.
Dum raptæ Thraci exuviæ ſacrantur ad aras;
Nubibus undantur feſtivaque Templa Sabæis,
Lectus Divorum cœtus convenit ab axe,
Ut fracti Odryſii Petro gratetur honorem.
Hos inter Primi facundia clara Leonis,
Verba notis Arabum Vexillo intexta notavit,
Queis ſe Chriſtiadum Thrax appellare Flagellum
Audet adhuc: Hoc exultans & nomine in urbes
Auſonias, ait, irruerat quondam Attila vecors,
Sed tunc Hunnorum latè agmina proruit idem,
Qui nunc Biſtonidum victor ruit agmina Petrus.
Turbidus Auſonios irruperat Attila campos
Excidium Romæ flagrans: Aquileja ſuperbos
Dat ſubverſa animos: cæcà nec Numina curâ
Metitur: præceps in prælia cogit Erynnis,
Vadit atrox, undam Eridani quà Mincius auget,
Vim, ſcelus, arma, dolos, agitans, & funera Romæ.
Ut colubrum, cui longa ſitis de corpore virus
Convocat in fauces: fuſo ſic ſanguine ovantem
Fundendi magis incendit ſitis atra cruoris.
Auſoniæ tumidus ſed dum cedentis anhelat
Regnum animus, fractas extemplo in pectore vires
Miratur, fruſtraque acuit: caligine mentem
Fuſcatur, victuſque animis trepidantibus hæret.
Lampada Tiſiphone fruſtra quatit: iniicit arma
Cunctanti Alecto: Veteres reminiſcere palmas,
Fruſtra inquit pavido, & currus auriga Megæra
Impellit fruſtra. Ut torrens, cui verna ſolutæ
Dant alimenta nives, campos inſanus inundat;
Prædatur ſegetes, & deſperata coloni
Vota rapit, donec frænatus ab aggere, fluctus,
Et furias ponit. Gelida formidine torpens,
Attila, ſic hæres: ſic, quas Bellona phalanges
Nequidquam invitat mota face, perculit horror,
Cæleſtis nigro terret de turbine imago
Lymphatum monſtris Regem; liventia tabo
Lumina proſpectant te, Cæli Claviger, enſe
Fata intentantem. Idaliæ metuere chelydros
Non adeo volucres, trepidant ut corda Tyranni.
Teſtatur regnare Deum tuus, Attila, pallor,
Ac tandem timidum crimen, nubeſque ferocem
Involvens animum. Magni fugis immemor auſi,
Oblitus Famæ; quamvis jam parta trophæa
Ignavo reditu in patriam, turpique pavore
Dedecorare piget, frendens veſtigia torques.

Gorgo-

Gorgoneos clypeos, Siculæque incudinis ignes
Mentiris, Pinde. Immenſus nunquam æthera contra
Exarſit Briareus Geticæ de culmine Phlegræ,
Exultans clade ut Princeps, qui, triſte renidens,
Irati dixit ſe Numinis eſſe Flagellum.
Turcarum hæc ambis ſi nunc immania Ductor
Nomina, dira manent Hunni te fata Gradivi.
Hæc Leo, quem Templis nuper donatus, & aris,
Excepit Pius. Hæc primùm vexilla Quirites
Suſpiciunt, ex quo Ambraciis Romana trophæis
Templa exultarunt: atque hæc quoque præbuit Urbi
Signa Thetis, rubuiſſe Tyras nam ſanguine Thracum
Gaviſus. Tunc Actiacis pugnavit in undis
Piſcator. Quos optas luctus? Triſte furoris
Te pretium, Selime, manet. Pugnare Tonantem
Aſpicies. Animus vecors tibi Numen, & ira?
Undantes acies cernis, ſubitoque pavore
Perculſas? Rapidæ incurrunt vix æquore puppes,
Cum terrore ruunt lymphati in funera Thraces:
In ſtygios amnes infanda ad prælia raptos
Proruis innumeros: nullo ruit ordine clades.
Corda ſuperba fremunt, inito cum fœdere cernunt
Conſpirare Ætnam hoſtili de claſſe tonantem.
Cum fremitu undarum Turcas in fata vocante.
In vallum aſſurgunt fluctus, viſique cruore
Incendi, oceanoque animos dat Numinis ira.
Invitant avidæ toto dum gurgite lymphæ
Odryſios, eadem fluctus, animoſque procella
Exagitat: mugit pelagus, mugitque ruentum
Inſanus fremitus. Thracum ſic nuper anhelans
Fata Tyras diri vectigal nobile Nereo
Sanguinis exhibuit, quamvis evolvere in æquor
Vix lymphas valuit, dum fluctus cladibus hærent,
Amnemque avertunt congeſta cadavera ponto.
At dum vipereo ſpumant vada nigra cruore,
Stantes Threiicii vis ſanguinis impulit undas.
Non ita Dyrcæos pepulit cum cædibus amnes
Turbidus Hippomedon, miratæ flumina Nymphæ
Purpurea intremuere, Tyras ut quando cruento
Perfuſus tabo, fluvio ſurrexit ab imo,
Et quatiens madidos ferventi ſanguine crines,
Thracibus inſultavit atrox, & barbara in æquor
Ipſe manu valida propellens corpora, in alveo
Ferre indignatur jam debita pabula Averno,
Purgatiſque undis ambit ſervire Polonis.
Deſierat Pius: hunc alii quem deinde ſequuntur
Pontifices. Sed Divûm, audax, te, Pieris, infers
Concilio? Tantone tibi Cyrrhæa moventur
Antra Deo, tantus nervos intendit Apollo?
Ne tenui molire chely Divina Senatus

Arcana

Digitized by Google

Arcana Ætherei: ſolùm quæ gaudia terras
Exhilarent, refer, Odryſiis cum rapta trophæa
Cælo oſtentantur. Florent tunc lumine poſtes
Arcano, lætoque exultant Templa tumultu.
Romuleæque nurus, pueri, innuptæque puellæ
Scire ardent, quis dona tholis ingentia ſacris
Deſtinet, atque aliqua indigitans Vexilla favillis
Impavidum gaudet ſacris incendere natum:
Artubus incurrit lætus puerilibus horror.
Aſt alia: Hoc, inquit, Labarum ſcelerata Memeti
Thracia ſacrarat, ſed fruſtra in vota vocatum
Monſtrum, quod Furiæ exhorrent; Styx livida mœſto
Sit quamvis recluſa ſinu, & properarit ab antris
Tænareis inſanus Arabs: in turbine belli
Ipſe ſuum quamvis Vexillum amplexus anhelet,
Imbellem Alecto precibus fruſtraque fatiget,
Incaſſum cecidere preces. Vexilla Polonus
Eripuit victor: Paries veſtitur Eois
Nunc tuus exuviis, fortiſſime Claviger Axis.
Æneadum hæc adeo recolunt dum murmura, ſacras
Ante fores, Labarum quibus imminet, aſtitit inflans
Fama tubam. Hæc, inquit, Thraci ſint quando feroci
Signa erepta, cupis quiſquis cognoſcere, fauſtis
Auribus excipias, verax quæ Fama profabor,
Quæque oculis ſubjecta meis. Dum bella recuſant
Odryſii, oppoſitis ſtetit horrens curribus agger,
At certus ferro ſceleratam excindere gentem
Sarmata caſtra audet munita irrumpere; triſtes
Deſtituuntur equi: vellet ſeſſoris honori
Miſceri quadrupes, calcare & pectora Thracum,
Impaſtus ceu plena Leo per ovilia victor
Graſſatur, rabidi invadunt tentoria Lechi.
Quis miſtam memoret cladem vulgique, ducumque?
Exultat mors atra: labor victoribus ingens
Eſt, palmas metere; at vires inſtaurat, & iram
Ipſe labor. Tremuit tellus concuſſa ruentum
Impete: ceu vaſta montis cum mole Typhœus
Preſſus, obire vices pœnæ conatus iniquæ,
Impoſitas Arimas inferno horrore flagellat.
Dira fremunt valles, & reddita montibus echo.
Caligat belli ſol pulvere: turbinis atri
Inglomerat noctem denſa caligine nimbus;
Armorum at ſolvunt rutilantia fulgura noctem.
Nec caligantes ardor Mavortius agros
Formidat: ſcintillæ oculis abſiſtere viſæ,
Et reparare diem. Trepidi tot funera pallent
Solis equi: penè infectus jam ſanguine currus
Abrupto rapit in fluctus Hyperiona curſu:
Penè ſuas horrent Lechorum gaudia palmas.
Interea partes Ductor diviſus in omnes,

Et

Digitized by Google

Et palmas umbone gerens Sobieskus avorum,
Campum obit: e galea prodit jubar: emicat undis
Sydus ut exurgens. Magni ſolatia fati
Pluribus indulges, quos dat tua dextera letho.
Circumſtant fremitu Heroem, innumeræque laborant
Excindi turmæ. Hetruriæ Pax gloria quondam,
Nunc Lithuana trahens in bellum fulgura Martis,
Antevolans omnes Dučtor metit arduus hoſtes,
Ingeminatque ictus. Riphœas fervidus irâ
Jupiter haud tundit tam crebra grandine cautes.
At plures claro dignatus perdere ferro
Omnibus e turmis, Thracum Dux horride, tantùm
Nobile te in Martis diſcrimen voce tremenda,
Uſſaine, vocat. Tibi vix veſtigia conſtant;
Namque animi rapuere diem bellique tumultus,
Et cordis. Tamen e caſtris in aperta phalangas
Æquora camporum exturbas: hìc ſævior ardet
Lechiadum virtus: rabidorum more luporum
Irruit in Turcas: madidus ſudore cruento
Ardet ager: Threſſis ut cladibus æſtuat aer!
Terribiles morientum iras quis carmine pingat,
Flagranteſque oculos, odiumque in funere vivens!
Falcatos diro gladios dum turbine torquent
Sauromatæ in Thraces, quos impoſuiſſe tributum
Sarmatiæ haud puduit: Tantùm hoc, obliqua tuentes
Vectigal, dicunt, novit perſolvere ferro
Odryſio Regi victoris dextra Poloni,
Tartara quo ditat. Pavidis dum fervidus inſtat
Sarmata, queis ignava ſalus, vitæque probroſæ
Supplicium placuit, pedibus timor addidit alas,
Et cœca attonitos rapuit fuga; nuntius aures
Ut, Campſane, tuas funeſtet, & agmina, ſerum
Quæ trahis auxilium. Sed jam turpiſſima clades
Eſt oculis ingeſta tuis ſpectare coactis,
Quæ tabo madidæ Odryſio rediere, volucres.
Crudelem metuunt veniam quæ pectora Thracum,
Atque ardent famam projectâ extendere vitâ,
Funduntur circa Labarum, quod ſæpius aer
Implicat, & circùm picea caligine nimbus
Denſatur: planctum accipitres imitantibus alis
Vexillo incurrunt, nigro quod ſanguine rorat.
Crebris attonitus monſtris Vexillifer horret,
Moliturque fugam: trepidant induta ferentis
Signa metum. Lethale furens, & mentis inanis
Dučtor ait: Claram dubitas invadere mortem?
Omnis ſic animo pudor excidit? Hanc mihi vecors
Spondebas, Arbane, fugam? Sic gloria Regis
Excidit Odryſii? Precibus convicia miſcens
Hæc memorat, revocatque alacres in pectora vires.
Stipantur circa Labarum fortiſſima Thracum

Agmi-

Agmina, quorum acuit ſpes ut jam nulla furorem,
Æoliæ nec bella fremunt. Sed fulmina ab arce
Syderea velut exiliunt, it Ductor in hoſtes,
Quem Kodkevicii magna de ſtirpe creatum
Senſere; haud patrius Turcarum e pectore Mavors
Excidit. Innumeros avido petit enſe, latebras
Signifero explorat cordis, Labarumque ruenti
Extorquet. Veluti cum fœta cubilia cervæ
Ingreſſus matrem interimit leo, & ore cruento
Hinnuleos rapit. Ut terram concuſſit anhelam
Signifer: alta velut, cui crebrò impacta ſecuris,
Populus: huic verbis Sobieskus fata ſuperbis
Aſperat. At noſtro manans hoc ſanguine Signum,
Siſtere Cracoviæ tua dextra ſpopondit in arce
Odryſio Regi. Everſi in penetralia Regni
Cur non fertis iter? Thracum ſic ergo feroces
Detumuere minæ? Sic belli inſana libido,
Quæ Mundum pavido Arctoum ſpoliare tumultu
Jamdudum flagrat, atque Italos irrumpere fines,
Inque ipſa Regnum ſibi deſtinat Urbe Quiritum,
Torpet iners? Alios ceſſant afflare pavores
Odryſii? Nondum coeuntia cornua Lunæ
Intueor, quæ picta notat Vexilla Tyranni
Biſtonidum? At dudum totum exhaurire laborat
Thrax Orbem. Lenocinium, fraudeſque malignæ,
Queis populos captat, bellique occulta doloſi
Furta nihil Turcæ, nil profuit impetus amens?
Chriſtiadæ metuant, ne barbara Cynthia pleno
Orbe olim coeat? Quamprimùm cornua Lunæ
Frangentur, vecors niſi nos diſcordia perdat.
Tandem rara movens inglorius agmina languet
Viſirius, quondam tumidus, gladiumque minatus
Pacem ambit. Retulit quam nuper, palma carinæ
In pelago eſt ſimilis calli, quæ ſcindere viſa
Neptuni Regnum, ac Nereo inſultare trementi,
Nulla ſui tandem linquit veſtigia curſus.
Odryſio quas imperio Mars addidit arces,
Sunt onus, haud robur. Quot ſponte immergeret antris
Tænareis, recluſus iter ſi panderet Orcus?
Nec validum Scyta præſidium, nec grande Coſacchus
Threiiciis affert: nec rarò incommoda ſecum
Gens trahit, & parti exitium, cui perfida adhæret:
Ut ramos hedera extinguit, queis nititur. Urget
Moſchua Sarmatiæ crebra nunc clade rebelles:
Mox ruet in Thraces. Dorocenske, hortare Poloni
Ad prædam ſceptri Turcas: te Moſchua perdit
Interea. At fruſtra invitas ſua regna tueri
Invalidos, nedum Arctoi latera ardua mundi
Oppugnare. Suos Mars ſæpe in Biſtonas egit
Ædonos currus. Belli civilis Enyo

Digitized by Google

Sæpe Arabas, ſæpe Aſſyrios exuſcitat. Ardet
Ut crebra Leo febri, Oriens ſic ſæpe rebelli
Seditione flagrat. Populis inviſus Eois
Exulat æternùm Bizantj ex urbe Tyrannus,
Formidata domi quamvis diſcrimina ceſſent,
Sarmaticum Odryſii bellum, manifeſta volare
Difficiles in fata, horrent: & conſcia cladis
Biſtoniæ loca, Turcarum & qui ſanguine pinguis
Spirat adhuc, terret campi feralis imago;
Threiiciis terrent ululataque manibus arva:
Deteſtata Ducis furias atque agmina terrent
Oſmani, augurio terret fatale Cocimum.
Hircanæ ut Tygridis trepidat jejunia paſtor,
Sic veteres horrent clades, ſocioſque vocantes
Tænariam ad ſedem Turcæ. Si peſſimus augur
Ignavus pulſat timor anxia pectora Thracum,
Lechiades bello exultans trepidantibus inſta.
Qualiſcumque decet fortes vindicta Polonos?
Et ſatis eſt hoſtem pepuliſſe? Una obruat iras
Palma? Nec incendat ſpes inclyta nobile robur?
Cernitis, ut raptum, dextrâ quod præfero, Signum
Prodigiale rubet, portendens funera Lunæ?
Anne adeo refugo torpemus ſole Geloni,
Ut poſtquam noſtros Turcarum amentia fines
Invaſit ſæpe, haud unquam nos viſcera Thracum
Irrupiſſe juvet! Dacis, Mœſiſque ſubactis,
Conſpirant quando nobiſcum fœdere Moſchi,
Helleſpontiacas dejectum vadimus arces?
Europæ vota implemus? Fortiſſima virtus
Urgeri precibus rubeat. Qui primus in hoſtem
Caſtra movet, bello quæ ſint magis apta gerendo
Tempora, quæque magis conducat, Martis arenam
Eligit. Hæc ſemper linquemus commoda Thraci?
Barbara Chriſtiadum vires ſolertia vincet?

Digitized by Google

In Victoriam Polonorum de Turcis relatam fauſtiſſima die, qua renuntiatus eſt Sanctiſſimus Pontifex INNOCENTIUS XI.

Carmen Virgilii Stylo

Ab Authore dictum anno 1676.

REgnatis, Superi. Generoſa Polonia Thraces
Evertit, qua luce datur Pater Optimus Orbi?
Vera canens, nec vana fides, Fama impulit Urbem?
Ebrius exultat meritò Tybris? Aſtra pudorem
Mortalem vicere. Unum tot munera ſolem
Fortunant? Accepto audet vix credere dono
Anxia mens. Adeo Superis mortalia cordi?
Ergo ſacras vix, Alme Parens, aggreſſus habenas
Tractare, intorques cæleſtia fulmina in hoſtes?
Hanc nunquam rapient ſub nubem ſecula lucem,
Quæ decima Octobres anteivit fauſta Kalendas,
Haud cæco Fortuna rapit mortalia curſu.
Hæc Tibi dant Superi, ſpes, & cuſtodia Mundi,
Dona, Pater. Magnus ſua munera conſecrat Author.
Incaſſum certas nutu compeſcere plauſus,
Inſolito queis Templa vibrant clamore Quirites,
Atque tui celebrant optata exordia Regni.
Dum noſtræ exultant lachrymæ, communia fruſtra
Gaudia conquereris: multoque madentia ſemper
Numine corda ſacros fruſtra ſolvuntur in imbres.
Qui rigat auguſtum vultum dolor, ora frementis
Ut Populi frænet, Cæli num gaudia ſiſtet?
Ipſa, viden, plaudunt Tibi ſydera. Bellica Thraces
Quæ tormenta vorant, plaudentis flammea Cæli
Ora, reor. Conjuratis quæ fluxit ab aſtris,
Palma Tibi Pæana canit. Tu Numina Terris
Concilias: Tu præſidii fortiſſima Turris
Sauromatis: Tu Biſtonios es fulmen in hoſtes.
Tu ſacra nondum terrarum, Cælique coactus
Sceptra ſubire, Tuos armaſti divite gaza
Lechiadas: largo pluvius Tu Jupiter auro
Illapſus Boreæ, jam tum regalia geſtans
Pectora, ditabas Reges. Nunc Phœbus ovantem,
Quæ Numen ſenſere Tuum, rape in inclyta Vatem
Prælia. Quo flagrans animos Helicone rigare,

Et quibus elatus pennis tentare volatum
Audeat, hoc fœlix qui flectat Apolline curſum?
Sarmatici Rector mundi, quo ſoſpite temnit
Pellæos Arctos Reges, majore ſuperba
Alcide, magnis actus præcordia curis,
Purpurei longùm dum vertitur urna Senatus,
Atque hærent immota diu, nil tale merenti
Præſidium, & Sancti decus allatura Parentis
Fata orbi, hæc alto verſabat pectore. Sacrum
Accipiet Regnum Cælo gratiſſimus Heros,
Cui cordi ſumus? Odryſios quique aurea in hoſtes
Spicula Tarpeja largus jaculatur ab arce?
Quas tunc Turcarum clades, quæ funera gentis
Threiiciæ nuper perſuſus cornua Tyras
Sanguine barbarico ſpectares! Ipſe ruentes
Sauromatas Bizantj in mœnia, decolor undâ
Boſphore, palleres. Nec tantùm Sarmata Regnum
Ambit Odeſcalchi. Mecum domus utraque ſolis
Illum ſupplicibus votis implorat ab aſtris:
Illum flebilibus plorans Aſtræa querelis,
Illum inopum lamenta, illum fora turbida luctu
Extorquent. Noſtris aſt illius inclyta virtus
Heu votis obſtat. Reges ſuus impulit ardor,
Et noſtræ movere preces, ut ſponte volantum
Concilium Patrum urgerent: Illi agmine facto
Conſpirant. At mœſta refert mihi Fama recepto
Numine flagrantem fortunæ dona faventis
Heroem trepidare: truci compeſcere vultu
Spondentes olli Regnum, triſtiſque ſevera
Nube ſupercilii, meritos quæ temnit honores,
Sceptra dolent contempta, & Gloria mœſta repulſam
Formidat. Pulchri nova quæ certaminis orbem
Suſpendit facies? Illum flexiſſe laborat
Regalis Cœtus, ne ſceptra Vicaria Cæli
Abnuat: ille ſibi exhorret ſuccumbere mundum.
Quò ſeſe Fata evolvent? Num crimina palmam
Atque Orcus referet? Vincet num cauſa Tonantis?
Spes pallet, magnique timet fiducia voti.
Dixerat. Interea curis alia ingruit urgens
Pectora cura recens. Inſtant horrentia bella:
Perjuri armorum nimbos vomuere Coſacchi:
Tempeſtas Scythiæ incumbit. Nec ſegnis in Æmo
Mars cubat. Odryſii vires, & dextra Tyranni,
Venerunt Vigiles ſueti Prætoria Regis
Pectoris objectu munire. Hos æmula virtus
Æternam inflammat Macetum ſuperare phalangem.
At non multiplici ſtipatus ab agmine Princeps,
Sarmatiæ Alcides, librans diſcrimina Martis,
Aſpicit Aligerûm Reginam ſtrage Draconum
Purpureis pennis ſupera ad convexa volantem:
Semeſum roſtro colubrum, geminoſque cohercet

Ungui-

Unguibus, incaſſum qui linguis damna triſulcis
Victrici, & peſtem minitantur: ſibila colla
Invadit volucris, fciſſos & proiicit artus
Dira ſuper Turcarum caſtra. Hæc omina Regem
Exhilarant. Colubros nam quæ diſcerpere gaudet,
Inquit, Avis noſtri Regalia Stemmata pingit
Herois. Nunquam hæc dapibus ſaturata coemptis
Illuſtri pugna noſtro quæ pabula ferro
Turcarum ſpondet? Dum fida Miniſtra Tonantis
Regnat in Urbe, hæc Arctoo ceu fulget in axe,
Tartarei exitium, & clades trepidate Chelydri.
Dum pulchris inhiat Signis, vicina frementis
Perpetuo Boreâ nemoris qui luſtra ſubivit,
Dux Equitum, explorans fraudes, & furta Scytharum
Bellica, prodigiis implet majoribus aures.
Namque ait: Haud unquam Germanis cognita ſylvis
Bellua ſemoto nuper prodivit ab antro,
Marmaricus Leo, flagrantis tantùm incola mundi.
Clade ovium ſaturi viduata mapalia linquunt,
Aſſuetumque lupi ſubeunt nemus, ora cruenta
Lambentes, aliamque famem irritare laborant:
Cum ſupra trepidum nemorum Rex irruit agmen:
Unguibus aggreſſus tergum partitur in omnes
Vulnera raptores, miſeroſque ulciſcitur agnos.
Dixerat. Auguriis exultant pectora Regis,
Ora ſerenantur riſu: Novus accola ſylvas
Intrat Hyperboreas, inquit, qui ſceptra ferarum
Sortitur? Noſtri in Clypeo hic quoque Principis ardet,
Ut Colubris Aquilæ fatales. Martia ſacrum
Si tradat Regnum generoſo Roma Leoni,
Quas prædatorum ſtrages mea dextra luporum
Illius auſpiciis edet, qui noſtra per arva
Graſſati caulas ovium populantur inulti!
Hæc ubi dicta, petens incenſo lumine cælum
Aut videt, aut vidiſſe putat, per inane Quadrigam
Deferri nimbos inter, flammaſque coruſcas,
Electro ſimilem. Miro ſunt ordine nexi
Aeris, & Nemoris Reges, atque ignea Tauri,
Atque Hominis ſpecies. Non hunc prope flumina quondam
Spectavit Chaldæa afflatus Numine Currum
Ezechiel: nec magna tamen diſcrimina utrumque,
Rex inquit, dirimunt. Anne hoc meus ille triumphat,
Cura hominum, & Superûm, Princeps? Agnoſco Leones
Et Gentilitias Aquilas. At fervida Tauri
Cur facies rutilat, vultuſque, habituſque Viriles?
Cum ſtupet attonitus monſtris, erumpere vidit
Aerio e curru fulmen, ſceleratàque Thracum
Agmina corripere. Incenſus tunc omine fauſto
Caſtra movet, ducitque ſuas in prælia turmas.
Dant hilares ſacra ſigna tubæ. Rapit inclyta virtus
Dulcibus incenſos furiis, animoſaque pulſat

Gloria

Gloria ſolicitum pectus, dirique cruoris
Flagrat anhela ſitis: quos & fiducia cauſæ
Propulit, arcano ridens & lumine cælum,
Haud numerum penſant hoſtis, vireſque ſuperbas.
Parte alia Thracum trepidas ignavia mentes
Obſidet: involvunt oculos caligine nimbi.
Incaſſum Bellona faces in pectora vibrat:
Mars urget ſtimulis, colubriſque incendit Erynnis
Cunctantes. Tandem congreſſi prælia tentant.
Lechiadum Alcides cæleſti lampade tactus
Exemplo præit. Hunc niveis Victoria pennis
Ambit, & Odryſias deſpondens Gloria lauros.
Sauromatæ aſſurgunt animis. Non altius unquam
Turcarum in cladem falcatus decidit enſis.
Flamma vorax, pelagum verſat qui turbo, triſulcum
Sarmaticæ eſt impar telum virtutis imago.
Nec verò blandita diu fortuna pependit.
Barbaricas cædunt acies, ut meſſor ariſtas,
Chriſtiadæ. Attollunt proſtrata cadavera montes.
Nec tamen infœlix aliis hic cladibus agger
Claudit iter. Gaudent callem feciſſe ruinâ
Victores, palmâque alacres fugientibus inſtant.
Deſuper incumbit Currus, probroſaque terga
Inſequitur telis cæleſti e nube coruſcans
Fulmina Bellator. Ruit axe, inque agmina Thracum
Procumbit Pavor, ac trepidis amplectitur alis
Corda Metus. Meritum exitium, ſupremaque fata
Turcarum, rapido Romam regreſſa volatu,
Fama, refer. Regi interea, dum barbara ferro
Agmina præcipiti delet, tu gaudia Romæ
Centum, Diva, tubis cecinſti. Ut vicerit Axis:
Optatus terris ut fluxerit æthere Princeps,
Illi ut Relligio Syrma, ut Diadematis aurum
Obtulerit Pietas: ut Claves, oſtia claudat
Queis Erebi, alma Fides dederit, Cælumque recludat.
Non unquam majore Deo flagrantia corda
Imperium ſubiere Orbis: nec maxima flammas
Extinxit fortuna. Animum irrequieta fatigat
Cura Viro: imbelli non torpent pectora ſomno.
Publica fata vigil volvit, ſparſiſque per omnem
Luminibus feſtinat humum. Conſerta ſed uni
Dum ſtudio inſurgunt alia, hæc prima ingerit Orbis
Seſe cura Patri, Thracem expugnare, ſuamque
Sarmatiam munire auro. Quæ prodigus olli
Munera ſubmittit, cum primùm ſacra coactus
Regna ſubit! Nec verò æraria publica gazam
Suppeditant. Regis deceant quæ munera dextram,
Dat privata domus, quæ nunc primùm aucta ſuorum
Imperio gazæ diſpendia ſenſit avitæ.
Quid mente hac Roma, atque Orbis, quid clarius unquam
Spectaſtis, Superi? Regi quod calcar amantis

Sarma-

Sarmatiam ſtudia inſigent Patris? Illius ambit
Solari ut curas immenſa clade Scytharum,
Biſtonidumque! Sacræ ſed mira arcana Quadrigæ,
Uranie, pandas Regi. Dic, Alma, Leones
Cur Tauro, atque Aquilis currum conjuncta Virorum
Ora trahant? Scis, Diva, dies ut, nobile funus
Quæ colit Euſtachii, qui gratos edidit aſtris
Mugitus Tauro incluſus candente, beare
Decrevit miſeras cæleſti Principe terras.
Aſt aliâ, colitur qua Buccina ſacra Tonantis,
Æthiopum inſonuit quæ terris, ſceptra merentem
Ornarunt dextram. Olli inter Divina Virilis
Aptatur ſpecies Animalia. Pingitur ergo
Utraque lux aliis, quæ fert Exordia Regni,
Principis aſt aliis Inſignia ſacra notantur.
Qui torquere truces cæleſte videtur in hoſtes
Fulmen ab æthereo Curru, ſimulachra Parentis
Romulei præfert Bellator. Quanta modeſti
Majeſtas animi rutilat! Patet ore ſereno
Infuſum menti Numen, perfuſaque dio
Nectare corda patent. Talis de nube curuli
Aſſulget populis, qualem ſpectare Tonantem
Aſſueti Vates, poſito cum fulmine mitis
Omen ſuſpendit Pacis de nubibus Arcum:
Blanditur ſic ille ſuis. Cum dira tuetur
Agmina Turcarum, quis fronti, orique, quis ardor
Luminibus? Talis, cum terret fulmine ſontes,
Eſt Superûm Princeps. Tibi adornant aſtra triumphos,
Alme Parens, ſeptemque hilarat Tua Forma Triones,
Cæleſtis radio artifici quam pinxit Apelles:
Et fervere Urbem obſequio Tua juſſa vetabunt?
Mortales exempla ſequi cæleſtia quiſquam
Abnuat? Ergo aliis vigilata Myronibus æra
Fundantur. Polycletæis educta caminis
Æra fluant: & ad aſtra labor nunc ardua tollat
Praxitelis ſimulachra. Tuæ miracula Formæ
Nubifer ambit Athos. Nunquam tam grandia quondam
Pellæo Juveni ſciſſis e montibus audax
Steſicrates voluit ſimulachra effingere cælo:
Ut debet quæ Roma Tibi. Cudantur: Et Amnis
Regali cadat e dextra, quæ ditat Egentes,
Quoſque Urbem ad ſacram pietas peregrina laceſſit,
Atque ipſos gazâ Reges. Sedeatque ſiniſtræ
Impoſita Urbs; animo namque ipſum amplecteris Orbem.
At quos Victori Turcarum flectimus Arcus?
In cælum, juvat, aerias attollere moles.
Alma Themis, pretio dites accedere montes
Huc jubeas. Solido rigeant adamante columnæ:
Incumbant gemmæ, quas denſa immanibus æquet
Marmoribus ſeries. Circùm, ſupraque locentur
Divarum formæ, quæ ſacro in pectore fulgent

Pon-

Digitized by Google

Pontificis, Superis æquat quem regia Virtus.
Orandi ſtudium, quod mentes inſerit aſtris,
Alma Fides, Pudor, exornans Clementia mores,
Juſtitia, & ſacris Metanæa armata flagellis,
Et Cæleſtis Amor, quaſque enumerare laboras,
Uranie. Aſt Arcus auguſta in fronte notetur:
Odryſio, Scythico. Tellus ſed tota triumphis
Nam luſtranda Tuis, titulis pars quælibet ambit
Acceſſiſſe ſacris, quæcumque & littora ponti.
Non unquam tantam metuerunt Tartara cladem.
Styx latrat, triſtique Erebi Rex nubilus ira.
Incaſſum diro ſpumas, Lemane, veneno.
Romana augebunt Babylon, & Bactra trophæa.
Hi tibi, Relligio, Mores ſubmittere Mundum,
Aut ars nulla poteſt. Meritarum & præmia laudum,
Magne Parens, Arcus & dedignaris ovantes?
Everſus, quem Farneſii ſuſpenderat ardor
Principis? Obſequio nil indulgetur amanti?
At ſaltem ſolitos Tibi Roma inſtauret honores,
Dum Laterana petes Regni ad primordia Templa.
Cuncta vetas. Prohibere nequis, quos erigit Arcus
Attoniti mundi ſtupor, ac Tua Roma triumphans,
Altius attollens, Te Principe, ad æthera frontem,
Inveheris curru, quamvis invite, per Urbem:
Prona triumphales aptant Tibi corda quadrigas.
Nec prohibes, oculis vulgi ſubducta profanis,
Pontificum Phœnix, ſacræ miracula pompæ,
Quam ſpectant Superi cæleſti ex arce Quirites.
Quadrigam flectunt Sancti, ſpirantia Numen,
Ora Patris. Durum mordet frænata lupatum
Perfidia, Odryſii cultus induta Tyranni,
Lunamque, & fractam pharetram. Centum Hæreſis hydra
Verticibus truncata fremit: circùmque catenis
Crimina vincta gemunt, quæ cladis concutit horror,
Deciſis pennis dejecta Superbia vultum:
Squalidus it Luxus; telis viduatus, & arcu
Turpis Amor, Rabieſque ululans adamantina dente
Vincla petit: nullo ditandus & ardor Avarus
Proventu ſcelerum. Fatum mœrentia plorant
Agmina dira ſuum. Tantus dum conſecrat Ultor
Crimina, penè juvat, mores quæ influxit, Erynnis:
Solatur magnus Virtutum funera Vindex.
Non tua parcenti perſtrinxit pectora telo
Relligio, priſcum revocas qui ſecula in aurum.
Quanta, viden, Charitum circumſtent agmina Currum,
Quo Victor veheris! Cupido Te lumine figunt:
Ut Tecum regnent, Phœnicis ſecula flagrant
Ducere, qui Cæli rapis ad commercia terras.
Aſpice ſolicitas, ne vires improba frangat
Cura Tuas: meritos ſuadent neque temnere plauſus,
Et Famæ obſequium, quod per Te militat aſtris.

Scil

Scilicet his fractus ſuccumbet viribus Orbis.
Aſt inter Divas roſeo Pax aurea vultu
Fœdera Chriſtiadum ſpondet, Pater Optime, Regum.
Jus quodcumque Tibi virtus Divina volentes
Aſſerit in Reges: jurataque ſpondet in hoſtes
Agmina Threiicios. Illos Tua nomina terrent:
Viſirium exagitat cordis lethale venenum,
Dum fremit, & fruſtra captivus vincula mordet.
Helleſpontiaca, Monſtro, quod regnat in aula
Anxia ſollicitus populatur pectora vultur.
Sarmatia interea ſacrum, & Germania Martem
Urgebit, Romæ, Superiſque faventibus inſtans.
Mox omnis Boreæ mundus conſurget ad arma:
Belligero gelidi flagrabunt igne Triones.
Auſpiciis & parta Tuis hæc Palma triumphis
Præludet, ſpargens majoris ſemina laudis.

CARMINA

LIBRI TERTII,

In quo pleraque Extemporalia, & duo intra totidem noctes effuſa, ferè omnia Ovidii Stylo.

Digitized by Google

Ad Eminentiſſimos Principes S. R. E. Cardinales, dum Comitia pro renuntiando Pontif. Max. haberentur.

C A R M E N.

Dictatum ex tempore petentibus diſcipulis, ac deinde dictum a Gabriele Perla Sem. Rom. Convictore in Claſſe Rhetoricæ anno 1670.

COncilium Heroum, Regum cui priſca Senatum
Haud Urbs contulerit, terræ licet, & maris alti
Finibus Imperium, famamque æquaret Olympo,
Cui neque concilium mendacia Græca Deorum
Prætulerint; magnus meritò quod ſprevit Homerus,
Sydereus naturæ oculus, ſi lumine captus,
Quamvis hinc ſpargens lethalia tela ſederet
Jupiter, hinc Mars bellipotens, hinc cæſia Pallas,
Hinc Juno, hinc piceus dextrâ Cyllenius ales.
O pulchra in terris aulæ Cæleſtis imago,
Purpurei Proceres, quibus haud Sidonia concha,
Divini aſt Agni ſanctus Cruor imbuit oſtrum:
Nutantis mundi veſtræ ſpes nititur urnæ.
Tergeminum diadema, & ſceptra vicaria Cæli,
Magnanimo deferte viro, qui navita ſacro
Incumbat Clavo vigil, & Cæleſtia quærat
Littora perpetuis oculis: quem lethifer annus,
Bellorum & victi ſcopuli, ſyrteſque doloſæ,
Æqualem primis Petri Ratis eſſe Magiſtris
Monſtrent, quos fœlix tempeſtas intulit aſtris.
Moribus ille vices videatur obire Tonantis,
Axem humero torquens, grandi nec pondere læſus;
Olli æquo pœnas, & dona examine librans,
Regnorum & nutrix donet Prudentia Claves
Aſtrorum. Pietas fronti Regina coronam,
Atque humeris chlamydem aptet Candor; Ab ore loquentis

Aurea

Digitized by Google

Aurea regali facundia flumine currat.
Cernitis, ut Mavors, Fortuna, & Rector Averni,
Faucibus & centum quæ ſibilat hæreſis h dra,
Orbem agitent? Jam penè horrens tuba verberat aures,
Jam propius volitant acies, atque horrida clangunt
Cornua: feralis vix non hinc aſſonat Echo?
Pulveris extolli nimbos, latèque videmus
Currere purpureis undantes fluctibus amnes.
Cretenſes totum clades heu ſpargere in orbem
Thrax ambit: geminum vecors ſibi vindicat Axem;
At veluti Afrorum poſtquam Capitolia clangor
Concuſſit, magnus tantis e cladibus ultor
Exarſit: pulſum Annibalem, fractumque ſub ipſis
Mœnibus Italiæ excidium Chartaginis altæ:
Atque ipſam, Lybicas quæ latè ſuevit in urbes
Regnare, everſam quis neſcit? & æmula Romæ
Mœnia disjecta, hoſtilis ludibria aratri?
Exoriare aliquis noſtris e cladibus ultor,
Qui Thracem Annibalem frangas, ubi Boſphorus ambit
Regalem Bizantj urbem indignantibus undis.
Ecquis Chriſtiadum ferales Scipio clades
Ulturus flagrat? Florentem an Gallia Regem
Viribus, atque auro, & victricis robore gentis,
Ac vere ætatis, Divorum & Numine fretum,
Armat in excidium Odryſii, funuſque Tyranni?
Frangere Biſtonium vel tu conſueta tumorem
Haud prohibes magnum, Generoſa Polonia, Regem
Exultantem armis in Thracem irrumpere? Vel te
Europæ ſpes, & columen, Leopolde, labantis,
Hiſpani adjutum fraterno robore Regis,
Threicii ardor agit pius in penetralia Regni?
Seu potius cuncti certatim irrumpitis, atque
Agmine multiplici urgetis? Jam turgida cornu
Cynthia væ totum minitatur creſcere in orbem.
An poſtquam Thraci Creſſus famulatur Oaxis,
Et Tagus, & Rhodanus, mœſtis & decolor undis
Serviet Odryſio Rhenus, populiſque ſubactis
Heſperiæ metuent hi Thracum inſignia montes,
Et fluet infrendens captivo flumine Tybris?
Europæ frænare queat qui fata, Parentem
Chriſtiadum legiſſe Sacri ſit cura Senatus.
Regum iras, aurum, curas, & moribus inſons
Ipſe ſuos armet contra agmina barbara Mores.

IN LUNAM NUBIBUS TECTAM, DUM ROMÆ

Ab Eminentiſſimo Principe

ANTONIO BARBERINO

S.R.E. CARD. CAMERARIO

Feſti exhiberentur ignes in honorem nati

GALLIARUM DELPHINI

Carmen Extemporale Ovidii Stylo

Ab Authore dictum conſequenti mane in Collegio Romano anno 1662.

CARMINIS EXCUSATIO

Edita Anno 1662.

Cum qua conferri poteſt præſens Editio.

POema hoc unica nocte properatum fuiſſe, nimium quantum ſua tenuitas prodit, & apertè patuit, cum illud conſequenti feſtos ignes mane publicè recitavi decem ferè tantùm carminibus ignium eorumdem ludos deſcribens; cæteris autem omnibus de Luna loquutus, quam Nubibus eo temporis articulo ſub Romano Cælo velandam ne principes quidem Aſtrologi prævidere potuiſſent. Nunc verò ne unum quidem verſiculum additum, vel immutatum fuiſſe, prorſus evincit id, quod profiteri poſſum, ſcilicet: Idem hoc eſſe, cujus exemplum, altero a ludicris ignibus die, traditum eſt Eminentiſſimo Principi Antonio Cardinali Barberino. At illius præſtantiſſimo nomine abuti non poſſum ad falſum aſſerendum. Quid, quod & in Galliam illico eſt tranſmiſſum; ubi non deſunt, qui humaniſſimè minitentur, ſe ibi publicæ luci tradituros Carmen hoc ſuis tenebris digniſſimum, quas habuit obſtetrices. Quod ſi contigerit, & fortaſſe jam contigit, patebit vultus omnino concolor utriuſque. Otioſum eſſet, ne dicam ineptum, inanis gloriolæ auram hoc teſtimonio captare, cum quanta demum cumque celeritas non tueatur Urſæ partum infœlicem.

Digitized by Google

In Lunam Nubibus Tectam, dum Feſti exhiberentur ignes in honorem nati GALLIARUM DELPHINI.

CARMEN EXTEMPORALE.

Cynthia ſyderei dux agminis, aurea noctis
Umbroſæ lampas, Phœbæi luminis hæres,
Quæ funeſta tuos operit caligo nitores,
Nocti adimens oculum, ac cæco ſolatia mundo?
Siccine cum ſtellas pariat terra æmula Cælo,
Ludicra quas animat flamma, (1) atque umbratilis Ætna
In ſuperos vibrat, renovans fera bella Gigantum,
Nube premis timidos ignes, Latonia Virgo?
Debueras pulchris equitare per aſtra quadrigis,
Nec radios hebetare, aut cornibus ire retuſis;
Pandere centenos Phœbe vigilantior Argo
Debueras oculos, cum vincens æthera flammis
Syderei tellus eſt viſa Colonia Cæli.
Delia cur operis nigro pulcherrima vultum
Syrmate, cum pleno coeant tua lumina cornu?
Invida num terræ deſpectant aſtra theatrum,
Æmula quod Cælo reſerat domus alta Quirini?
Parcite Cælicolæ; at nullo velamine tectus
Cur non excubias agitat mortalibus Æther,
Noſtraque delibat ridenti gaudia vultu?
An Phœbe invidiam Thracum, miſerumque pavorem
Induitur, cum Pax, & Hymen Delphina coronant,
Horridaque Odryſiæ portendunt funera Lunæ,
Hinc adeo nigra condit caligine vultum?
At num Chriſtiadum lachrymaris, Cynthia, riſum,
Atque hilari renuis face gaudia noſtra tueri?
Luna, decus Cæli, Cæli tutabitur hoſtes,
Cognatas Erebo ducens ad bella phalanges?
Ancipitem retrahit diſpar ſententia mentem:
Nec Phœbæa animo vis incidit: Enthea, Divæ
Pierides, dudum mihi cur præcordia ceſſant
Pandere, quæ Vati Phœbi cortina recludit?
Cur tua regna, animi penetralia pervia noſtri
Non iterum, Muſis comitate, repoſcis Apollo?
Huc age, Rex Pindi, properatum ſuggere carmen;
Quod raptim ad facilem vigilet brevis hora lucernam.
Cur tua cælatis per Cælum cornibus ivit
Luna ſoror, mœſta vultum ſub nube cohercens,
Romula cum tellus feſtivis plauſibus ortum

Delphi-

1 *Mons igneus bivertex fœcundus ludicris ignibus Ætnam referebat.*

Digitized by Google

Delphini exciperet; mox poſtquam blanda quierunt
Fulmina, ludicrique ignes, ſua lumina rurſus
Explicuit, fratremque omni te reddidit orbe?
    Gallica qui fido tutatur numine Regna
Aliger, Æneadum ſtudia, ornatoſque triumphos
Delphini luſtrans, quid cogitet aura veretur,
Aura parens imbris, nubiſque auriga malignæ.
Namque triumphalis non ſicca aurora diei
Omine terrebat mentem, pluviaſque parabat,
Vulcani cladem, atque undantia fata volantis.
Ergo ſolicitus rapidis ſecat æthera pennis,
Nubeſque, atque ignis valles, Lunæque per orbem
Invectus, petit Aligerum, qui candida Lunæ
Regna rotat, gyroque rapit ſeptemplice flammam
Confinem Cælo, cogitque in fulmina nubes,
Ventoſque Æolio tumidos educit ab antro.
Tum ſic alloquitur Princeps, cui Gallia cordi eſt.
    Aſpicis, ut nigro Cælum tegat ordine nubes,
Triſtitiamque, metumque ferens, fœcundaque ſolvat
In pluviam ſeſe, ut nitrati pulveris ignes
Excidio involvat? Sic prodiga dona ſereni,
Et nigri officiunt pariter damna invida Cæli?
Plauſit Agonali dum nox heſterna theatro,
Pulchra nimis curru Phœbe pulſabat Olympum
Æmula fraternis radiis, & nocte diurna
Ludentis feſtos hebetabat ſulphuris ignes.
At nunc Pleiades properant, & Aquarius urnam
Expedit, Oceano gravidam: tonat alta Favonj
Jam domus, & belli dat ferrea buccina ſignum,
Quo ruet in terram properato flumine nimbus,
Ne rotet in Superos audax ſua fulmina tellus.
Ludimus, augurioque homines terremus inani?
An ruptis ibunt largi de nubibus imbres?
Non equidem reor; arridet nam lætus Olympus
Planſibus Antonj: pluvià nec nubila plorant,
Illius donis cum, Cæli cura, puellæ
Exultant, (2) floremque tuentur labilis ævi.
Fulmina cur Superi vibrent, ſi grata Tonanti
Pegmata Divinæ Triados (3) famulantur honori,
Ambitioſa ſacri veſtigia lambere templi?
Quid, quod ſydereo tellus blanditur Alumno
Delphino aſſultans. Celebrat ſi munera Cæli
Martia Roma, procul nubes, procul imber, & Auſtri.
    Dixerat, atque illi contra hæc Rex aeris addit.
Parce metu, Galli cuſtos fidiſſime Regni:
Non hæc Romulidis portendunt nubila bellum,

Delphi-

2 *Quinquaginta Virgines dote ab Eminentiſs. Card. Antonio donatæ.*

3 *In Monte Pincio ad radices Templi Auguſtiſſimæ Trinitatis feſti ignes exhibebantur.*

Delphinoque tuo; peregrinum in nubibus æquor
Hærebit, nec iter Neptuni ad Regna movebit.
Quin & damna magis, magis ipſa pericla juvabunt,
Cuſtodem teſtata Deum, qui Numine fauſto
Gallica plaudentis fortunat gaudia Romæ.
Syrmate nigranti ſubtexere profuit aſtra,
Ne pulchro Cælum comprendat Cynthia vultu;
Æmula miſſilibus flammis, quas Ætna Quirini
Innocuo latè fæcundas ſulphure fundet.
Nube premes roſeum Phœbi ſoror aurea currum;
Cælicolis certans cum pandet Roma theatrum.
Mox cum flammarum genitrix pulcherrima moles
Fulminibus crebris, (4) redeunti & ceſſerit igni,
En iterum ſolvet fulgens Lucina tenebras,
Candida ſydereæ moderatrix Cynthia noctis.
Pallida ſic vultum caligine Delia cingit,
Quæ Thracis Vexilla notat, vagitibus auras
Ex quo Delphinus rupit, didicitque paternos
Ore vel infanti jam balbutire triumphos.
Eripuit lunare jubar ſi ludicra flamma
Delphino plaudens, quid Regis fervor adulti,
Magnanimum rapiens generoſa ad prælia Martem;
In Thraces poterit, quid ſæva in cornua Phœbes
Biſtoniæ? Timet illa tuas, Delphine, querelas,
Vagituſque pavet: ceu Colchica verba triformis,
Theſſaliaſque notas Hecate tremit. Ire per urbes
Hungariæ trepidat (5) ſolito Bellona flagello,
Et furiæ Thracum poſuere: aſſueſcere tandem
Barbaricis iterum Pax incipit aurea Regnis.
Hinc adeo vultum adverſis præbere triumphis
Luna negat, grataque operit ferrugine frontem,
Dum Gallo plaudit puero Mæandrius ignis,
Ingenti puero, qui palmis computat annos,
Cujus adhuc ludi Lunam caligine mergunt.
Nec minus in nimbo nox intempeſta tenebit
Argentum Phœbes, celeri quòd percita lapſu
Dædaleam præceps Diſcordia (6) fertur in Æmam:
Quippe ubi Chriſtiadum Pax floreat, & furor ardens
Belligeros acuat Pangæis rupibus enſes,
Thracum avidos laterum, mœrebit Odryſia fracto
Cynthia tum cornu. Variat Lucina triformis
Multiplices vultus, nemorum Latonia cuſtos
Inſequitur damas jaculo parcente minores,
Aproſque, & figit vivacis cornua cervi:
Tertia Tartarei refugit nec Regna Tyranni
In triviis ululata Hecate. Hinc expalleat umbrâ

Nubis

4 *Peracto ignium Ludo disjectis nubibus Luna ſe aperit.*
5 *Sub illud tempus Turcæ aggreſſores exceſſerant.*
6 *Diſcordiæ ſimulachrum in dehiſcentis Montis incendium præcipitatur.*

Nubis ab objectu, ſolvit vectigal amoris
Dum Roma Auguſtæ Soboli, cui proſpera vultu
Neſcia mutari Sors arridebit eodem:
Quam comites laudes, decorum chorus, & bona mentis
Arbitra perpetuo circumdabit agmine virtus.
 Hæc ubi dicta dedit, fauſto ter murmure Cælum
Intonuit lævûm, dein Pincius æmula Cælo
Tormenta explodit collis: ſimul ignea ſurgit
Tempeſtas pretioſa auro: volat aurea ſerpens
Sulphureis alis, nec certo ludicra curſu
Nunc Cælum petit, ac timidis bellum admovet aſtris,
Nunc populi confertam undam ſubit, & volat udam
Cæſariem circùm, croceo quæ ſudat amomo:
Illa ambuſta dedit nidorem; aſt ille crumœnam
Fœcundam tubus invadit, furtoque volanti
Aurea diripuit ſeſtertia. Sic vaga paſſim
Per pictas errant incendia ludicra turres.
 Interea labor albus apum (7) ſuper arbore pompam
Explicat, acclivi quæ dorſo collis inhæret
Plurima, ſyderei ſpeciem, & procul ora theatri
Obiiciens. Sed Pax, & Hymen, queis plurima veſtem
Lumina circumdant nitidq certantia Phœbo,
Noctem abigunt,geminantq;diem. (8) Nunc Cynthia vultum
Nubibus involvas, nam Phœbi aut lumina fulgent,
Aut Phœbo invidioſa. Novis tua lumina flammis
Compoſuiſſe cave, ne ſpretæ injuria formæ
Judicium Paridis renovet, Junonis & iram.
 An quia flammivomæ rabida ora biverticis Ætnæ
Proſpicis, & patuli flagrantes montis hiatus,
Enceladum trepidas, renovataque bella Typhoei,
Terrigenæ imponant vaſtæ ne Pelion Oſſæ,
Atque rebellantis primos tu, Cynthia, terræ
Excipias ictus, condis ſub carcere nubis
Pallentes vultus? Cur non imbellis Olympum
Deſeris, & pharetram ſumens, arcumque ſonantem
Solicitas timidos deſerta per avia cervos?
Quamquam ſi dubia trepidat formidine pectus,
Bellica tot reſonant diro tormenta tonitru,
Timpanaque, lituique, tubæque, & claſſica Martis,
Quæ vel labenti valeant ſuccurrere Lunæ.
 Sed cum belligerum Phœbe ſinuetur in arcum,
Inque Lycaonias jacula aurea torqueat Urſas,
Degeneris cur illam animi timor arguit? Ignes
Cernere num renuit Cæli bellantis Amazon,
Urbs puero plaudit queis Martia Pacis Alumno?
 An quia ſydereæ regnatrix Cynthia noctis

Cingi-

7 *Per arbores Montem Pincium inumbrantes funalia diſpoſita erant.*
8 *Pacis, & Hymenæi imagines quamplurimis luminibus illuſtratæ, moli inſidebant.*

Digitized by Google

Cingitur aſtrorum excubiis, nitidaque cohorte,
Fulgere tunc renuit, cum lapſus ab æthere cinxit
Sydereus rutilo Delphinum (9) exercitus auro?
Vel quia cum raperet ſitientia lumina Delphin,
Nec Triviæ quiſquam majorem cerneret orbem,
Maluit ingrati quæſitum carceris umbram,
Quàm luſtrare Polum facibus, quas nullus adoret?
At nunc verſutæ referas arcana ſororis,
Delie. Cum turpem maculis variaverit orbem,
Aurea quas dudum pulchro nox ſyrmate cœlat,
Nunc trepidat, ne illas hominum lux lyncea pandat,
Omnia cum referat nox invidioſa diei.
Vel cum defigas oculis mortalia toruis,
Diſcrucientque tuum communia gaudia pectus,
Cimmeria tumulas liventia lumina nocte,
Cogantur ſacros ne delibare triumphos?
O Erebo dignum Numen, Sylviſque Diana,
O bene vexillis Thracum damnata malignis!
Tu pluvias, ventoſque vehis; nec torpuit ira:
Pendentes timuit, gravidaſque urbs Romula nubes.
Sed quoniam votis Antonj militat Æther,
Nec ruit in gremium telluris Jupiter, atros
Cynthia pro niveis egit fruſtrata jugales,
Vultumque albentem properato funere merſit,
Fulmina dum libant oculis blandita Quirites.
Cimmerias repetas nox intempeſta cavernas,
Nam ſine Apollineis radiis protendere lucem
Heroum Phœnix didicit, quem Regibus æquat
Purpura, magnanimus ſed præfert Regibus ardor.
Conjurata tuis aſpirant ſydera votis,
Magnanime o Princeps, cui cælum, & ſydera debent;
Namque auro, auſpiciiſque foves, quas candida Virtus
Æthereo junxit ſponſo, propriaſque dicavit:
Et Baccho exhilaras plebem profuſus egentem.
Eque tua latè manat dextra aureus imber.
Hinc adeo pendent nubes: timor ipſe leporem
Miſſilibus flammis addit: ſervire videtur
Ambitioſa tuis rerum natura triumphis.
Diſſimulans lucem ſe Cynthia nubibus abdit,
Delphini ut cedat radiis lux æmula ſolis.

9 *Delphinus a Pace, & Hymenæo coronatus, innumeris facibus ornabatur.*

Digitized by Google

PRINCEPS IRIDE CORONATUS,

SIVE IN IRIDEM,

Quæ prope Vaticanum effulſit fauſtiſſima die, qua

CLEMENS NONUS

PONT. MAX. CORONATUS EST

Carmen Extemporale Ovidii Stylo

Traditum conſequenti die, ut Sanctiſſimo Pontifici exhiberetur,

Et dictum in Aula Seminarii Romani a Jo: Baptiſta Lomellino Seminarii ejuſdem Convict. anno 1667.

Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo Principi

D. BENEDICTO PAMPHILIO.

Carmen hoc ſuis in tenebris deliteſceret, Excellentiſſime Domine, niſi aliquod illi decus affunderet argumenti ſplendor, & gloria: veluti pretium Sol addit nubi, a qua coloratur. Septem intra horas ſcriptum fuit; adeo vel tenues Vates urget ad cantum obſequentiſſimus amor, & exuberans gaudium. Conſequente Inaugurationem, & Iridem meridie traditum fuit, ut exhiberetur Sanctiſſimo Pontifici, & Eminentiſſimo Principi Franciſco Cardinali Barberino, cujus nutu prodit in lucem. Die verò, quæ primam proxima excepit, venuſtiſſimè dictum eſt in Aula Seminarii Romani ab Egregio Adoleſcente Jo: *Baptiſta Lomellino, qui præclara indole, & ingenio, emicante ab actionis, & vocis eloquentia noſtrum carmen animavit. At quod ne unum quidem nunc additum ſit, vel immutatum verbum, ex eo conſtat, quod profiteri poſſimus, eodem prorſus habitu oris nunc editum Carmen deferendum ad pedes Magni Clementis, quo illos antea ineditum adoravit. Verteremus crimi-*

crimini, pulchriorem ullum elegantiæ colorem Iridi noſtræ inducere ſubituræ oculos vulgi, quo commendata non eſt, dum ſe Cæleſtibus Sapientiſſimi Principis luminibus primò exhibuit. Hæc præfari nos cogit religioſus cultus, quo celeberrimam doctiſſimi Cardinalis Sapientiam veneramur; ne ſcilicet ille probaviſſe videatur id, quod nullo nomine, & ne præcipitis quidem gratiâ celeritatis probari poſſit erudito Lectori. Decet profectò a Muſis omnibus ingenii obſequium devoveri Poetæ olim clariſſimo, nunc Summo Præſidi generis humani; ſed a Collegio, & Seminario Romano id exigunt etiam peculiaria nomina, quòd ab Illius olim Convictoris, ac Diſcipuli ingenio ad omnem Sapientiam, & Pietatem nato illuſtrata mirificè ſunt. Hanc in præſentia Academiam Tuæ dotes commendant, Excellentiſſime Adoleſcens Benedicte Pamphili, cujus ego nomini Extemporale hoc Carmen nuncupare debui, quia nullum novi, qui volantem in ſcriptione Poetica ingenii Tui vim exæquet, quam effundentem intra contractum horæ ſpatium quinquaginta ſonora, vivida, elegantia, & verè poeſim ſpirantia carmina in claſſe Rhetoricæ non plauſibus modò, ſed & admiratione proſequutus non rarò ſum. Superbiunt profectò Muſæ, quod in Te ſuſceperint excolendum tam illuſtre Generis heroici decus, transfuſum in Te quatuor Romanorum Pontificum ſanguinem, acceptam a Sapientiſſima Parente Tua magnanimam Indolem, Spiritus regios, pluſquam virilem Prudentiam, & præclariſſimi lumen Ingenii: tum induſtriæ pariter, ac labori Tuo debitos Mores integerrimos, Divini cultus amorem, Eloquentiæ ubertatem, qua polles etiam ſingulari in familiari conſortio, a quo Charites omnes humanitatem edoceri poſſunt, tum uni Sapientiæ inhiantem omnium diſciplinarum ſitim, & earumdem capacem amplitudinem animi, & vel in tenui, nedum in iſta fortuna ſuſpiciendam tolerantiam eruditi laboris. Superbiam certè, uti nunc Muſæ, ita brevi de Te quærent Honores excelſi, ac Tuæ genti domeſtici, quos provocas egregia Indole, & prægreſſa Ætatem Virtute. Interim perge, ut facis, Romanæ, & Exteræ juventuti exemplar præbere decorum omnium, & ſtudio pertinaci demereri præmia ſapientiæ. Pegaſum verò infrænans exultantem nobiliores volatus experire; egregium enim Tibi ſcribendi argumentum ſuppeditant Cæleſtes Prærogativæ Sanctiſſimi Principis noſtri, cujus laudes Te celebrare aggreſſum ex Te audivi. Digniſſimum principe Muſa argumentum eſt Sanctiſſimus humani generis Princeps, qui moribus exhibet Divinitatem, cujus munera in terris gerit, animo, & curis auguſtiſſimis mortalem pariter, & nunquam interituram mundi fœlicitatem amplexus, nulli ſuæ parcens operæ, ut eamdem nobis elaboret, in publicum bonum profuſus, ſuæ Gloriæ contemptor egregius, Pauperum Parens, Pacis Sequeſter, Deliciæ generis humani, Virtutum munificentiſſimus Exornator, Sapientiſſimus idem, & Clementiſſimus. Vale, & ad ſublimes honores Tuis iſtis Virtutum, & Sapientiæ gradibus incede.

Digitized by Google

IN IRIDEM,
Quæ prope Vaticanum effulſit feſta die, qua coronatus eſt Pontifex Maximus Clemens IX.

CARMEN EXTEMPORALE.

DElicium Mundi, formoſa ſuperbia Cæli,
Naturæ exultans Riſus, Thaumantias Iris,
Verſicolorato cur Arcu regia Petri
Templa coronaſti, cum Maximus Arbiter Orbis
Exornandus erat triplici diademate frontem?
An Superi aſſultant mortalibus, & ſua profert
Lætitiæ argumenta, homines imitatus, Olympus?
Attonitas an quæ ſuevit (1) ſuſpendere mentes,
Clementi plauſit, cujus primordia Regni
Attonitos rapiunt animos in amabile cordis
Exilium, & Cælo affigunt, unde Optimus almo
Numinis in terras deſcendit munere Princeps?
Filia, vel Genitrix (2) Iris depicta ſtuporis,
Te peperit Clemens, & quæ admiratio dotes
Suſpicit æthereas Regis, quem ſydera terris
Indulſere; illo ut regnante Colonia Cæli
Roma ſit, ac totum tellus porrecta per orbem.
Junonis quondam, nunc ſacri nuncia Phœbi,
Iri, viam ad Pindi deſueta ſacraria pande,
Et, cur picta genas auro recreaveris urbem?
Dic age, dum tenuem ſtimulat brevis hora Camænam.
Marmoreo quà Petrum arcu amphitheatra coronant,
Sydereos arcus, Petri diadema, tuebar,
Hæc animo volvens. Quantus, cui dædalus æther
Verticis auguſti Regale Inſigne miniſtrat,
Chriſtiadum Princeps erit? Ecquis in Iride ſolem
Viderit? Haud auro, vel gemmis aſpera frontem
Ambiat, at Cæli pingatur luce Thiara?
Certaret, quæcumque auro fœcunda ſuperbit,
Pandere terra ſinus, (3) & vena e divite florem
Regalis legeret dextra ambitioſa metalli,

Cæle-

1 *Iris admirationis Mater, & Filia dicitur.*
2 *Iris parta ab admiratione Virtutum Sanctiſs. Pontificis.*
3 *Cælum Iridem flexit in Coronam, ut litem diſſolveret gliſcentem inter omnes fodinas, exhibentes aurum ſuum effingendo Diademati.*

Cæleſtis Regis mittendum munus in uſus.
En prudens palmam terris certantibus æther
Præripuit: juncto quem terra adamantibus auro
Vinxiſſet, pulchra Cælum Thaumantide cingit.
Aſpice, ut ipſa Petri circùm immortalia templa
Funditur, & Mundi ſuſpirans tempora Patris,
Arcus adorati ſerti ſinuatur in uſum!

Non hæc Naturæ Miracula, non ab aquoſa
Nube coloratus mentitur lumina Phœbus,
Haud ulla auguſtam velarunt nubila lucem,
Nec ſolito raptum ploravit Memnona fletu
Aurora. Hæc ergo Superi portenta Coronæ
Effinxere, Deus mirum fabricatus & arcum eſt
Artifici cultu, quo non præſtantior alter
Ebibit e noſtro ludicros ſole colores.

His animum curis, (4) atque Iride lumina paſcens
Plaudere feſtivis circùm Thaumantida pennis
Intueor Charitum formas, (5) quas inter Olivâ,
Et Cereris donis, victrici vinctaque lauro,
Diva oculos hilarat, nec tu, (6) pulcherrima Roma,
Abſiſtis, tecumque Aureo quæ præſidet Ævo.
Attonitam rapiunt hæc dum ſpectacula mentem,
Enthea vis pectus ſubit, atque attingere anhelans
Prodigii fontes, te, Caſtalis unda, requiro:
Lux oculis fugit, gratus ſopor irrigat artus,
Cyrrhæum qualis ſuetus volitare per antrum.
Ecce aderat centum depicta coloribus Iris
Undantem veſtem, Nymphæ in morem: aurea Pacem
Copia, Belligera & virtus comitatur euntem,
Atque aliæ Charites. Roſeo Thaumantias ore
Aggreditur dictis arcana recludere Divûm.

Tranquilli riſus (7) non fulgeat ætheris Iris,
Dum regnum exhilarat Clementi lumine Princeps,
Vos etiam æthereis hilarat qui moribus, aſtra,
Civibus innumeris ditanda, hoc Præſide rerum?
Mundi delicium (8) Romam non ambiat Arcus,
Sacra ſubit dum regna Parens, quem dixeris Orbis
Delicias? Adeo mitis Clementia mentes
Allicit, & Charitum magnes, quarum illius ora
Sunt regnum, & ſacri penetralia candida cordis?
Quàm blando amplexu (9) nuper Regum ille Senatum
Purpureum dignatus! ut officioſa ſuorum

Majo-

4 *Poeta Iridem contemplatus.*
5 *Pax, Copia, Virtus Bellica.*
6 *Romæ Genius, Præſes aurei ſæculi.*
7 *Iris dicitur Cæli riſus. Sanctiſs. P. eſt gaudium terrarum, & Cæli.*
8 *Iris dicitur Mundi delicium, & Clemens deliciæ generis humani.*
9 *Dum illum in Vaticano adorarent.*

Digitized by Google

Majeſtas animos cæleſti nectare inundat!
Omnis ut exultat, Clemens dum regna capeſſit,
Chriſtiadum regio! Ut certatim quælibet olli
Tradidit Imperium, magnis virtutibus impar!
Si Charites regnant, Cæli Charis ambiat Arcus
Exultantem Urbem. Romæ hìc induta Virago
Os, habitumque, (10) tuos ſic plauſus excipit, Iri.
Magnanime o Princeps, virtutum præmia temnis,
Regales arcus, Tibi quos gaviſa labore
Ornabam, nimiumque Patri devincta faventi,
Debebam. Renuis ſacri monumenta triumphi?
Ipſe triumphales Arcus molitur Olympus,
Ante diem pompæ: Tuus eſt Thaumantias Arcus.
Magnus, cui pro aſtris pugnanti militat æther!
Major, cui exornant aſtra ambitioſa triumphos!
Parere imperiis quis poſthac, Maxime Princeps,
Poſſit? ad aſtra ſacras prohibes cur ſurgere moles?
Non Clemens, quando renuis, ſed ſacra triumphet
Relligio, Pietas, Amor, & Sapientia: Divas
Anne, Tuo quoniam regnant in pectore, temnis?
Non parere nefas? Peccabo authoribus aſtris,
Et ſequar æthereos, non æquis viribus, Arcus.
Plauſerunt comites, Romam Pax alma ſilentem
Proſequitur. Nobis fulſit Thaumantias Iris,
Excidium bellorum Iris, (11) prænuntia Pacis.
Iri, coronatus te Princeps fœdere Reges
Vinciet æterno: fruſtra bellum aſpera morſu
Vincla catenarum petit, & conata maliguas
Nititur ærato moliri e cardine valvas
Fatalis Templi, & Ianum reſerare, Megæra.
Deponent patrio in gremio ſtudia omnia Reges,
Et cultum, ac placitum magni, nutumque Parentis,
Vel regnis ducent potiora: Ipſe Arbiter æqua
Aſtrææ dirimet naſcentia prælia lance.
Ecce ſerenabit Gallos pulcherrima flores
Mox Iris, (12) digreſſa tuis, Brabantia, campis:
Iris Romani decus Oſtri, Amor Urbis, & Orbis,
Præſidiumque, futura. Haud ſic Thaumantida honorat,
Ut colet hanc Orbis, regnantem & diliget Irim.
Hæc ubi dicta, hilaris percurſant fulgura riſus
Divarum frontes, Iris gaviſaque vinci
Plauſibns aſſultat. Tum contra Bellica virtus;
At non ignavæ laſſabunt otia pacis

Rega-

10 *Roma Poetam alloquuta dicit, ab Arcu Cæleſti edoceri ſe ad alios erigendos gloriæ Magni Clementis.*

11 *Iris Pacis argumentum ſtatuendæ a Pontifice Sapientiſſimo.*

12 *Excellentiſſimus & Reverendiſſimus Abbas Roſpilioſius, a quo Purpura decus ambit.*

Digitized by Google

Regales animos. Eſt belliger (13) ætheris Arcus,
Pacis & e ſacræ naſcentur prælia cunis.
Fulmineo Princeps Arcu quem præſcia rerum
Aſtra coronaſtis, jacula aurea in ætheris hoſtes
Torquebit, ſacras ducens ad bella phalanges.
Libera adorati veneror jam templa Sepulchri,
Et fracto mœret jam Thracum Cynthia cornu,
Aureus æthereos arcus (14) dum torquet Apollo;
Graja in caſtra luem Phœbus jaculatus ut olim,
Sic Phœbo major, docta olim Daphnide cinctus,
Rex Vatum, & Sydus Phœbæos inter Olores;
At nunc belligera Triplicis diademata Regni
Ornatus Lauro, ſparget lethalia tela
Contra Erebi monſtra. Anguineum, viden, hæreſis hydra
Trunca nemus capitum, fruſtra ſua vulnera lambit:
Omnigenûmque Deûm portenta, & lethifer anguis
Pithon, in Cælum pugnantia barbara ſaxa,
Thure vaporata, & precibus malè culta profanis,
Vos telis perimet ſacris Cæleſtis Apollo,
Cui famulata ſuum præbet Thaumantias arcum.
Ipſe ſuos armat (15) nunc contra Tartara Mores;
Relligionis Achillæam in cladem hæreſis haſtam.
Illius iſta Color portendit fata (16) Cruentus:
Hoc Erebi excidium Cæleſtis parturit Iris.
At Viridis (17) Spem Virtutum deſcribit, & altas
Præmia quæ dotes, ſolem velut umbra, ſequentur.
Delectu e primo ut magnæ vis ardua mentis
Effulſit! Regnat Sapientia, & inclyta Virtus:
In regni partem Virtus, Doctrinaque, ſurges.
Aurea poſt Viridem (18) ſed cur cernenda colorem
Iris aduletur ſpectantibus, aurea pandit
Copia. Vix Regnum ſubiit, (19) Cerealia dona
Cum plebi amplificat: levis ut jacturaque egenis
Sit ſaxo contrita Ceres, ipſe erogat ultro
Theſauros. Liceat longinquas quærere terras
Cuilibet, ut largum frumento (20) corroget aurum:
Horrea nec defoſſa, æraria ſplendida ſunto.
Ipſe ſuo Cenſum populo, ſolvatque Tributum,

Regi-

13 *Cæleſtis Arcus præſagit ſacrum Bellum in hoſtes Fidei.*
14 *Sanctiſſ. ipſe Pont., qui ob Poeſim, aliaſque dotes divinas Apollini præfertur.*
15 *Romani Pontificis mores ſanctiſſimi ſunt haſta Achillis contra hoſtes Fidei.*
16 *Purpureus Iridis color.*
17 *Viridis.*
8 *Flavus.*
Vectigalia ſtatim imminuit.
20 *Dat facultatem exportandi frumentum a ſua ditione, & illud a quolibet emendi.*

Digitized by Google

Regificos Arcus, (21) quaſque illi ſurgere Roma
Decrevit moles: conſueto haud agmine cingat
Bellica vis Mundi Patrem: ſibi plurima Paſtor
Pauperis ipſe gregis ſubducat. Parce, Tonantis
Roma triumphales Proregi attollere moles;
Arcus enim, & ſacri (22) monumentum es grande Triumphi
Stans Roma. Haud mundi ſepes ferrata Parentem
Muniat: hunc amor, & tutantur corda Quiritum.
Profuſo haud auro tantùm Pater audit Egentum
Urbe ſalutari in patria Germanus, (23) aviti
Qui Generis decus eximium Virtutibus auget,
Quem fortunandæ ſuſpirant votaque Romæ.
Mundi aſt ipſe Parens Inopum quoque dicier audis,
Exoptate Parens: quanta dulcedine mentem
Perſudit, mihi me ut dulciſſima ſurripuit vox!
Pergite, dicebam: Vobis ille aurea dona
Duplicat, atque ultro fert vectigalia Princeps.
Hæc adeo aurato dum Copia vidit in Arcu,
Aurati cuſtos ævi (24) pulcherrima Diva:
Nec minus in priſci revocandaque temporis aurum,
Flavicomo, dixit, pinguntur ſæcla colore.
Affulget fœlix primis in ſolibus ætas,
Pulchraque poſt primos ſuccedent ſecula ſoles.
Quin Gentilitio vivunt in Stemmate magnæ
Fortunæ auſpicia, & Cæleſtes exprimit arcus
Cæruleus color, & Flavus: (25) Qui Cærulus axem
Ambit, dat ſortis Cæleſtia ſigna beatæ:
Qui color Aurato (26(complectitur aera gyro,
Humanam pingui terræ notat ubere ſortem.
Moribus ut Cælum ſpiras, (27) ut ad æthera pennas
Alloquio, aſpectuque Tuo mortalibus aptas!
Dotibus utque Tuis Cæleſtis pingitur arcus!
Flectit ut ipſa Tui lucem admiratio in Arcum!
Nec repetam antiquas laudes, & ſydera, vitæ
Quæ cælum latè exornant, tantùm enthea Clio
Deterere obſequio properati carminis audet

Fati-

21 *Prohibet adornari pompas debitas ſuæ virtuti: Militum præſidium imminuit, ut exoneret pauperes vectigalibus.*

22 *Urbs tota ab ipſo recreata, & erecta, eſt Arcus ejus gloriæ conſecratus.*

23 *Excellentiſſimus D. Camillus Roſpilioſius Pauperum Pater dicitur. Roma Pontificis Conſanguineos, ut publico bono natos, avidiſſimè præſtolatur. Inter feſtas acclamationes, dum coronâ ornaretur Clemens IX. a quamplurimis Pater Pauperum dictus eſt.*

24 *Præſes aurei ſeculi ſuum reditum in terras ſpondet.*

25 *Stemma Pontificis Flavum, & Cæruleum.*

26 *Aureus color humanæ, Cæruleus Cæleſtis fælicitatis index, quas Clemens hominibus adornat.*

27 *Divinæ dotes Sanctiſs. Pontificis animos ad Cælum erigunt.*

Digitized by Google

Fatidico portenta Arcu quæ nuntiat Iris.
Iri, decus Cæli, Superûm dignata favore,
Qui te Cæleſtis flexere in tempora Regis:
Muneribus Divûm fœcunda, (28) aſſueta feraci
Meſſe ſolum ditare, ornas quod luce rubenti:
Fertile adorati in mortalia commoda Patris
Præſagis ſtudium. Sacræ quæ plurima dextræ,
Dextræ, quæ Cælum reſerat, quæ Tartara claudit,
Pagina arata fuit, (29) nimiumque ornata labore,
Fœcundabit agros Fidei. Sic fata, ſoporem
Cyrrhæum excuſſit, meque Arbitra temporis aurei
Deſtituit, Charitumque Chorus vaneſcit in auras.
Perge coronatus pulchra Thaumantide Princeps,
Prodigiis hominum attonitas ſuſpendere mentes.
Haud nunc mentitus (30) mortalia lumina fallit
Arcus, ſed vera depictus luce ſuperbit,
Cumque immortales (31) vivat Thaumantias annos,
Neſtoreum Magni portendit Principis ævum.
Semideos, quique ipſa Dei decora inclyta pandunt
Moribus, ingenioque ſuo depicta, gementum
Conceſſa & lachrymis populorum munera Divûm,
Par eſt æthereis ſerò ſuccedere Regnis.
Nam cur invideat terris ſua munera Olympus?
Principis hoc ſpondet vivax, & prima virentis
Canities, ſacros & quæ Mens roborat artus,
Et Regni curis, magnoque aſſueta labori
Vis Animæ Magnæ. Tua ſed Tibi charior ætas
Sit poſthac, Dilecte nimis mortalibus, ipſi
Et nimium Dilecte Deo, ter Maxime Princeps,
Deliciaſque ſuas (32) Mundo, Pater Alme, tuere,
Uſque adeo cultus, hominumque potitus amores,
Ipſa Triumphalem (33) flectatur ut Iris in Arcum.

28 *Iris fœcundare ſolet terras, quibus imminet.*
29 *Die conſequente electionem ſua ipſe manu horis quinque ſalutares Reipublicæ literas exaravit ad Reges.*
30 *Colores Iridis aliàs ficti dicuntur.*
31 *Immortalis credebatur Iris nuntia Junonis.*
32 *Se ipſum mundi delicias.*
33 *Triumphos ab omnium animis reportavit.*

IN DIVINOS CRUCIATUS

Brevia Carmina plurima Ovidii Stylo,

Dicta in Claſſe Rhetoricæ Anno 1672.

Quorum primo inſtitutam ab optimo Vindice noſtræ fœlicitatis tractationem Pacis Æternum inter Parentem ſuum, atque homines, ineundæ celebramus.

MOns Oleis fœcunde, notant quæ frondibus almis
Optatam terris Pacem, Divina Propago
Te ſubit, ut telis viduetur dextera Patris,
Queis bello flagrante homines in tartara ſuevit
Mergere. Fœlices rami, qui pellitis Orbe
Eumenides, animiſque, abſterſa nube, ſerenam
Aſſertis lucem, terris vos omnibus ardet
Inſerere. Hinc Cedros ſylvæ Libanitidis inter
Haud urget Patrem, vel Palmas inter Idumes,
Supplicibus votis; ſed amicas inter Olivas;
Namque illi haud petitur Victoria nobilis: ambit
Sanciri, nobis quæ proſint, fœdera Pacis.
At vetus en dira funeſtat imagine bellum
Divinæ ſolem frontis. Viridaria menti
Objiciunt hortum, nobis qui prima profani
Martis arena fuit. Foliis veſtita malignis
Arbor fatales objectat plurima ramos,
Irarum cauſam. Quos undique ſurgere telis
Armatos videt, ut terebrent ſua tempora, durnos,
Flagitii pretium oſtendunt. Si reſpicit aſtra,
Præduro videt obductas adamante beati
Regni hærere fores, ac telum ſæpe triſulcum,
Pacifico ſceptro poſito, torquere Parentem.
Hinc adeo mœſti pallenti nube doloris
Divinum jubar inficitur. Non proximá terrent
Funera magnanimum Solem, qui ad Tethyos undas
Occiduæ properat per torrida monſtra ferarum,
Tauriſque, atque hydræ occurrit, ridetque furentem
Horrorem Nemees. Fatum qui ſponte laceſſit,
Haud trepidat. Nobis irati fulmina cæli
Formidat pius. Heu clades exhorret atroces,

Quas

Quas nobis parit inſani vecordia belli.
En lapſum in terras, & ſparſum pulvere honorem
Syderei Vultus. En ut complexus inhæret
Uſque ſolo, Patris quod dextra tricuſpidis ictu
Non quatiet, ſua tranſadigat niſi pectora, teli.
En terram aggreditur lymphâ irrorare cruentâ.
Nec ſe humus in flores ſubitò induit? Ilicet illa,
Arbitror, erupit florum mirabilis Iris,
In qua feralis necis iſtrumenta perennant,
Flagra, Columna, rubis horrens Diadema, verendum
Lancea potatura latus. Sed protinus arens,
Ingratos populos & deteſtata, virere
Noluit Iſacidas inter. Viridaria noſtri
Sed cordis, ſacro dudum lactata cruore,
Haud violas pariunt, & lilia pulchra, roſaſque?
Deleat ah ſaltem Divini Sanguinis imber
Fœdati labes animi. Quondam abluit acta
Eluvies cælo terrarum crimina. Tandem
Purpureis ſcelus, ut Pharao, mergatur in undis.
Non hic ſupplicium inclamat, ceu fuſus Abelis
Innocui ſanguis, ſed Pacem invitat ab Aſtris.

STATUENDÆ PACIS GRATIA

Bellicam tempeſtatem in ipſum Pacis Principem exoneratam lamentamur.

PAx bello mercanda; ipſi ſed prælia Regi
Heu ſubeunda. Reis quæ debita fata, laceſſit
In ſe Rex Superûm. Quæ mœſto agitavit in horto,
Fœdera nunc conflanda; tuo ſed, Dive, cruore
Scribendæ Pacis leges. Si ſanguinis almi
Elicuere ſacris e venis prælia florem
Tantùm objecta animo, quos prælia vera dolores,
Quaſque ferent clades? Sed quo prædura rigebat
Marmore, dira fuit quæ Martis arena, columna!
Hoc ſaxo te firmavit Conſtantia, victor:
Hoc furor obvallat tortorum pectora ſaxo:
Atque ego, ni mæſtos ducant nunc lumina rivos,
Saxea corda geram. Procul o, procul ite profana:
Grandia fert animus. Superos, licet ægra, receſſus
Ingreditur mens: audaci depromere cantu
Bella Deo ſubeunda flagrat. Sed vulnerat, eheu,
Corda novi facies belli. Non protegit umbo,
Non lorica ducem, qui ſe in diſcrimina mortis
Projicit; at niveos laceratis veſtibus artus
Vulnerat obtutu lictorum turba maligno.

Occidua rutilas flammas extingue comarum
Doride, Phœbe: ſoror nec luſtret lumine cælum;
Haud etenim hoſtili violandus lumine, qui te
Sydereum fecit ductorem, maxime Cæſar
Aſtrorum. Sed vos ſupera cur arce volantes
Tegmine pennarum non illum obnubitis aureo,
Aligeri? En ambit profuſi ſanguinis oſtrum,
Quod velet membrorum ebur. Atque horrentia vincla
Expediunt furiæ? Sævis cur funibus illa
Dextra cohercetur, toties quæ corpore abegit
Iſacidum morbos, animis & crimina in orcum?
Quæ charitum toties æraria ſacra recluſit?
Quæ mentem inſtigat vecordia? Vincta catenis
Illa animi haud ſolvet nexus, haud tartara claudet,
Dextra potens. Vos tænarea de rupe flagranti
Implicitos nexu decuit pendere perenni
Supplicio. Æternas lictor dabis impie pœnas:
Et quicumque ambis manicis vincire Tonantem,
Et vinctum, veſane, putas, ſi pendere differt
Promeritum ſceleri pretium. Niſi vincula amoris
Nunc quoque frænarent cæleſtem Heroa, catenæ
Incaſſum ambirent Divini Corporis artus.
Sed jam ſæva ruit tempeſtas. Impete in auras
Librantur valido flagra horrida: ferrea vincla,
Syderaque æthereo nimium ſatianda cruore
Ingeminant. Niveis in membris mille dehiſcunt
Vulnera. Crudelis palmæ quas ambitus urit,
Centum ardent furiæ. Pudet heu ceſſiſſe furori
Quamlibet alterius. Niſi victrix ira triumphet,
Feſſas incuſant vires. Non grandine campos
Sic quatit Orion: tot non intorta volarunt
Pharſalico pila in bello, Non amplius artus:
Vulnera ſulcantur. Tuus, o pulcherrime, candor
Quò ceſſit, quò virginei ſacra forma decoris?
Non te nunc albis componat Sponſa liguſtris,
Purpureis non illa roſis. Tua purpura livet
Heu nimium. At rabidis heu cur tortoribus aret
Non manus, ac torpet concretus frigore ſanguis?

Crude-

Digitized by Google

Crudelem coronam infixam Pacifico Principi aſſequuto animorum imperium

Elegiaco Carmine ſalutamus, ejuſdem Ovidii Stylo.

ALcidæ ut quondam tumidi per marmora ponti
 Velivoli curſus meta Columna fuit,
Credideram hærenti ſacræ tibi, Chriſte, columnæ
 Sulcanda haud ultra ſanguinis unda foret,
Dona ſed horrenda, & crudeles frontis honores
 Obtrudis, nimium o ingenioſe Furor,
Lynceus eſt oculis Amor, ingenioque ſuperbit?
 Nunc Odium ingenii dicitur eſſe parens,
Purpurei, Flores, ridentia ſydera veris,
 Veſtra iterum pingat decolor ora rubor:
Quæ vos dona decent, ſpinæ rapuere ſuperbæ:
 Divini Floris ſunt diadema vepres.
Tuque adeo Mortis Victori debita Laurus,
 Non cingis meritum fronde virente caput?
Nunc proprio viduatum munere palleat Aurum,
 Quod non Cæleſtis tempora Regis obit.
Optatæ formoſa Iris prænuntia Pacis
 Authori Pacis cur diadema negas?
Divinum in ſertum decuit vos, ſydera, necti,
 Aſtra ut Soli ſint officioſa ſuo.
At vos infauſto prognati a crimine vepres,
 Iratum peperit quos humus ulta Deum,
Cur Nazarenum crudeli munere Florem
 Pungitis? Haud illum criminis umbra notat.
Non hic mortales Flos æthere venit in auras,
 Nullus ut illi animos, admoveatque manus:
Quin potius corda invitat, dextramque legentum,
 Arceat armatus vepribus ergo manus?
Aſt hæc non prohibent carptoris acumina dextram,
 Quam tenet optati vulneris ambitio,
Ieſſææ matres veſtri ad ſponſalia Regis
 Currite. Divinus fœdera nectit Amor.
Currite. Quam Salomon crudeli a Matre Coronam
 Accipit, heu Sponſum Sanguinis illa decet.
Pœnarum Princeps quæſitas ſanguine dotes
 Flagitat: humani flagrat amoris opes:
Quaſque ſuæ ſpinas dat Sponſæ prodiga tellus,
 Ipſe legit, ſimili ut ſorte adoleſcat amor.
Utque ſuis Sponſæ naſcantur florea dumis

Serta,

Serta, ſibi vepres Sponſus adoptat amans.
Serta tui volucrum pennis, America, Tyranni
Nectunt: Sunt animi hæc ludicra ſigna levis.
Tu tantùm infixam capiti, Divine, coronam
Rex, geris, ex te uno nam fluit Imperium.
Aſt alios etiam feriunt Diademata Reges;
Quamvis non pateant vulnera luminibus.
Tranſadigunt mentes lethali cuſpide curæ,
Dum miſeras nectunt ſplendida vincla comas.
Tortor, arundinei parco tibi ludicra ſceptri
Munera. Arundo angui funera ferre ſolet.
Tartarei hac ille elidet lymphata Draconis,
In Superos rabiem quæ capita alta vomunt.
Indulgenda quidem ſceptri probra; namque triumphos
Divinos, quamvis ludicra, ſceptra notant.
At nunquam ignoſci poterit tibi, barbare lictor,
Qui caput auguſtum depopulatur, honor.
Attonitam hic agitat mira vertigine mentem
Orbis, & in gyrum pectora mæſta rapit.
Ergo cæleſti ſpinæ naſcuntur in Horto?
Semina ibi veprium nulla fuiſſe, reor.
Me legiſſe decet, quorum mala ſemina ſæpe
Criminibus ſparſi, ſpinea ſerta, meis.
Turba Roſas carpas inſana, atque omnibus hortis
Deſtituas luxus ſigna probroſa tui.
Interea horrentes tantùm tibi, Dive, ſuperſint,
Nectere ſi capiti vis diadema, vepres?
Spinea prætexant animis diademata ſepem,
Tartareuſque animis tunc procul anguis erit.
Hi ſi cinxiſſent Adæ viridaria ſentes,
Fruſtra ea tentaſſet ſepta ſubire Draco.
In ſe Rex hominum Libitinæ ut tela retundat,
Excipit hæc ſacris ſpicula temporibus.
Heu ſteriles olli Spinas! Fœcundus at ille eſt
Divitiis charitum, deliciiſque ſacris.
Divini Regis cum cingat tempora Rhamnus,
Quis plantarum illi deneget Imperium?
Induere in flores ſperavit Spina rigorem,
Cum primùm auguſto ſederat in Capite.
Floruit extemplo; priſcum ſed reddis acumen,
Ut te, Chriſte, iterum ſauciet ille rigor.
Purpurei vincunt radiantia ſydera ſentes:
Phœbus purpureis invidet ipſe rubis.
Vepribus ex his alloquitur nunc pectora, fertur
Qui Moſem e Spinis edocuiſſe, Deus.
Quantus & e ſacris nunc ſentibus emicat ardor,
Funere qui fauſto corda cremata beat?
Qui flos in teneris ſecretus naſcitur hortis,
Laudatur numeris, docte Catulle, tuis.
Illo ni fallor, Spinæ creviſtis in horto,

Quem

Quem magis inficiunt deliciis homines:
Aut prope fluctiſoni ſpumantia littora ponti;
Namque Maris vobis totus amaror ineſt.
Scire piget poſt tale decus, cunabula prima
Quæ vobis Tellus præbuit, aut Pelagus.
Auræ illum mulcent, firmat ſol, educat imber;
Vos lachrymæ lactant fata dolentis Adæ;
Sunt auræ vobis ſuſpiria: decolor ille
Vos firmat, noxæ cui rapuere jubar.
Multi vos pueri, multæ optavere puellæ,
Non una & pueri Sponſa beata Dei.
Occidui Roſa veris honor, Peruvia nuper
Quam potuit Superis inſeruiſſe plagis.
Nec te prætercam, Senarum gloria, Virgo,
Quæ Sponſi optaſti Spinea ſerta tui.
Elige: De Cæli lapſi, Catharina, viretis
Aligeri Roſea, & Spinea, ſerta ferunt.
Hæc tibi Sponſus Amor diademata donat amanti;
An Sponſæ Roſea, an Spinea ſerta placent?
Horrentes, viden, illa Rubos ut tempora circùm
Aptat, & Aligeris talia dicta refert.
Divinæ, Dumi, frontis læſiſtis honorem:
Cur blandita mihi florea ſerta legam?
Ambit Sponſa tuam, Cæleſtis Sponſe, coronam,
Non illo, heu, ſerto tu violandus eras.
Virginei areſcunt non rarò Lilia cordis,
Cum fronti ardentes inſiliere Roſæ.
Spinea Divinæ rurſus diademata fronti
Admovet, impuras qui legit uſque roſas.
Dixit, & exoſas turpem tolerare repulſam
Tunc magis infecit purpura viva Roſas.

Deſcribimus triumphale ad Solium iter Pacifici Principis.

CErvicem edomitam Libitina, & Rector Averni,
Flecte, triumphantis dum mens congeſta trophæum
A[illegible]erei ſtimulat Regis deducere cantu.
Calvarii colles, & fortunata triumphi
Amphitheatra, mihi melior ſint Cyrrha canenti;
Victoris ſolium Crux ſit Parnaſia laurus.
Ut ceſſere hyemes, tempeſtateſque dolorum
Æterni lapſæ toto Ducis impete in artus:
Verberibus ſudata feris ut bella quierunt,
Utque cruentato ſpumarunt atria fluctu
Inſontis venis expreſſo Regis, & hoſtes
Sanguinis in pelago victor demerſit acerbos:
Funereo amplexus, atque oſcula dulcia ligno
Figit inexpletis labiis, cui pronus inhæret.

Haud

Haud ita, Carpathiis quem flatibus eurus, & auſter,
Trans maris emenſas undas, ſcopuloſque, procellaſque,
Annorum ſpatio cunctantem longius æde
Diſtinuere, Parens occurrit fervida Nato:
Mille per & lachrymas, & mille per oſcula, flammas,
Quas novus auget amor, ſitientis ſedat amoris:
Haud ita ſi reducem bello amplectaris Amicum,
Lætitiæ blando depaſceris igne medullas:
Ut complexa Crucem generis Spes unica noſtri
Exarſit flammis cæleſtibus. Ilicet olli
Ludicra detrahitur, membris quæ purpura inhæret
Sanguine concreta; effuſi ſed ſanguinis oſtrum
Perſtat adhuc. Spinis horrens Diadema revellit
Vertice ab auguſto lictorum barbara turba,
Ut ſuetam injiciat veſtem, quam ſedula Mater
Ipſa laboravit Nato gaviſa labore,
Heu non crudeles aptatum munus in uſus!
Omnibus ille ſuam vult innoteſcere pompam;
Conſultò hinc populo nota indumenta reſumit.
En iterum telis horrens paliurus acutis
Tempora transfadigit: funeſto hæc laurus honori
Debita. Feralis mox ligni pondere onuſtus
Egreditur Solimà. Nimis heu miſeranda Sionis
Tecta: omnis fugit urbe, Deo fugiente, venuſtas.
Raptantur vinclis, urgentur ſacra catenis
Corpora, ſaxa pedes aquilone rigentia mordent.
Oppreſſus trunco, atque tuis, Rex alme, trophæis
Concidis. Eheu cur, Superi, torpetis? Ovanti
Suppetias Regi non affert ætheris aula?
Sed tu, Dive, tribus cælum fulcire, ſolumque
Conſuetus digitis, ligni ſub faſce laboras?
Illa quidem in cælum it ramis audacibus arbor.
Infœlix ideo Genitrix morientia Nato
Lumina non claudet. Sed, quamquam immania, virtus
Omnipotens onera exhorret? Non cognita noſtris
Pondera luminibus vires læſere gementes.
Crimina noſtra premunt Divinum Atlanta: trophæis
Hiſce triumphalem exornas, Rex alme, quadrigam.
At non Divini languentia membra ſequuntur
Vim cordis; duro hinc adeo ſub faſce dehiſcis.
Interea Mors atra, ſuas Furiæque catenas
Nequidquam mordent, & ſpumis ora cruentis
Inficiunt, juſſæ regalem anteire quadrigam,
Dum Tarpeja ſubit victoris ſaxa Tonantis.
Monte ſub hoc Adam, primus qui claſſica belli
Inflavit, latitat: cineres ſuper illius ergo,
Qui propria Pacem ſancivit Morte, triumphat.

Dolore

Dolore confectæ Matris occurſum triumphanti Filio exhibemus.

ALme triumphali, dum, Rex, in calle laboras
Regali oppreſſus curru, tibi pallida Mater
Occurrit: quàm diverſo præcordia motu
Exagitata, olim quàm cum Tarpeja ſubibant
Culmina victores nati, exultantia matrum
Corda triumphabant. Tantùm triſtiſſima fata
Æmylii pia Virgo refert, cui funere nati
Multiplici ingratos funeſtavere triumphos.
Cupreſſum inſeruit palmæ fortuna, quadrigam
In feretrum vertit, quo natos intulit urnæ.
Agmina perrumpit: vires amor anxius urget.
Igne flagrant oculi, neque lymphâ extinguitur ignis,
Quæ fluit ex oculis; pluviâ ſed flamma fovetur.
Agnovit Prolem. Matris quis fallere poſſit
Lumina, nulla ſuper quamvis ſint ſigna decoris?
Quæ dolor aggreditur, virtus adamantina corda
Obſidet. Hinc motus non deficit obluctantem
Immenſo Matrem, aut lethalis vita, dolori.
Frænavit curſum Proles, ſuffuſaque tabo
Lumina luminibus Matris permiſcuit: heu quæ
Vulnera luminibus torquet! Latonia Solis
E vultu tenebras haurit: rore illa cruentam
Ditat humum, lachrymaſque ſacro cum ſanguine miſcet.
Quem te cerno, inquit, Fili? Quò gratia vultus,
Quò fugit nitor ille tui? Quis volvitur imber
Sanguinis e membris? Vaſtos heu vulnerum hiatus!
Virginea heu flagris tellus ſulcata nefandis!
Qui divina vepres populantur tempora! Cingi
Syderibus dignum caput hoc diademate fulget!
Quo trunco opprimeris! Natum fulcire cadentem
Quis Matri vetat? O, quamvis crudelia, corda,
Tortores, lenite. Illi me affigite trunco.
Aſt aliter Summo ſi viſum, Nate, Parenti,
Atque ipſe, humani generis fortiſſime Vindex,
Vitæ Author, ſi dignaris ſuccumbere letho,
Nil dolor, aut Matris lachrymæ te, Nate, morantur.
Æternum referas domito de Dite trophæum.
Inſtar habens vitæ mihi mors æterna ſuperſit.
Turba furens Matrem plorantem, ac plura volentem
Dicere diſtinuit. Volat illa ad culmina montis
Tramite diverſo. Interea dum Filius urget
Triſte iter, irrorat rivis iter omne cruentis.
Non florum nimbo, Charites quo ſpargere callem,
Phœbe, tuum gaudent: non Hermi, aut Gangis arenis
Semita funeſti ornatur pretioſa triumphi.
Quot ſacri ſtillæ roris? Quot ſydera pingant

Lactis iter, quærant alii: labor irritus ille eſt.
Hac iter ad Superos, Heroum hæc ſemita ad aſtra.

Atteximus ob argumenti ſimilitudinem aliam Elegiam ejuſdem Ovidii ſtylo de occurſu eodem Deiparæ Virginis Filio ſuo Calvariæ Montem aſcendenti. Dictam anno 1670.

DUm trabe quadrifida preſſus Regnator Olympi
  Ad Moriæ colles anxius urget iter,
Ecce ſuo Genitrix occurrit pallida Nato,
  Agminaque intrepidus barbara rupit amor.
Ut vidit gelido rorantes ſanguine crines,
  Infeſſa & dumis tempora ſacrilegis:
Vidit ut ora, ſuæ tantùm agnoſcenda Parenti;
  Mutatæ reliquos nam latuere notæ:
Diriguit, velut afflarunt quem fulminis alæ:
  Ut Moriæ cautes, marmor & ipſa fuit.
At ſuus illam oculis fugitivæ ad munera vitæ
  Sol revocat: fuerat mortis origo ſuæ.
Vita redit; tamen, ut ſegetes aquilonibus actas,
  Vibravit ſubitus pallida membra tremor.
Hunc te, inquit, video, Fili, Rex Ætheris alti?
  Hunc ego te? Tantum crimina pondus habent!
Sic tua fulmineis ſulcarunt membra flagellis,
  Cinxerunt diris tempora ſacra rubis?
Qui Cælum torques (quantùm heu mortalia poſſunt
  Crimina) ſub duro pondere ſæpe labas!
Cur o funeſto noſtrum latus addere trunco
  Non datur, & Nato ferre Parentis opem?
Cur nimis in Cælum it ramis audacibus arbor,
  Atque oculos prohibet claudere poſſe tuos?
Parte mei meliore cadens haud funera poſco:
  Quantum o læthalis vita doloris habet?
Mors producta juvat; nam qui mihi cumque dierum,
  Eſſet ſupplicii terminus ille mei.
Dixerat. Extinguunt gemitus luctantia verba,
  Et lachrymæ: ſed non mens generoſa cadit.
Filius at contra, quamquam lenire dolentem
  Gaudeat alloquio, haud triſte moratur iter;
Et, Genitrix, tantùm dixit, dilecta, valeto:
  Addidit aſt oculis plura diſertus amor.
Defeſſum, inque ſuo lapſantem ſanguine lictor
  Montis ad abrupti culmina fune rapit.
Jamque arbor funeſta humeris impoſta Tonantis
  Ipſa etiam Matri cernere terga vetat.

Tunc,

Digitized by Google

Tunc, veluti cum Lunam inter jacet invida tellus,
    Solemque, amiſſo Cynthia fratre perit:
Sic viduata ſuo Genitrix pulcherrima Nato
    Palluit, alterius funere viſa mori.
Aſt objecta oculis magni portenta theatri
    Lætitia exhilarant ſaucia corda brevi.
Tempeſtate furens ceu cum ruit arduus Æther,
    Quandoque abrupta ſydera nube patent:
Nam qui divino manans e corpore Sanguis
    Pulchrius id Cæli lacte colorat iter,
Nobile ver Mariæ parit. Illi viſa roſarum
    Semina Divini Sanguinis eſſe notæ.
Purpureâ hic undâ, gutta lapis ille ſuperbit,
    Liliaque hinc, viola hinc tollit ad aſtra caput.
Sanguineo veniunt miri de ſemine flores,
    Ac properant Matris gaudia luminibus:
Et quoniam multis Calvaria mortibus horret,
    Aridaque innumeris oſſibus albet humus,
Viſa ſuper nudi prægrandia verticis oſſa
    Senſim delabi ſanguinis unda ſacri;
Illa immortalem ſubitò ſenſere vigorem,
    Deque ſuo exultim proſiliere loco:
Ecce novus ſubit ora color, ſubjere juventæ
    Purpureæ flores, & rediviva caro.
Prodigiis defixa hærent dum Virginis ora,
    Plurimus Aligerûm deſerit aſtra chorus,
Ut legat æthereos fœlici e culmine flores,
    Qui Mariæ ante oculos cum legerentur, ait.
Aſpice, quos fuſus quondam cruor inſeret aſtris
    Heroes fidei, Virgineique chori,
Floribus his picti vivunt. Viden? Igneus Adæ
    Ora coloravit penè renata vigor.
Monte ſub hoc hominum genitor tot ſæcla quievit,
    Putria nunc ſapiens expulit oſſa ſolum.
Divino ut melior fluat Adæ e Sanguine vita,
    Poſtquam Adæ fœlix abluit oſſa cruor.
Aligeri hæc Mariæ. Tunc, quas legere, cruoris
    Guttæ ſydereis erubuere notis.
Jamque Cruor, Stellis, & Apolline pulchrior ardet
    Irradians vultus, Aligerûmque manus.
At poſtquam hæc oculis Virgo fugientibus hauſit,
    Urget ad infauſti culmina collis iter.
Labitur interdum. De Cælo lapſa per auras,
    Tunc illam ſumma ad ſaxa quadriga rapit.
Cætera, Apollo, ſile. Pro te dixere ruentis
    Naturæ gemitus, & ſine luce dies.

Infixum Solio ſuo, non ſine horrore Univerſitatis rerum, ſuſpicimus Divinum Regem.

DEcolor atratis radiis Sol funera plora
Syderei Regis. Lucis fons aureus aret?
Extingui rivum decet. Inſolito tremere omnem
Miramur terram motu, ſi pendulus hæret
Aere ſublimis medio, cui terra, poluſque
Nititur? Extincti redeant ad lumina Vitæ,
Ut Vitæ Authori ſolvant vectigal honoris,
Dum ſua fata ſubit. Perituræ defluat ordo
Naturæ: totus lachrymis nunc innatet Orbis.
Tu ſolum ſcelus exulta; tibi namque Tonantem
Ferali tandem licuit ſuffigere trunco.
A Moriæ nunc monte redux en criminis adſum
Infœlix teſtis. Melius ſed nocte diurna
Teſtatur cælum, colliſaque ſaxa tumultu,
Cumque ſuo periiſſe flagrans Authore ruentis
Teſtatur fatum lachrymabile machina mundi.
Heu quæ funeſtant oculos ſpectacula mæſtos!
Horrida ſed claram ſpirant ſpectacula pompam.
Nobile Divini Solium eſt Crux inclyta Regis.
Poſt duros tandem ad Regnum eluctata triumphos
Illius eſt virtus. An non feralibus apta
Cupreſſus tumulis, & nuntia Pacis Oliva,
Victrici Palmæ, & Cedro commiſſa perenni,
Hoc Solium effinxit, cui non certaverit ardens
Auro Jeſſæi Regis thronus? Hoc ſuper altus
Ille ſuum ad cultum mortalia corda laceſſit.
Non adeo exoriens Phœbi vis alma vapores
In cælum rapit: innumeris ut cordibus alter
Divinus Sol emoriens accommodat alas,
Ut gravis excuſſo terreſtri pondere molis
Inſtituant curſus ad ſydera. Barbarus olim
Perſarum Princeps, Solium ut regale Tonantis,
Quadrifidum lignum venerabitur, illud & ultro
Ipſe ſuo imponet ſolio: clavoque trabali,
Magne, tua ornabis quondam diademata, Cæſar,
Qui Solio hunc Regem affigit. Quæ perfida porrò
Affixiſſe throno docuit veſania Regem?
Inſontes terebrare manus, quas ille perenni
In vos donorum ſuevit protendere vena?
Uſque adeone hominum Patris illi furta luenda,
Qui dextram, infœlix, pomum ad fatale tetendit?
Ergo multiplici de vulnere pendulus hæret
Affixus Solio Superûm Pater? Irrita ceſſent
Munera clavorum: ſatis illum admoverit alto
Trunco Amor. At non Regali diſſentit honori
Hoc Solii probrum, cui ſecum plurima victor

Affixit

Affixit portenta. Hominum ſcelerata cupido,
Auri dira fames, inſana ſuperbia, luxus,
Qui quondam invaſere hominum malè ſana Tyranni
Pectora, nunc hærent trunco, quo Rector Olympi
Fulcitur: ſeſe & quamvis ſubducere pœnæ
Luctentur, rurſumque hominum ſuccedere cordi,
Cæleſtis vis Regis obeſt: diſcerpere nullum
Monſtra queunt animum, niſi quem ſuus exhibet ultro
Perdendum furor. Egregii quis munere Regis
Perfunctum neget, e Solio pendere maligno
Qui cupit, ut populo fœlicia fata laboret?

Regalia munera mirificè obeuntem Pacis Principem adoramus.

SYdereus Princeps ſolio ſublimis in alto
Eductos venis totum diffundit in orbem
Irriguos fontes. Peperit quod Sanguine ſacro,
Nectare potabit populos. Arentia corda
Huc properate: Sitim ſanctis extinguite rivis.
Huc & anhelantes fauces, animoſque flagrantes
Admoveant, quos Tantaleos veſana labores
Edocuit ſpes cænoſos inquirere rores
Ambroſiæ mortalis, alit quæ pectoris æſtus.
Ille, licet Solio dextram transfixus inhæret,
Cæleſtes tibi, Latro, fores in præmia largus
Rex aperit. Decuit partiri munera Regem?
Sacra tibi, Dilecte Deo, cuſtodia Matris
Creditur, Auguſtæ ſed filius ipſe Parenti
Traderis. Interea demens cur turba malignis
Solicitas votis, Solii ut deſertor amati
E cruce deſiliat? Nec Regum eſt fata ſubire
Pro populo, & vitam ſubjectæ impendere genti?
Ambis, ut manibus lignum ferale refixis
In debellatos victor Rex torqueat hoſtes?
At non iſta tuas, Samſon, miracula vires
Exuperant. Sunt divini miracula Regis,
Affixis trunco manibus contagia culpæ,
Quodque ſubit, lethum, & frendentem Acheronta domare.
Regnum olli ſi finxit Amor, dum pignora amoris
Orbi offert majora, ſacræ data victima morti,
Rex patet. En nutu invitat trepidantia fata,
Et moriens juſtas extinguit Numinis iras.
Non tamen eſt idem, vitæ qui finis, amandi.
Sævit in extinctum furiis impulſa nefandis
Lancea. Divini ferrum crudele recludis,
Vulneris immanis foribus, penetralia cordis?
Picta ibi noſtra viget, depictaque ſanguine imago,
Hoc ſpeculo explores ut Regis pectus amantis,

Janua

Digitized by Google

Jauua ſacra patet. Captum te lumine, miles,
Crediderim, ut fama eſt? Si vel præcordia certo
Ictu aperis, te quis centum non dixerit Argum
Luminibus ſubjiſſe oculis impervia noſtris?
At ſi theſauros aperis, fonteſque ſacrorum,
Quos oculis viduata Fides mente aſpicit, ipſis
Captum oculis credam. Cordi quis deneget ipſi
Impavidam præbere fidem? Quis vulnere ſacro
Spirat odor, gratæ fluctus quis volvitur auræ!
O oculis formoſa meis tutiſſima rupes,
Arx o tartareis monſtris impervia, quæ me
Excipiet, quando armabit furialia caſtra
Styx infeſta. O dives aquæ, ſanctique Cruoris
Fons luſtrans miſeras fœcundo flumine terras.
Janua cæleſtis ſalve o pulcherrima regni,
Magnum orbis pretium. Terram ſalve inter, & aſtra,
Pignus amicitiæ, quamvis te impreſſerit hoſtis
Dextra ferox: ſalve ſignum venerabile Pacis.
O nimium pretioſa Dei Pax empta cruore!
Mente o dejecti, ſolvent qui fœdera Pacis.

DE VIRGINE DEIPARA

Ab Angelo ſalutata,

Præludium Pacis hominibus afferente, Carmen Ovidii Stylo, dictum in Aula Maxima Collegii Rhmani a Laurentio Gherardio anno 1663.

FUnereas extingue faces irata Megæra,
Bellorum fomes: rigeant in crinibus angues
Attonitis: nimiam timeat ne nautá paludem,
Nam multo umbrarum relevatur pondere cymba.
Pax venit, & niveis homines amplectitur alis:
Pax, & Hymen choreas plaudunt, Pacemque Hymenæus
Præproperam ſobolem parit. En Interpres Olympi
Pro face ſponſali famulantia ſydera præfert.
Candida purpureis pingit roſa miſta liguſtris
En Sponſæ vultum: Nivibus decus igneus addit
Spiritus, Ætnæas ceu nutrit flamma pruinas:
Umbræ divinus petit en ſuccedere Phœbus.
Palladis Auſoniæ columen, ſpes alma Quirini,
Parthenii flores, quos Virginis educat hortus,
Vadite, Nazareis ubi tollitur æmula Cælo
In campis Domus: ite alacres: vos legit Olympus
Divinæ Sponſæ Comites, dum civibus Axem

Spon-

Sponſus Amor viduavit, & ad connubia ducit
Æthereos juvenes mulcentes aera cantu.
Alma dies rediit, Mundi pereuntis Origo,
Qua primùm æternis tellus emerſit ab umbris,
Explicuitque novam, cæleſtia munera, pompam.
Virgo animo complexa Deum ſuper æthera mentem
Provehit, ac terræ corpus demiſſa, profatur.
O ſi, vernantis lux incunabula terræ
Quæ primùm vidit, recreati gaudia Mundi
Cerneret! Omnipotens Genitor, cur non tua Proles
Urget iter? cur non hominum Deus induit ora?
Pulchra quid auguſti reſeratur ſcena Theatri,
Et blandita oculis terram natura colorat,
Rege ſuo ſpoliata gemit ſi machina Mundi?
Dædala ſuſpirat Numen famulantibus ulnis
Amplecti tellus; nam cui ſua munera ſervat?
Bellum ne in Superos agitans humana propago
Dum ſitit excidium, dum tela triſulca laceſſit,
Ambitioſa ſuos tellus effundat honores,
Mancipio Ditis famulata, Deique rebelli?
Cladis amans, propriis cur imprimis oſcula vinclis,
Mortalis: cur non Furias tibi adempta catena
Alligat, & belli rabiem? Qui fulmina torques
Illachrymans, oſus palmarum fertile bellum,
Pande triumphali reditum, Pater optime, Paci.
Conjungant homini ſi vincla jugalia Numen,
Atque immiſta Deo natura ſuperbiat Adæ,
Pronuba ſponſalem Pax præferet aurea tædam.
Fœlix o nimium Genitrix, cui Numen in alvum
Influet, humani cupiens ſol carceris umbram!
Invidiam o Alvus Cæli paritura minoris!
Talia Jeſſidæ ſitientes dona Puellæ
Certant ut vinclo ſeſe ſociare jugali!
Ipſa viro quamvis properatis pacta Hymenæis,
Umbram conjugii ſequar: haud vernantia carpet
Lilia fraterno Joſeph gaviſus amore.
Traximus a Davide genus, ſed non mea tanti eſt,
Ambiat ut Numen condi hoc in corpore, virtus.
O ſi Divinæ famulari ſerva Parenti,
Figere & auguſtis poſſem mille oſcula plantis.
Fortè ſuæ Numen dum Matris ludit in ulnis,
Suavia furtivis poſſem properare labellis.
Forſitan & noſtris olim pendere lacertis
Gauderet, qui ceu ſtipulam rotat ætheris axem.
Matris honor captas non ſpe nos ludit inani:
Virgineaſque nives ſi ſolvere debeat Hymen,
Matris non arridet honor: dum candida ſerpant
Lilia per frontem, ſtellatam temno coronam,
Debita Divinæ regalia dona Parenti.
Eneco adoratæ ſpem Prolis, & immolo Numen.

Digitized by Google

Nate Deo, de te vitam mea pectora ducuut:
Parce recuſanti tibi dona rependere vitæ.
Contemptum progignit amor: pugnantia ſuadet
Ingenioſus amor, pro Numine temnere Numen,
Et procul eſſe jubet, ſine quo mea vita peribit.
Pars animæ pretioſa meæ te reſpuo Mater,
Quò te Virgineis amplectar ſerva lacertis.
Sancte pudor, noſtrâ mihi charior hoſtia vitâ,
Mactatur, ne te violem, Deus ipſe Tonanti:
Atque animam hanc ſcindit, qui vitam animare recuſat
Virginei candoris amor. Procul eſto, meum cor,
Quò tua ſint mea corda, Deus. Pia flamma calorem
De niveo candore trahet: velut æſtuat ignis
Lymphâ irroratus. Cum ſplendida dona recuſem,
Fortuniſque meis iraſcar, te fuga quærit
Noſtra, Deus, te pellit amor. Pia deſtinat aris
Abrami impietas Natum: præfervida anhelant
Corda agitante Deo patriis inſiſtere ſacris.
Sed manus audacem quia frænat blanda ſecurim,
Larga nec innocui Cælo placet unda cruoris,
Immolo ſpem Sobolis. Ponti ſi vincit arenas,
Syderaque, Abrami quæ germine pullulat arbor,
Non populus natorum, at Lilia ſparſa per Orbem
De noſtro incipiant ſoboleſcere, plurimaque ignes
Sponſa maritales Divino extinguat amore.
    Audiit, & jaculis transfixum Numen acutis,
Quæ contemptor Amor magnete attemperat aureo,
Fulgenti legat radiatum veſte Miniſtrum,
Virginea ut Sponſo connubia poſcat amanti.
Ille volans Euros, & fulminis increpat alas
Ceſſantes nimiùm: dein multo ſole coruſcus
Irradiat pulchros Mariæ trepidantis ocellos.
At fulgur Juvenis metuens, ceu Gorgonis ora,
Avertit roſeos Vigo pulcherrima vultus,
Et nova Nazareis exarſit purpura campis
Filia candoris, Muro dum lumina figit
Adverſo trepidans Virgo, cæleſtis Apelles
Aliger in muro præſaga exempla colorat
Virginei Partus, quæ priſcis edita ſæclis.
    Pro radio fulgur lucis, quæ promicat ore,
Dædaleas animat formas. Ulciſcitur undis
Dum flammas hominum Numen, metuitque propinquum
Luna mare, atque ſuo tumulari Cypria ponto,
Imminet una Domus Pelago ſpes alma labantis
Naturæ. Procul omnipotens hinc Virga minatur,
Ægypti metus, attonitas quæ diffidit undas,
Atque triumphales Pontum ſolidavit in arcus.
Illa, licet matris genitali e ſtirpe revulſa,
Induit in florem ſeſe. Viden? Æmula ſurgit
Parte alia Jeſſe regali e germine Virga,

Syderei Floris Genitrix, & gloria veris.
At matutinus dum terram irrorat Eous,
Plurimus in vellus pluit unio; nec tamen haurit
Auroræ lachrymas vellus. Per ſingula lætos
Circumfert oculos Virgo miracula rerum,
Cunctaque miratur, quibus eſt mirabilis ipſa,
Prodigia. Exultant hilari præcordia motu,
Nec jam cæleſtis formidat damna pudoris
Auguriis firmata ſacris. Tum Nuntius aulæ
Sydereæ hæc roſeo fatur pulcherrimus ore.
Hæc, Superûm Regina, tuo famulantur honori
Portenta: Ipſa inter pereuntis funera mundi
Inſultas pelago: Tu ſemper florida Virga
Inſultas hyemi: Intactum tu Vellus ab imbri
Nubibus inſultas. Chryſtallum hoc aſpice, ſolem
Quod bibit, atque expers maculæ ſtat lumina contra
Impavidum, inque axem fulgens ſua tela retorquet.
Expers tu labis Speculum. Fœcundus aquarum
Parte alia Puteus, viden, ut munimine firmo
Clauditur, ætherei præfert & nomina Regis?
Tu Fons illimis, vivæ pellucidus undæ
Tu Puteus: Tu deliciis ditiſſimus Hortus
Cæleſti certans, in quem non ſubdolus anguis
Invaſit, primis virus qui patribus afflans
Ante ortum miſeros funeſta clade nepotes
Infecit. Te multiplici ſub imagine cuncta
Sæcla ſpoponderunt terris. Tu Numinis alma
Mater eris. Sponſam ſibi te Divinus & optat
Spiritus. Intacta hinc adeo tua Lilia ſemper
Ridebunt: Cæleſtis Hymen, & candidus ignis
Scit nivibus ſervare fidem. Cum Prole Tonantis
Ex te naſcetur Pax aurea, ſydera terris
Concilians. Dixit, preſſoque obmutuit ore.
Quæ ſimul ac hilari libavit lumine Virgo,
Audiit & Sponſum cæleſtibus affore ab oris,
Mirata Aligeri digitos cum voce loquentes,
Annuit ætherei trepidans nil Solis ab umbra.
Tum Juvenis promit Divini pignus amoris.
Aureus eſt, charitum labor, Anulus. Omnia vivunt
Hic decora, in Sponſam quæ Numinis ardor amantis
Conferet, Imperium terræ, ac dotalis Olympus,
Gaudiaque, & pavido carituri fine triumphi.
Gemmâ oculos hilarat Virgo, qua dextra ſuperbit.
Interea niveo de ſanguine corpora Verbo
Aptat Amor. Deus, ille Deus, dum fulminat, aut dum
Percurrit rapido terras mens ignea motu,
Conditur ambitæ fœcundo in corpore Matris.
Fertilitas auget gravidi pretioſa Pudoris
Munera. Dum vinclis arctatur Numen in alvo,
Excutit exoſas hominum pars magna catenas.

Quæ Sponſi, & Mariæ, corda implicat aurea torques,
Bella fugans, hominum conjungit corda Tonanti.
Obſtupuit Natura parens, gaviſaque vinci
Certatim inſuetis oneravit fructibus ornos,
Vernaque populeis e frondibus uva pependit.
Ætheris attoniti ſonitus ſtetit, & rapidus ſol,
Flore cololarat qui primi luminis Hermum,
Preſſit anhelantes noctem pulſare jugales,
Arva Paleſtinæ non auſus pingere luce,
Quando ibi Sol melior gratæ ſucceſſerat umbræ.

AUGUSTISSIMÆ VIRGINI
Bethleem proficiſcenti,
Protrepticon Ovidii Stylo dictum anno 1662.

ALigerûm pennata cohors, quam nobilis ardor
Ætherei ſtimulat mandata capeſſere Regis,
Linque ſerenatos æterno lumine colles,
Neu faſtu terras humiles contemne ſuperbo.
Grande miniſterium Superis te devocat oris
Solicitam. Virgo Bethlæam tendit ad urbem,
Cæli delicium Virgo paritura Tonantem,
Ut genus, & proavos edat, Regique Quiritum
In Patria ſolvat Mundi Regina tributum.
Te decet aeream pubem lenire viarum
Aſpera, florenti colles depingere vere,
Æolio nocuos obſtringere carcere ventos,
Lædere ne Mariæ Boreas, aut humidus Auſter,
Reginam ignorans teneros fors cogitet artus.
Audimur: volat ecce albis exercitus alis
Nubila diſſolvens, & plauſu lætus ovanti
Blanditur terræ, Dominam quæ ſervat Olympi.
Ambitioſa ruit Superi pars magna Senatus
Muneribus decreta novis: non pulchrior illi
Æther, & ſacri viſa eſt plaga lucida Regni,
Quàm lachrymis fœcunda hominum telluris imago,
Ex quo Divinam complectitur ipſa Parentem,
Cujus amor nimia captum dulcedine Numen,
Induere humanam tenero ſub carcere formam
Juſſit, quamquam illi ſint parva mapalia Cælum.
Ergo alacris feſtinat opus delapſa juventus:
Pars Euri, Zephyrique domum petit, horrida ſaxa,
Fœcundam nimbis patriam, caligine nigra
Squalentem, fremit exoſis ubi clauſa cavernis
Turba procellarum genitrix, atque horrida Cæli
Arbitra nimbiferi, ſceptroque timenda nivali.

Illam

Illam expirantem furias Cæleſtis Alumnus,
Ventorum regimen ſortitus, & aeris, acri
Temperat imperio, vaſtaque in rupe catenas
Multa reluctanti nectit. Tunc fortè gravabat
Threicium vinclis Aquilonem, cum venit Ales
Numinis interpres, mandataque pandit Olympi:
Princeps, qui collem Hermonium, Taburumq; virentem,
Qui Solymæ campos, & Bethles divitis arva,
Aerei fratres immiti turbine vexant,
Huc revoces, cogaſque tuis mugire ſub antris.
Illa etenim juga Virginea protectus ab alvo
Scandere amat Superûm Princeps, prohibetque Parentis
Ora ſuæ rabidis ventorum flatibus uri.
Fertilibus tantùm Zephyrus molliſſimus alis
Criſpet anhelantes Divæ ſe ſubdere flores,
Mille ac det roſeis veris pater oſcula labris.
Dixerat: Ille Notum revocat, Caurumque Tyrannum
Æquoris, Iſacidum qui tum regnabat in agris.
Roranti Zephyri pennas dein nectare tingit,
Solvit & halantes, quas Flora aptarat, habenas.
Aeris imperio, Divûmque hilaratus honore
In florem Zephyrus ſitientes induit herbas,
Quàque volat, latè ambroſium diffundit odorem.
Ipſe etiam immites hebetat ſol flammeus arcus,
Spicula ut innocuæ vibrent parcentia lucis;
Quippe illum edocuit Superi gens aurea mundi
Ire novum terris Solem, cui non ſua certent
Lumina, quamquam illum tenebris premat invida nubes.
At cur Aligeri populantur Apollinis ædem?
Præproperas cur veris opes, argentea carpunt
Lilia, quæ fletu exoriens Aurora feraci,
Memnona cum plorat, cæleſtibus educat hortis?
Nectuntur cui ſerta, legens cui turba laborat
Sydereis furtis, aureæ cur nimbus arenæ
Diripitur? Noſco ſtudium certantis Olympi:
Furta placent, amor eſt flores aſpergere calli,
Quo virgo incedet: Veluti cum Phœbus anhelis
Afflat equis lucem primævo flore rubentem,
Ætheræ properant Nymphæ, quæ umbramque, diemque
Bis duodena ſecant in tempora: ſpargitur illis
Florea tempeſtas, Phœbique terenda quadrigis
Auro, & ſtellatis ornatur ſemita gemmis.
At nunc Cælicolæ manibus dare Lilia plenis
Tempus: eat roſeus reſolutis nubibus imber.
Florenti ingreditur Virgo nam florea calle,
Solis inoccidui properat prænuntia Virgo,
Phoſphorus ut Phœbi prænuntiat affore currus.
Quis decor in vultu, niveo quæ corpore clauſum
Majeſtas prodit Numen, quis fulgor ocellis
Emicat! Accelerant maternum pondera curſum,

Atque utero gravis, indocilis properare puella
Evolat, optantique negat veſtigia terræ.
Fabula Semideos ceu quondam currere dixit,
Radit iter, ſummaſque levis non proterit herbas.
It lateri cuſtos oculis impervia noſtris
Cana Fides, Pudor, & rubicunda Modeſtia frontem
Virgineam, pedibuſque ſuas Amor applicat alas.
Per fines, Galilæa, tuos, valleſque virentes
Carmeli, per palmiferas Samaritidis oras
Ingreditur, perque aerei juga ſumma Thaboris.
Quam peragrat, tanto jactat ſe munere tellus:
Exultant colles, tollunt ad ſydera frontem
Depreſſæ valles, nec, quo ſe tramite Virgo
Infert, ſydereo dubitat contendere lacti.
Pyramides vivæ demittunt alta cupreſſi
Culmina, procumbunt pinus, florentia certant
Agmina ridenti Divam contingere vultu,
Blandirique ſacris furtiva per oſcula plantis.
Ambitioſa olim quos lambent aſtra, cothurnis,
Sydera pratorum verno variata colore
Stragula ſupponunt: It circum Flora virenti
Serta manu intexens, æſtivaque gaudia ruris
Suſpicit admirans, &, non ſua munera, flores.
Spirat odoratis e frondibus aura Sabæa,
Et pretioſa ſuo gemmat Panchaja fletu.
Multicolor pictis foliorum turba labellis,
Quo datur ore, tuos, Virgo, decantat honores.
Ipſas quin etiam ſtudio geſtire videres
Annoſas quercus: ſterili manantia currunt
Mella libro, cupiuntque tuis dare pabula labris.
Ecce autem e latebris, & cæca valle ferarum,
Sylveſtrem exutas animum, properare cohortes:
Ire lupum cuſtodem ovibus, leporique moloſſum,
Et rapere innocuos orbes per humum, neque morſu
Serpentes furere; at collem circùm undique fundi,
Quo ſecat aereum curſum Divina Virago.
Haud aliter prima vernantis origine Mundi,
Cum princeps nondum cæleſtia vincula Limus
Fregerat, ac generi peſtem conflaverat eſu
Fatalis Pomi, Cervi accubuere Leoni,
Virque jugum impoſuit ponti, nemorumque Tyrannis,
Nec truculenta ſuum læſere animalia Regem:
Ludentes Adam vidit per membra colubros
Serpere, nectareoque ſitim compeſcuit hauſtu,
Quo nunc haurimus mortem cratere natantem.
Hos inter plauſus Terræ, ac certantis Olympi,
Occurrit placido ſerpens argentea curſu,
Per virides ripæ quæ volvitur unda ſmaragdos.
Ilicet iratos frænant vaga flumina fluctus,
Inſuetiſque hærent chryſtalla liquentia vinclis.

Litus

Litus Erythræas conchas vomit: unio flagrat
Virgineos implere ſinus: conchilia certant
Excipere, adverſæ & Reginam credere ripæ.
Illa ſed attonitas pedibus perlabitur undas
Neptuno inſultans: æterna ſilentia piſces
Dicuntur fregiſſe: avibus virgulta reſultant,
Tunc Mariam nemus omne loquaci fronde ſuſurrat,
Nominis & magni ducit ſuſpiria ventus.
Prodigiis fœcunda novis dum ſylva ſuperbit,
Fortè leves Paſtor texebat vimine ciſtas
Arbore ſub viridi, quà frondea culta flabello
Ventilat aereo Zephyrorum turba volantum,
Moribus innocuus, curæque impervius omni,
Incumbens operi charum luſtrabat ovile.
Cum Cælo huic olim fecit commercia virtus,
Et ſimul ac Divæ ſaturavit lumina vultu,
Mentis in exilium rapitur: videt abdita clauſtris
Pignora virgineis, gravidoque hæc pectore rumpit.
Uſque adeo patrii ſordent tibi Sydera Cæli,
Sylvarum ut ſcopulos, Paſtorum & frondea regna,
Numen, ames? Nec te ſocium pecoriſque, ferarumque
Eſſe pudet? Nonne æthereis radiantia gemmis
Tecta domus tibi ſunt impar, & regia ſolis?
Nunc tamen (o vis omnipotens mutantis Amoris!)
Carcere Virgineo premeris, perque horrida luſtra
Nube latens agitas curſum Sol immemor axis?
Hoſpitis & tanti paſtoria fiſtula laudes
Muta ſilet? Viden, ut pecudes, pictæque volucres,
Ut Zephyri tenui Numen canit aura ſuſurro?
Succeſſere homini volucres, oviumque magiſtros
Vincit ovis. Saltem laudes iterate Favonj.
Sic neque Pirene duris in cotibus alas
Atterat, & veſtros non tardent nubila curſus.
Secretæ valles, nudiſque horrentia ſaxis
Culmina, quas alitis magicis in collibus herbas,
Quæ Numen veſtris vis abdita detinet oris?
Fallor? An & nemorum Divina infantia cælum
Hauriet? an primis flectet vagitibus antra?
Hoc erat, Alme Puer, noſtræ quod gloria gentis;
Paſtorumque decus quondam prædixerat Amos.
Expectatus ades: quoties adamantina queſtu
Sydera pulſavi, quoties mollita querelis
Antra meis tacito luctu aggemuere gementi!
Quàm bene cum longæ premerent me tædia vitæ,
Promiſſus mora lucis erat Servator ab aſtris?
Ergo meis infans Numen regnabit in ulnis
Fulminis oblitus? Dabitur portare Tonantem,
Qui, tenuem ut ſtipulam, cæleſtes ſuſtinet Orbes!
Fortunata Parens, de te tot munera tellus
Expectat, condetque tuus nova ſecula partus.

At

Digitized by Google

At nemorum gremio Superûm invidioſa voluptas
Si ſedit, Pueroque Deo reptabitur antrum,
Per quem remigibus volucer ſecat aera pennis,
Cedite Amadryades, ridendaque Numina Panes,
Cedat vipereo certans Diſcordia felle,
Vinclisque obſtrictus Furor in dumis deſertis
Infremat: in noſtras redeat Pax aurea ſylvas.
Te veniente, Puer, paſſim galea hoſtica fundet
Nectar api, in clypeis nidum fabricabitur ales,
Belliger agricolæ in falcem curvabitur enſis.

INTEGERRIMÆ VIRGINI TEMPLUM ADEUNTI,

Quaſi Purgatione indigeret,

Carmen Ovidii Stylo dictum in Claſſe Rhetoricæ Anno 1672.

ALme parens lucis, rutilantis origo diei,
Aſtrorum Cæſar, tenebris ardentia conde
Lumina: ſordentem cæleſtis pulvere curſus
Ablue cæſariem ponto. Exhortatus habenis
Emeritos nondum currus in Tethyos undas
Præcipita: rapidis miratæ paſſibus Horæ
Feſtinent iter, atque harum pars magna quadrigam
Deſtituat deluſa tuam: properataque Solis
Æquoreæ trepident, ac plorent funera Nymphæ.
Tuque adeo, formæ nequidquam flore ſuperba,
Atra genas, maculis ſuffuſa Aurora profundo
Merge jubar. Nec vos oculatæ lumina noctis
Excubias agite in cælo mortalibus ægris:
Projicite immeritum æterni Diadematis aurum:
Irruite in pelagus: non ipſæ attingere fluctus
Arctoæ trepident Urſæ; formoſa Tonantis
Dum Genitrix tergit Divinæ lumina frontis
Pulchrior Aurorâ, & Stellis, & fonte decoris
Ætherei Sole. Attoniti dum limina Templi,
Virgo, ſubis, ſimulans radios purgare nivales,
Suffice candorem Muſæ, quæ pangere laudes
Audet, Diva, tuas: quæ de te ſplendida Divi
Auroræ in tectis Eoo in margine cæli
Concilia inſtituunt, facili da promere cantu.
Eſt in ſemota cæli regione ſereni,
Albeſcit primo lucis quæ flore renatæ,
Auroræ Domus: hic roſei ſunt ætheris horti,
Hic immortales nullo de ſemine flores

Naſcun-

Digitized by Google

Naſcuntur: poſtes rident, vernantia fragrant
Atria, pubeſcunt adytus, conclavia ſpirant
Ambroſiam, & rutilis radiantia tecta pyropis.
Auro conſurgit paries, ac dædala circùm
Aulæis adamas intextus mœnia veſtit.
Lactea diſtinguunt excelſi fornicis arcum
Sydera: calcantur permiſta corallia gemmis.
Sunt urnæ circûm roris, quo filia Solis,
Et genitrix, lactat Pæſtana roſaria cæli.
Semina ſunt florum, in terras quæ ſpargit ab axe
Tithoni conjux: eſt, quo fugat aſtra, flagellum
Vicino de ſole rubens: eſt picta quadriga,
Quæ nobis affert præludia pulchra diei.
Aſt aulæ in medio regali fulgurat oſtro
Mygdoniæ ſolium Divæ, quo murice dives
Non Tyrus, aut Sidon, ſed quæ ſunt flumina Divis
Alta ſuper cæli laquearia: plurimus Hermus
Hic nitet æthereus, divini & munera Gangis.
Hæc adeo Auroræ pulcherrima tecta frequentant
Aligeri Juvenes, æterno nectare paſcit
Quos Deus, atque ſui fœlici luminis hauſtu
Perpetuò potat, quamvis ad nobile munus
Selectis jubeat cæleſtes flectere curſus
Auroræ, & Solis, Stelliſque præeſſe perennes
Aurigas: ollis divini gratia geſtus,
Et vultus: vincunt ridentia lumina ſolem:
Aurea multiplici radiat coma nexilis aſtro,
Picta chlamys niveis illabitur artubus, auro
Fibula quam nectit. Matutæ invectus in ædes
Ut fuit Aligerûm chorus, atque ſedilia preſſit
Gemmea, ſic, Soli qui præſidet, ora reſolvit.
Syderei Proceres, ergo vecordia cælum
Mortalis petit, & noſtræ concredita curæ
Obruit aſtra probris? Infamia nomina ſtellis
Indiderit! Mavors inſanus regnet in axe,
Saturnus, Cypris, Orion, Ledæaque proles,
Hydræ, Centauri, Piſces, & Scorpius acer,
Taurique, atque ipſo melior Jove turba ferarum!
Nunc etiam maculas humana ſuperbia ſacris
Luminibus tribuit? Mortali obnoxia labi
Aſtra putat? Scabra, dicit, rubigine ſordent
Plurima? Labentis reparant diſpendia lucis?
Incurvum hoc ſenio, languenti extinguitur igne?
Æquore id æthereo mutantem Protea formas
Ore refert? Denſo quà Cynthia cogitur orbe,
Atra ſitu ſqualet? Genitrix Aurora parentem
Luminis enixa oceani ſe mergit in undas,
Deleat ut ſordes, partu quas traxit ab aureo?
Ipſo etiam fingit maculas in Principe lucis
Humani caligo oculi? Quònam illa feratur

Altius?

Altius? Hæc Solis Rector, cui, lumine primo
Auroræ ſuetus cæleſtes pingere campos,
Aliger hæc contra retulit. Si affingere veras,
Syderibus labes humana audacia certat,
Inſanit miſerè: quod ſi, dum carpere cælum
Creditur, arcana illuſtri velamine cœlat,
Quæ falſi latitant ſub imagine, fabula mentes
Docta beat. Matuta, inquit, tumulatur in undis,
Ut peperit Solem partus ſuffuſa rubore;
Nam veri Solis Genitrix Aurora Virago,
Divino poſtquam ditavit munere terras,
Non tumida inceſſit, partuque ſuperba beato;
Mite verecunda vibrans ſed nube ſerenum
Feſtinavit iter regalis ad atria Templi,
Ut reliquæ, proles temerat queis corpora, matres.
Æneum ibi Pelagus templi ſervatur in uſus:
Abluere hoc frontis radios Divina videtur
Aurora, & Patrias dein Natum ſiſtere ad aras.
Cernitis, ut niveo rubor, ut natat ignis in ore
Purpureus! Dejecta oculos ut nube modeſta
Sydereos orbes involvit! ut unio largo
Irrigat imbre genas, & ſacri plurima roris
Vis fluit! Ut pulchrum ſublimis verticis aurum
Frontis ebur tegit! Ut, quamvis ſit plurimus ore
Filius, & quicquid Charis, & Natura decoris
Collegiſſe poteſt, ſeſe huic indulſerit uni;
Non tamen inceſſu pateat, neque Numinis alma
Ore Parens! Ut diſſimulat cæleſtia dona!
Luſtrari ut petit! Intactas ut Diva Columbas
Pauperis in morem ſacris altaribus offert!
At nive candidior Natus, quæ defluat Arcto,
A nivea Dein Matre piis imponitur aris.
Exilit inſolito vibratum lumine Templum:
Perſenſit pretium oblati ſibi muneris Ara,
Quo nunquam majus ſacri videre Penates,
Huc licet exuvias orbis, domitoſque Tyrannos
Jeſſæi intulerint Reges: non talia vidit
Munera Tarpeii templum regale Tonantis:
Non quæ tercentum Romæ delubra fremebant
Lætitiâ, plauſuque, Diis cum vota profanis
Sacrabat victor, cui palmæ inſigne relatæ
Ornabat frontem laurus, cui turba Quiritum
Obvia Neſtoreos annos, alioſque triumphos
Optabat: fremitum quadrupes, & gaudia vulgi
Miratus curſum frænabat. At ipſa decoras
Præſtolata ducum exuvias geſtire Deorum
Templa videbantur, quas poſtibus inde ſuperbis
Aptabat Cæſar, clypeos, & honore trementes
Criſtarum galeas, enſeſque, & ſanguine tinctas
Loricas Regum, veſtes Tyrioque veneno

Imbu-

Digitized by Google

Imbutas, & acu pictas, auroque rigentes
Intexto. Aſt aras circùm caſtella metallis
Pendebant efficta, Urbes, monteſque, lacuſque,
Captivi fractis mœrentes cornibus amnes,
Crinibus & paſſis, Reginæ flentis ad inſtar,
Regnorum ſimulachra, Ducis fugientis imago
Plurima, terribiles, ipſaque in morte minaces
Tigranis vultus, Nomadum, Libyæque Tyranni.
Sæpe catenatos etiam Tarpeja Syphaces,
Vincula nequidquam mordentes, Templa videbant.
At quamvis Regum populum tibi Roma dicaret,
Jupiter, & lectas utroque a margine Solis
Exuvias, non hæc æquabant munera, Regi
Quæ Superûm pia Virgo ſacrat; namque hujus adorans
Imperium Pueri Regum olim turba trementi
Horrebit latere, ardenti & quæ fulmina ab ore
Prodibunt. Pretium doni, quod conſecrat aris
Aurora Æterni Genitrix pulcherrima Solis,
Longævus vidit Simeon, cui corda triumphant,
Ipſaque vernantes revocantur corpora in annos,
Dum Vitæ Authorem exultantibus excipit ulnis;
Munera ſed vitæ ſpernit: ſatiata beato
Aſpectu renuunt quicquam mortale videre
Lumina: in amplexu Vitę exoptata laceſſit
Funera. Mæandrum Cycnus ceu propter amœnum
Invitat cantu fatum. Nunc vincula ſolvas,
Luctanti quæ frænum animo injecere malignum,
Optime Rex Superûm. Tua nunc promiſſa repoſco;
Nunc me complexus gremio pater inſerat Abraham
Concilio Procerum, tibi qui pia corda, ſacramque
Servavere fidem. Quos inter præſcia Vatum
Agmina venturum te quondam ex axe canebant,
Ut primi lueres noxam, & fatalia Patris,
Heu malè ferali decerpta ex arbore, poma,
Poma heu Tartareo malè cuſtodita Draconi.
Ipſe ego promiſſi impleti, quo ex æthere quondam
Venturum, mortale genus qui morte piaret,
Spes cælo delapſa animos non luſit inanes,
Teſtis ero. His, dicam, divinæ frontis honorem
Hauſi luminibus: cæleſtis pabula amoris
Lumina ſpectavi: fœlicia pignora pacis
Hæ tetigere manus. Totus quo nititur orbis,
Eſt mihi ferre datum pueriles Numinis artus.
O bene tam fauſtos ſervata cadentia in uſus
Lumina! Vivacis bene nobis luſtra ſenectæ
Exantlata! Datur cæleſtia dona tueri.
Hic ille Æterni magnum Patris incrementum,
Hic mundi Servator adeſt. Adamantina tandem
Clauſtra recluſa poli. Tandem æthere lapſus ab alto
Mortales hauſit, qui nos cælo inſeret, auras!

Advenit ſperata dies, votiſque vocata
Iſacidûm. Terras omnes qui lumine luſtret,
Emicuit roſeo Sol formoſiſſimus ore,
Ut riget hic lucis fons aureus ultima regna
Terrarum denſis dudum tumulata tenebris.
Jeſſææ ex illo quæ ſurget gloria genti,
Quæ proavis, magnam qui te genuere Parentem
Divini Auroram Solis! Correptus ab œſtro
Fatidico hæc Senior canet: hæc præſagus in axe
Cantavit prius, Auroræ qui præſidet, Ales.

DEIPARÆ AMOREM
Eſſe Gaudii Fontem oſtenditur
Carmine, Ovidii ſtylo
Dicto in Claſſe Rhetoricæ Anno 1672.

QUos Pindus finxit, pariant qui gaudia, fontes?
Quas riſus ſcatebras? Verus fons labitur axe,
Lætitiæ qui rore rigat mortalia corda.
Ambroſiæ, tu Virgo, ſacros in pectora rivos
Diffundis: tua quem blanda indulgentia lactat,
Nectaris huic levat unda ſitim: rapit ignea virtus
Hunc volucri in Montem curſu, ſpectare jacentes
Unde datur terras, miſeræque ergaſtula gentis,
Cui dulce inſtillat Babylonia ſaga venenum,
Inſani, quos invitat mentita voluptas,
Exiguo calicis contingens nectare labra.
Interea mortem aurato in cratere natantem
Hauritis. Mentem labor anxius urit: anhelos
Inſinuatque metus violati Numinis ira.
At nullo felle infectum gemmante liquorem
In patera potant, qui te, pulcherrima Virgo,
Depereunt, juvenes. His mella e quercubus undant,
Flumina lacte fluunt. Fœlici compede vinctus
Quiſquis, Diva, tibi florentes conſecrat annos:
Huic animi triſtes conſueſti avertere curas,
Hunc mentis nox nulla premit, ſine nube nivales
Ducit & ille dies. O ſi labefactus amoris
Deliquio ducam fœlici a funere vitam:
Intercam curis mortalibus: haud mea quiſquam
Diſtrahat in partes, aut pectora ſauciet ardor.
Inſanus fuerit, qui Virgine fixit in una,
Quos mundo vecors oculos debebat Apollo;
At ſapiens, oculos toti qui ſubtrahit orbi,

Atque

Atque illos una cæleſti in Virgine figit.
O noſtra ablegent perituram lumina lucem,
Atque inhient uni tibi, Diva. Affuſa labellis
Gratia quanta tuis! Oculis quæ intermicat iris
Nuntia lætitiæ! Tu lunâ, & pulchrior aſtris,
Et Phœbô. Intexit radiis tua Syrmata Phœbus:
Quantùm ore exuperas formantem Syrmata Phœbum!
Si rapere evaluit tua forma ex axe Tonantem,
Non me ſurrripiat mihi? Me mihi ſurpuit illa,
Quæ rapere evaluit cæleſti Numen ab arce.
Dulcia quæ miti depromit tela pharetra!
Quas arcu Virgo jaculatur blanda ſagittas!
Ignea tela, animi populantes regna ſagittæ,
Irruite in fibras: parient mea funera vitam.

D. JOANNIS APOSTOLI, ET EVANGELISTÆ

Supra Chriſti Domini Pectus recumbentis Cæleſte Somnium repræſentatum

Virgilii Stylo, *Carmine*

Dicto in Eccleſia Maronitarum anno 1673.

SYdera, cæleſtes oculi, ſi veſtra ſopore
Lumina ſolvuntur, dum puro ex æthere lucem
Spargitis, excubiaſque agitis mortalibus ægris,
Sopitum dicam Juvenem, cui Gratia nomen
Fingit, dum ſupra Divini pectora Regis
Vitali claudit fœlicia lumina ſomno.
Non ſegnis ſopor ille fuit, non triſtis imago
Luctificæ mortis: Vitæ fuit umbra beatæ,
Atque immortalis ſopor hic fuit arrha quietis.
Namque obtutu Aquilæ, & cæleſtis acumine mentis
Fertur in aſtra volans: mortalia lumina claudit;
Interea miro recreantur corda theatro,
Atque ſuæ, alterius ſub imagine, gaudia ſortis
Præcipit, & regni prænuntia ſigna perennis.
Semita lactis erat Cælo protenſa ſereno,
Syderibus ſparſa, & vincentibus aſtra liguſtris:
Hac vir ingreditur, roſeo quem lumine frontis
Crediderīs Phœbum bis ſex per ſigna volantem,
Laurea ſi tantùm frænarent ſerta capillos;
Non Lauro innexæ Palmæ, non Lilia Palmis
Ambirent frontem; triplici ſed fronde ſuperbit
Egregius formâ Juvenis, celerique volatu

Digitized by Google

Aera dimenſus, ſeptemque volumina Cæli,
Quæ incerto irradiant fatalia Sydera curſu,
Et quem fixa Polum ſtellarum turba frequentat,
Ætherei penetrat fœlicem Regis ad Urbem.
Panditur ante oculos adamantina Janua: Callis
Aureus obtutum exhilarat: circùm undique fuſum
Concilium Heroum properat per mutua certans
Officia, atque novo Cæli ornamenta Quiriti,
Regali ſceptrum dextræ, diademata fronti,
Syrma humeris aptat. Solium ad regale Tonantis
Dein, Hoſpes, ducunt Superi te Cive ſuperbi.
Non mihi ſi Cælo rutilant quot ſydera, linguæ,
Ora ſonent totidem, quæ te exundantia, dicam,
Gaudia pertentent, quàm fauſto lumine blandus
Te Superûm Pater excipiat. Certare videntur
Agmina Cælicolûm, & ſtudio geſtire triumphis
Ambitioſa tuis famulari, & ſedibus aureis
Excipere, atque ſui conſortem cernere fati.
En, qui fatidicum jaculati in ſecula lumen
Poſt annos agitanda ſuos, tibi ſole decorum
Multiplici ſolium exornant: en Laurea turba,
Quam totidem irradiant, pandunt quot vulnera, ſoles
Vulneribus fœcunda, tibi ſua præmia monſtrat.
Aſpicis, ut Fidei Patres, quo cardine Cælum
Nititur in terris, ſua certant jura tueri.
Quin etiam, quos Doctrinæ Sapientia Reges
Alma colit: nivibus veſtis quos pulchrior ambit,
Te nutu invitant? Divini at Mater Amoris
Imperio litem dirimit: Namque, advena, dixit,
Ornamenta tibi ſunt omnia debita laudum,
Scindis & incertum ſtudia in contraria Cælum,
Noſter eris: noſtra, Aligeri, ad veſtigia ſurgat
Auratum ſolium: decora huc diſperſa per omnes
Miſta fluant: huc multiplicis monumenta triumphi.
Dixerat: aggreditur munus ſtudioſa juventus
Hoſpitis ingeminans laudes: Sic Numen Amicis
Indulget: tanto Virgo dignatur honore,
Quos illi natos amor addidit. Haud tua Divûm
Sors ulli conceſſa. Tibi cæleſtia templa,
Et mitis patuere Dei penetralia, quando
Invida mors animâ nondum ſecreverat artus.
Te, viden, ut tellus veneretur, & aſtra Magiſtrum?
Scintillat, multoque rigens adamante Volumen
Syderibus centum diſtincta ex æthere pandit
Ingenii monumenta tui, calamuſque perennis
Regnat in axe, Orphei mendax ubi Græcia quondam
Crediderat fulſiſſe lyram. Te Turba Deorum,
Te ſtygii tremuere canes: tu civibus Orcum,
Et Jovis impuras viduas cultoribus aras,
Fulminis ut fervor, flammis quod, & imbre tumeſcens,

Cum

Cum tonitru peperit nubes, ſecat æthera lapſu,
Templa ſuper Tarpeja ruens altaria ſolvit
In cinerem: tua ſic virtus ſimulachra Deorum
Diruit: ut fulmen ſceleratis incubat aris.
Tu victâ, generoſe, Aſiâ, ductoque Oriente
Divini ad cultum ſolis, fœlicibus uris
Europam flammis: timuit te Roma tonantem
In Jovis imperium: ſtupuit te Roma flagranti
Ridentem in ſtagno: veluti tibi fervida Pallas
Funderet ambroſiam, aut vivacis munus olivi
Adderet ad bellum vires. Adamantina ſolvunt
Corpora carnifices, ac te ſupereſſe trophæis
Gaudet Roma tuis. Libitinæ exemptus acerbo
Crederis imperio, terræque coævus, & axis.
Uſque adeo tranſgreſſa hominum confinia Virtus
Naturæ, ac Mortis viſa eſt meruiſſe triumphos.
At non perpetuus crudeli munere Divûm
Exul eris, nec te dives certabit Olympo
Terra diu. In ſomnis dum talia mente volutat
Joannes, fruiturque perennis imagine Somni,
Aſpicit illum oculis Chriſtus, quibus omnia luſtrat.
Ac, velut ad Solem ſi quis converſus Eoum
Sub Jove concedat languentia membra ſopori,
Evigilat, cum primo oculos perſtringit Apollo
Lumine: ſic feſtiva tui te ſpicula Solis
Mentis ab exilio revocant: neque ſydera torquent
Rapta oculis: Cælum, Solemque tueris in illo:
Ille tibi Superûm Princeps, Superûm ille Senatus.
Tum ſic alloqueris Numen: Niſi Somnia mentem
Luſerunt, cuinam tantùm blanditur Olympus,
Nam te nulla latent animi penetralia noſtri?
Noſtri delicium cordis, tibi plaudit Olympus,
Numen ait: meritos tibi adornant aſtra triumphos.
Lætitiæ florem deliba, & præcipe ſortis
Argumenta tuæ: ſpe non lactabere inani.
Eſt tanti, primo quem nos dignamur amore.
Dixit, & hac rurſus Juvenem voce intulit aſtris.

DE D. HERMENEGILDO
Rege Hiſpaniarum, & Martyre,
Carmen Ovidii Stylo
Ab Authore dictum in Aula Maxima Collegii Romani Anno 1655.

Cum Tertium paulò ante clauſiſſet ætatis luſtrum.

Exere purpuream fœlix Hiſpania frontem,
Inclyta regnantum Genitrix, ſemperque recenti
Laude nitens, ſemperque novis fœcunda trophæis.
Exere adoratum terris caput; indue cultus
Auguſtos: priſci exoritur tibi temporis aurum.
Olim te ſtygiis elapſa e faucibus hydra
Corripuit: patrium natorum in viſcera ferrum
Merſit, & immerito temeravit ſanguine laurus.
Numinis at poſtquam te mitior aura reviſit,
Perfidiæ jugulata lues fremit ore cruento.
Quin etiam ſtillans regali e vulnere ſanguis,
Ceu campos pluvii rorantia munera cæli,
Et ſpes agricolæ turgentia nubila lactant,
Fœcundabit agros, Fideique hoc rore novales
Extollent ſata læta, & rumpent horrea meſſes.
Scilicet e ſacro qui corpore liquitur humor
Chriſtiadum Heroum, quorum ævi prodiga virtus
Ætherea gaudet vitam pro laude paciſci,
Seminat haud dubias meſſes, atque imperat arvis,
Et legit innumeras uno de ſemine fruges.
Qualiter Æſonides ſpirantes naribus ignem
Poſtquam colla jugo juſſit ſubmittere tauros,
Inſuetæque altos telluri infindere ſulcos,
Cominus e galea fatalia ſemina dentes
Vipereos campo commiſit: nec mora, terræ
Ferrea progenies duris caput extulit arvis.
Eſt locus, Ægyptum fluvio ſeptemplice Nilus
Quà ſecat, & campos ſtagnantibus alluit undis,
Haud procul urbe, ſuo Macedo quam nomine dixit,
Obſcurum hìc famâ ſtagnum Mareotidis undæ
Subſidit, glaucâque ſolum complectitur ulvâ.
Sæpius huc patria decedens urbe Sacerdos
Ferre pedem ſolitus, ſecumque arcana volutans
Cœperat in Superos moliri perfida bella.
Arium dixere patres, ingentia famam
Crimina fecere, & luctus, quos intulit orbi.
Ille Immortalem Sobolem Patris Icona Verbum
Ætherei fluxiſſe negat de fonte Parentis
Patri æquale, nec a magno Genitore creatum,

Digitized by Google

Hæc ubi mente ſedent, ac tantum pectore crimen
Hauſit, avernali vovet impia corda Tyranno,
Concepitque animo Ditem. Tum carcere ab imo
Suſcitat Artificem ſceleris, cui noxia verba,
Inſidiæque, dolique, & menti plurimus error.
Perfidia exin tænareis infecta venenis
Principiò afflavit peſtem, populumque minorem
Corrupit, ſenſimque lues illapſa per urbes.
Præſertim Heſperia in magna, quà Cynthius aureo
Liberat e curru tranſacta luce jugales,
Quàm multæ ſceleris facies, nec ſingula morbus
Pectora tentabat; ſed, qualis cum furor ignis
Incubuit ſylvis, ramos, annoſaque paſſim
Brachia circumdat, latèque incendia miſcet
Arboris allabens trunco, quæ proxima ſurgit:
Illa ruit, ſecumque trahit, ſpargitque ruinam.
Nam ſimul ac latam metitur torrida ſylvam,
Decuſſas ruit in frondes, quæ ſemine flammæ
Comprendunt truncos: mox eluctatur in auras
Ignea tempeſtas, & debacchantibus euris
Turbine flammarum populatur frondea regna,
Obſcuratque diem picea caligine fumus.
Haud ſecus Hiſpanos labes graſſata per agros
Vaſtavit plebem, & duri quem gloria Martis,
Juſtitiæque rigor genti præfecit Iberæ,
Protinus infecit Levigildum, atque omnis ab uno
Perfidiæ in populum fluxit contagio. Vulgi
Scilicet involvunt Reges ſua fata ruinis.
At non Heſperiam torvo ſpectabat Olympus
Lumine; nam Regis natus, qui primus ad auras
Venerat, & patrii regni cui debita moles,
Egregii Princeps animi, cui forma pudorem
Ornabat, formamque pudor, pia corda ſacrarat
Numini, & æthereo perfuſus lumine mentem
Arium toto jampridem corde fugarat.
Fluxere in Juvenem charites, & prodigus æther,
Partiri quæ donà ſolet, congeſſit in unum.
Olli forma decens, deſcripti in fronte lepores,
Certantes nivibus malæ, quas concolor oſtro
Gratia ſpargebat, radiis non invida Phœbi
Cæſaries oculis caſtum ſpirabat amorem.
Regia ſed Regem pietas, & ſanctus honeſti
Illuſtrabat amor. Non illum gloria Regum,
Non populi ſtudium flexit, non divitis auri
Fulgor, & alliciens vel Martia corda voluptas.
Deliciæ Juveni Superos in vota vocare,
In ſua membra flagris ſævire, & fervida Bacchi
Pocula dum ſpumant, menſæque onerantur heriles
Perpetuis dapibus, certo jejunia cultu
Servare, atque ſitim puro compeſcere fonte.

Digitized by Google

Quin etiam nigris dum nox premit aera bigis,
Threiciuſque Aquilo liquidis bacchatur in agris,
Dum riget omnis humus, non mollis culcita feſſum
Excipit, aut tenui mulcentur corpora lino:
Fundit humo regale decus, ſpolioque Leonis
Incubat inſtrato. Senſit ſibi credita tellus
Pignora, & acclinem molli lætiſſima Regem
Excepit gremio, preſſaſque a principe glebas
Induit in flores, ſceptro dum bruma nivali
Imperium exercet, dum nix jacet horrida campo.
Non tamen imbellis Pietas, nec frigida Regi
Dextra placet, ſibi nec cælum ſpe præcipit uni.
Ut primùm Juveni fulſit lux aurea veri,
Afflavitque diem cordi: velut arduus Æthon,
Puniceis evecta rotis cum diſpulit umbras
Aurora, & dubia luſtravit culmina luce,
Stare loco neſcit, crinem quatit, & pede cælum
Creber agit pulſans, roſeaſque injuſſus habenas
Implicat, & luctantem e naribus egerit ignem;
Gliſcit enim volucres agitare per aera currus,
Ferre diem terris, radiiſque retexere cælum.
Haud aliter Juvenis Divino percitus æſtu
Perfidiæ denſâ merſos caligine cives
Eruere inſanis ramoſæ faucibus Hydræ
Ardet, & ætherei perfundere lumine ſolis.
Non tulit hoc ſtygii rabies obliqua Tyranni.
Infremit, ac torvùm liventia lumina volvens
Ipſum perfidiæ Patrem non mollia juſſa
Ad Regem deferre jubet. Ruit excitus ille
Carcere ab exoſo, & Myſtæ venerabilis ora
Mentitus ſulcis frontem exarat, horrida vultum
Contrahit illuvies, gracili ſonat hiſpida mento
Canities, pulloque umbratur ſyrmate corpus.
Tum ſeſe ad Regem, toto dum pectore noctem
Accipit, & feſſos altus ſopor irrigat artus,
Intulit, ardenti ſimul hæc ſuperintonat ore.
Magnanime o Princeps, cui non virtutis egenti
Fortia bellantum moderari pectora Numen
Annuit, & Gothicas in cælum attollere palmas,
Noſtræ olim columen fidei, quis torpor adurget,
Aut quæ tranſverſam pietas agit impia mentem?
Siccine dum ſine Prole pari gens noſtra Parentem
Æternum teſtatur, iners patieris inultam
Regnator ſobolem Senis execranda Latini
Sacra, Deoſque ſequi, noſtroque e ſemine natum,
Quadrifido affixum trunco ſociare Tonanti?
Quid ſtruis, aut qua ſpe ſceleri prætendere nubem,
Perfide, moliris? Nati in te vertitur error.
Si facilis Princeps, legum qui torquet habenas,
Deliquiſſe ſinit, cogit peccare nocentes.

Quid

Quid prodeſt labor exactus, quid vulgus inermis,
Quid pœnâ preſſiſſe reos, fideique tot urbes
Lumine luſtraſſe, & cæli excoluiſſe per artes,
Si tua Progenies, cui debita ſceptra Parentis,
Ut mors atra tuos animâ ſecreverit artus,
In mea ſacra ruet, ſceleriſque novator aviti
Templa, fidem, leges populabitur, aut prece blanda
Alliciet populos, aut ferro proruet audax?
Quare age: Si patris imperio parere recuſet,
Sentiat, & Regem non experiatur inultum.
Aut ego. Sic fatus ſtygiis ſe immiſcuit umbris.
Olli cura ingens noctem expulit, utque recenti
Flore rubens aurora diem, lucemque reduxit,
Hermenegildum jubet intra tecta vocari,
Mollius & primos adytus conſtantis alumni
Explorat, patrioque hæc mitior ore profatur.
Nate, meis oculis mihi charior, ora parentis
Languida qui placidæ ſolaris lumine frontis,
Si diverſa fides ſtudia in contraria regnum
Scindat, & ancipiti nutet ſententia cultu,
In patrios acuet ferrum exitiale penates
Turba furens, fratreſque ruent per vulnera fratrum.
Nec te, nate, fugit quantis Hiſpania regnis
Nobiliora Patris fateatur Numina, & altæ
Mentis opus neget eſſe Deum: conſpirat in unum
Europæque, Aſiæque animis communibus Orbis.
Ergo cur vana deceptus imagine rerum
Volveris in veteres ritus, nec cura Parentis,
Nec populi te tangit amor? Quid vana tueris
Romulei documenta Senis? Quæ cauſa laboret,
Arma probant, preſſique recenti clade rebelles,
Qui falſa in ferrum pro relligione ruebant.
Vix ea, cum Patrem Princeps ſic ore ſequutus.
Si mihi ſyderei ſpirabilis aura favonj
Non ageret pectus, nec fixum corde ſederet
Conſiliis parere tuis, o maxime rerum
Arbiter, huic uni poſſem ſuccumbere culpæ.
Sed tibi quandoquidem devovi pectora, blandus
Non me flectit amor, non vocis fulmina terrent.
Infœlix genitor, cui caligantia nubes
Lumina nocte premit, mortales excute ſenſus,
Perviaque arcanæ ne ſubtrahe pectora luci.
Et tu, Magne Pater Divûm, tu Flamen Amoris,
Illuſtra mentem, totique infundere cordi.
Quis furor: Arma probant, & preſſi clade rebelles,
Quam partem Superi foveant, cui militet æther?
Scilicet is Superis labor eſt, ut fida Tonanti
Pectora ſublimem tollant ad ſydera frontem
Ebria fallaci blandæ dulcedine peſtis?
Divini Genitoris amor quos deſtinat aſtris,

Permittit gemere atrocis ſub pondere fati,
Ut curas, gemituſque pios mercede perenni
Compenſet, vertatque truces in gaudia pœnas.
Non habet infœlix pietati conſona tellus
Præmia, nam fragiles lauri, palmæque ſeneſcunt,
Et pereunt annis pereuntibus. Inclyta virtus
Non labente labat cum tempore: Sola decorem
Virtutis paribus decorabunt aſtra trophæis.
Nobis aſtra favent, ſacrorum carmina Vatum,
Quæque hominem indutum Numen documenta reliquit.
Quid, quod Prodigiis patuit, cælique faventis
Auſpiciis Nicæna Fides ſe ad ſydera tollit.
O genitor, per ego has lacrymas, natumque tuum, te,
Per, ſi quid meruit pietas antiqua, tuumque
Nomen dulce, meas, oro, ne perfida poſthac
Murmura percellant aures. Prius æthere ab alto
Fulmina me tangant, ruptoque immanis hiatu
Terra prius vivum ſociet pallentibus umbris,
Quàm vis ulla tuos rapiat mihi, Numen, amores.
Talibus orantem furiis accenſus, & irâ,
Percurrit Pater, & paulùm tellure moratos
In natum volvens oculos feralè tuetur
Impavidum: tandem hæc flammato pectore rumpit.
Et potui, infœlix, ſobolem genuiſſe rebellem?
Et tanta, heu, noſtro fluxit de ſanguine labes?
Scilicet hoc deerat fatis, ut inutilis annis,
Et letho propior, curarum dulce levamen
Qui fuerat quondam, Patris & ſpes una labantis,
Vipereos mores indutum, animoſque viderem?
Nuſquam certus amor. Quod luminis editus auras
Hauſiſti, noſtrum eſt: Tyrio quod murice clarus
Incedis, ſacroque premis Diademate frontem,
Dextra hæc, & virtus fecit. Nunc impia proles
Juſſa ſequi renuis? Jam jam nec Conditor orbis,
Nec Superi, cælumque oculis hæc aſpicit æquis.
Perfidiam pietas auget: temerarius ardor
Muneribus crevit noſtris. Non talia quondam,
Degener, obſequiis de te ſperare jubebas.
Sed quid verba traho? Nicænas egere nugas,
Vel tua fatalis truncabit colla ſecuris.
Dixit, & averſus ſecreta conditur arce.
At Juvenis recti memor, & virtutis avarus,
Flectitur haud ullis precibus; ſed firmior hæret,
Quàm quæ Carpathium rupes protenſa per æquor
Fluctibus inſultat, Caurique minacia flabra
Exeſo ridet ſcopulo, frangitque frementes
Neptuni furias, obluctaturque procellis.
Tingere amat patrium generoſo ſanguine ferrum,
Pondere & excuſſo terræ laquearia Divûm
Cernere, & æthereis victor ſuccedere regnis.

Interea

Digitized by Google

Interea magno curarum fluctuat æſtu,
Et ſecum hæc Genitor turbata mente volutat.
Heu quid agam? Quò me ira rapit, quòve impia Patrem
Perducit pietas? Ergo me transfuga natus
Luſerit impunè, & ſacris contraria noſtris
Sacra colet, me contempto? Ferale minatur
Exitium regnis Pietas mutata: nec unquam
Relligio duplex regno ſe tollit in uno,
Quin ſubitò excitus dubiis Mars flagret in armis.
Quàm bene pro patria mactaberis hoſtia, nate?
Sed quid ego? Immergam regali in ſanguine ferrum,
Et me parte mei ſpoliabo? Non ego Thracum
Moribus imbutus, nec tygridis ubere paſtus,
Aſpiciam nati ſtillantem cæde ſecurim?
In Patrem Judex labor? Si tabidus humor
Altius ad vivum inſedit, cœcuſque per artus
Morbus agit vires, non membris dextera parcit:
Diſtrahit hærentem reliquo de corpore peſtem.
Hæc te fata manent, ſanguis meus. Improba tandem
Exceſſit pietas, penituſque impervia Patri
Corda gero: ſponte immitem nunc induo Regem.
Et cupio, & nequeo. Prodit natura Parentem,
Judicis & vindex in Patre refringitur ira.
Occidat: haud meus eſt. Meus eſt tamen ille: ſuperſit.
Heu furiis incenſus agor. Natura recuſat
Horrendum facinus. Fili, mea gaudia quondam,
Spes infida patri, tu me poſt fata referres,
Æternumque tua firmarem in prole Gothorum
Imperium: nunc ſpes inopes in fratre relinquis.
Ergo impunè feret, vivuſque, patrique ſuperſtes,
In pretium ſceleris regni tractabit habenas?
Aſt ego, me miſerum, popularis fabula turbæ
Audiam, & infidæ lentus ludibria prolis
Experiar, ſupplexque petam, ut mandata faceſſat?
Non ita. Sed Gothicos agitabit ſcena Thyeſtes,
Et ſceleris fama ad ſeros porrecta nepotes
Imprimet æternum Levigildi in nomine vulnus.
Quin potius non una ſuos Saturnia tellus
Torquatos feret, & Thebanos Græcia patres.
Sic ait, & proceres legat, tumidumque thiara
Pontificem indecori, vitiatum corda maligno
Perfidiæ morſu, quà carceris alta profundi
Umbra premit natum, & vinclis obducit ahenis:
Ut ſi juſſa ſequi renuat mens neſcia flecti,
Regali lictor caput e cervice revellat,
Juſtitiæque tenax pateat pater. Haud mora, juſſa
Feſtinant, atræque irrumpunt clauſtra cavernæ.
Parcior hìc æther dubiis intermicat umbris,
Antraque ſenta ſitu ſqualent: it plurima circùm
Tormenti facies, chalybes, tractæque catenæ,

Et ſeges æratis latè mucronibus horret.
Regius at Juvenis, ſtringunt ingentia quamvis
Vincla pedes, manicis & dextra induta rigeſcit,
Corde volat ſuper aſtra, & mens adamantina nullis
Vincitur laqueis. Roſeo ſpirabat ab ore
Fulgor, & ætherea decorabat luce tenebras.
Acceſſere viri: jam prælia cominus hoſtis
Admovet, & medius procerum ſtipante caterva
Antiſtes fertur: manibus Cerealia præfert
Munera, fœcundo quæ murmure Myſta Tonante
Implet, ſed ſtygii veterator peſte veneni
Infectus porrecta a ſe cæleſtia dona
Libari exoptat, Fidei ut commercia ſecum
Exhibeat Princeps Arii ad caſtra regreſſus.
Qui tibi tunc animus, perjurus juſſa Sacerdos
Cum Patris expoſuit, cum lictor acinace lethum
Intentavit atrox, & carceris horruit umbra?
Syderei Proceres, patuit queis pompa theatri,
Dicite, quos cælum plauſus, quæ gaudia tellus
Fudit, in obſequium quàm prona e ſedibus aureis
Aligerûm ſtellata cohors ſucceſſit ad antrum,
Regalemque animum Divorum cœtibus auxit.
Ille quidem Divina indignè dona ferentem
Deſpexit, renuitque nefas: dein talia fatur.
Omnipotens Genitor, meritas quæ reddere grates
Vox queat? Exultant dulci mea pectora motu.
Et potero ſpumante fidem tibi, dive, cruore
Teſtari, ſanguiſque ater miſcebitur Agni
Purpureis nivibus? Prævertunt munera votum.
O me fœlicem, & tam grandi ſorte beatum!
Nil moror ereptum regni pereuntis honorem,
Nil decora, & faſces in noſtrum nomen ituros,
Nam cælo meliora manent. Tibi munera vitæ
Addixi, Numen: te fata extrema ſequuntur.
Exoriare aliquis noſtro de funere fulgor
Heſperiæ, ut ſciſſa tandem caligine lucem
Aſpiciat, ſolemque ſuum, ſua ſydera noſcat.
Vix ea, cum lictor vaginâ liberat enſem,
Auguſtumque caput ferro renuente recidit.
Regalem Juvenem Superi pars magna Senatus
Excipit. Aligeri properant donare ſupremis
Muneribus cineres: concentibus aera mulcent,
Fataque, fortunaſque virum, Regiſque nepotes
Commemorant, fuſi quos aurea vena cruoris
Cæleſtem inſpirans animum ſacrabit Olympo.
Ergo ita fatidico modulantur murmure cantum.
Parce metu, generoſa parens Hiſpania Regum.
Tolle animos, cape læta tuæ præſagia laudis;
Nam Reccaredus fraterna exempla ſequutus,
Et ſacra Romulei veneratus jura Parentis,

Heſpe-

Heſperiæ populos e faucibus eximet Orci.
Quò, Fernande, rapis Divûm præſaga futuri
Agmina? Maurorum hic turmas volventibus annis
Perniciem Heſperiæ Lybicis damnabit arenis.
Proh quantum auſa nefas proles ſcelerata Memetis
Hiſpanas vaſtabit opes, quæ funera regno
Inferet, & quanto maculabit ſanguine ferrum?
At Rex elapſos Granatæ mœnibus hoſtes
Marte ſacro franget, ſpoliiſque ornatus opimis
Victor aget domitum regali ex arce Tyrannum.
At vos, o Caroli, atque ingentes Marte Philippi,
Auguſta ingentes pietate, & moribus aureis,
Quas cælo palmas dabitis, quæ gaudia terris?
Auſtriacos faſces jam nunc Otomannica pallet
Luna, & ſanguineo ſuffunditur ora rubore;
Namque horum auſpiciis fumantibus Actia bella
Inſtaurantur aquis: ſolito jactantius æquor
Sanguine luxuriat, Nerei volvuntur in agris
Scuta virûm, galeiſque immiſta cadavera Thracum.
Fortunata Domus! Non unquam germine tanto
Aſſaraci proles ſurrexit, & inclyta bello
Stirps Agamemnonia, aut Veneris gens Julia ſanguis.
Fortunata Domus! Non unus ſufficit Orbis
Virtuti Auſtriacæ. Noſtrum porrecta ſub axem
Jam nova ſe tellus aperit, quam providus æther
Auſtriaci Imperii pietati ſervat, & armis.
Quæ procul intueor Caſtella natantia pontum
Verrere, & æratis proſcindere puppibus æquor?
Ite, piæ claſſes, quæ per diſcrimina mortis
Ætheream lucem cœcos defertis ad Indos.
Fervere jam video littus, jam compita plauſu
Intonuere pio: totis vomit ædibus undam
Gens conferta virûm, quibus aurea templa petuntur,
Ut frontem Myſtes cæleſti aſpergine luſtret
Sedulus, & liquido totum abluat æthere corpus.
India theſauro Fidei ditata recenti
Volvet ad Heſperiam flavos, ſua viſcera, montes,
Auratos montes. Fruſtra oppugnare Britannus
Nititur; hanc etenim tutantur ſydera claſſem,
Qua cælum ad merſos caligine navigat Indos.
Auſtriacum nomen Tethys colet omnibus undis,
Et ſol auratos curvabit ad oſcula currus,
Quà caput ex undis levat, & quà lumina condit.
Quin etiam Gothicæ laudes, & poſtera virtus,
Plauſibus implebunt Superos. Num lumina fallunt?
Roma triumphali Reginam ambire Gothorum
Obſequio gaudet Gothicis exciſa favillis?
Naſcetur pulchrum regali e ſanguine germen,
Baltica cui latè ſternet vada cærula Tethys,
Pronaque ſeptenum curvabit Parrhaſis aſtrum,

Quæ

Quæ premet imperio Gothicas Regina phalanges,
Vandalicoſque patres, & flavos crine Suecos.
Sic pia magnanimum compenſant aſtra cruorem.

In Ortu Fœliciſſimo
CAROLI SECUNDI
Catholici Hiſpaniarum Regis,
Sexto poſt Fratrem ſuum Philippum Proſperum receptum in Cælum die,
Genethliacon Ovidii Stylo
Ab Authore dictum anno 1662.

ERgo etiam mitis mortalibus invidet Æther?
Cælicolæ magni, cur, munera veſtra, gementis
Delicias rapitis terræ? Nutabit Iberi,
Regali Puero ſublato, machina mundi.
O nimium veſtris inhiantia ſydera donis!
Præſtabat ſemper Cælum riguiſſe adamante;
Quàm donata ſemel ſubducere gaudia Regnis.
Siccine feſtivum dum Numinis aula triumphum
Duceret, Hiſpani lugebat Principis aula?
Lugebat viduata Fides cuſtode perempto?
Tu quoque, Rex cunas cui donat Iberus, & urnam,
Phœbe, ancillares nigra ferrugine currus
Velaſti, nitidos auguſtæ frontis honores
Diſſimulans, melior terras cum liquit Apollo,
Miſcuit ac ſeſe patriis, te pulchrior, aſtris.
Invidus at pueri luget cur gaudia fletus?
Eſt fœlix jactura, adimunt dum ſydera Reges;
Quæ rapiunt, iterum Regnis nam dona reponunt.
Ludltis, o Superi? Exululat dum Principe rapto
Heſperia, auratis en ſexta Aurora quadrigis
Luce aperit meliore diem: Vagitus ad aures
Accidit: Hiſpani nec nutat machina mundi.
Vivit adoratus ſublato Caſtore Pollux.
O nimium fauſtis dilecta Hiſpania Divis,
Quæ Regnis iterum Reges partiris, & Aſtris.
Tu quoque fœlici, Puer, auras omine rumpis,
Cum tuus æthereis Frater ſe Regibus addit,
Ille tibi niveo vivacia pollice ducet

Stami-

Digitized by Google

Stamina, deinde ſuo geminabit vellere fila,
Ut Fratri, ac Regnis fœlicia fata perennent.
Syderei Regina chori, cui debet Iberus
Regnator Sobolem, Aonii mihi candida fontis
Vena fluat: tua dona cano: Si labe parentum
Te canit immunem conceſſis plauſibus orbis,
Illimis fluat unda tuo Parnaſia Vati.
Si dum virgineos animus primò imbuit artus,
Tænareo quoque ab hoſte tui cæpere triumphi,
Tu melior Lucina, ulnis regalibus ambi
Purpureum Infantem, & fauſto mitiſſima vultu
Fortunes Puero primœvæ munera lucis.
Viderat e cælo Genitrix Auguſta Tonantis,
Quæ vaſta Princeps agitaret mente Philippus
Conſilia, Hiſpanum quo nunc fulcitur Atlante
Imperium: ut ſtygii afflatam ſe tabe colubri
Perneget, ac primâ genitalis criminis umbrâ:
Ambiat ut Sancti Divina Oracula Patris,
Queis Cortina ſuam certo jam Numine firmet
Vaticana fidem. Regalis pectoris aulam
Ut vidit Virgo, teſtata eſt fulgure riſus
Lætitiam, & nutu fœlicibus annuit auſis.
Magnanimi arrident aſtris arcana Philippi
Conſilia. Haud terræ vim ſpernit vindicis æther.
Palmarum ſeges, ac defenſi munera Mundi,
Hæc olim, Rex magne, tuam ornavere juventam.
Nunc lauris gravis, ac regnato ditior orbe,
Sydera tutaris, clypeumque opponis Averno,
Tænareis auſo in Mariam conſurgere telis.
Vindicis haud ſtudium liquit ſine munere Regis
Prodiga Virgo, ſuum dubio ſed nomine donum
Cælavit, pretiumque dedit ſub imagine Pœnæ.
Illo Diva ſuæ pinxit primordia vitæ,
Quam nullo læſere patrum contagia tabo.
Poſtquam vitales hauſit Sol Gallicus auras,
Delphini & gemitus properavit gaudia mundo,
Sydereum repetebat iter, ventoſque ſecabat
Vita redux, blando cui gratia vivit in ore,
Vivit ebur, fulgent animata corallia labris.
Qui micat ex oculis, animaret marmora fulgor.
Spirant intexti regali in ſyrmate vultus,
Et vigor e cultu prodit, quo Vita ſuperbit.
Formæ hilaris donis, & Franci Principis ortu,
Ibat: eam circùm Riſus, & Gaudia cordis,
Et Lepor, & Lux alma, Salus, & Copia miſcent
Feſtivas choreas: Vitæ cum ſceptra gubernans
Aſtitit ante oculos Virgo, Phœbique propinquos
Majori fulgens hebetavit lumine currus.
Dein ſic orſa loqui: charis innatat ore loquentis.
Hunc mihi ſydereæ frontis largire decorem,

Nube

Digitized by Google

Nube latens falſa Genitrix pulcherrima rerum.
Oris amabilitas fugiat, vultuſque ſereni
Majeſtas: prætende genas, & lurida Mortis
Nunc formæ ſimulachra tuæ: faciem indue mundi
Dignam odiis: latitans Mortis ſub imagine Vita
Falce metas florem, mea quem viridaria dudum
Suſpirant. Puer Hiſpanâ qui regius aulâ,
Deliciæ patrum, vernat, meliora caducis
Regna ſitit, properatque illi ſe ſubdere Olympus.
Purpureum metito florem: dabit omina Proſper
Inſcriptus foliis, ſpondens fœlicia fata.
Tutatur Pueri Genitor nam candida noſtræ,
Neſcia communis labis, primordia vitæ,
Tu labis propriæ immunis mortalia linquas
Sceptra, Puer, vitamque trahens de morte perennem,
Te miſce Auſtriacis Divis: Sic ſpuma Draconis,
Qui mortale genus tabo inficit, haud tua peſte
Corda venenabit, proprio quam crimine quærit
Libera mens hominum. Quæſiti criminis expers
Noſtra premes partim veſtigia, queis neque primam
Afflavit labem fatalis culpa parentum.
Sic certam, tenui quamvis in imagine, pingam
Eſſe fidem Regis, quæque illi dona parantur,
Poſt longos ævi tandem ſolvenda rotatus,
Præpropera hæc rapiet ſoboles. Oracula Patris
Romulei quando properabunt noſtra tueri,
Tænareum indignata jugum, primordia vitæ,
Hauriet alma diem Soboles donata Philippo
Tutori aſtrorum, Pylii quæ ſæcula vivet
Longa ſenis, noſtræque premet veſtigia vitæ
Moribus innocuis, ut prima exordia frater.
Dixerat, ambroſiumque abiens diffudit odorem.
Vita ſed auguſto viduavit lumine vultum,
Induit ac Mortis faciem, rugiſque decorum
Frontis aravit ebur, velut ambitioſa videri
Turpior. At decorat forma hæc inamabilis ora,
Reginæ placitura ſuæ quam Vita capeſſit.
Nec mora: terribili cultu ſuperaſtitit Aulæ,
Mantua quam propius Carpetana admovet aſtris.
Purpureum metit hic florem, quem ſedula mater
Auroræ lachrymis, & munere ſolis alebat.
Ille cadens animam cælo tranſmittit odoram,
Ver membris abiit. Tenui velut æreus igne
Cum fornix ſiccat flores, en roſcidus imber
Sudat, opes veris populatur & improbus ignis,
At vultu exutus pulchro procumbit humi flos.
Te tamen Alcinoi ſylvis, te pulchrior hortis
Heſperidum, Puer alme, manet locus. En latet index
Fortunæ turpi Mortis ſub imagine Vita.
Regalem quando Puerum viridaria Cæli

Invi-

Invidere tuis, generoſa Hiſpania, Regnis,
Lamentis, gemituque ululant conclavia matris,
Aula dolore fremit, totam graſſata per urbem
Sæva cohors regnat, Pallor, Lachrymæque, Pavorque:
Quoſque oculis ignem ſpirantes horrida vidit
Martis arena hilari ſpernentes fulmina riſu,
Mors Pueri Hiſpanos lachrymarum flumine merſit.
Neſcia mens hominum triſti cur paſcere luctu?
An dolor, & lachrymæ recreant mortalia corda,
Cum mala præpropero feſtinent omine fata?
Sponte facit miſeros cura hæc præſaga malorum.
Lumina ne ſolvat fletu dolor improbus: iſtas
Gaudia mox lachrymas poſcent, cum pulcher in auras
Materna veniens Princeps prodibit ab alvo.
Prole gemens rapta, venturique inſcius ævi,
(Nam quis lethali latitantem ſyrmate Vitam
Intuitus, fati ventura arcana retexat?)
Regius hæc Genitor nati accliuatus ad urnam
Dixit, & auguſto turbavit ſydera queſtu.
Debita ſunt certè meritis hæc præmia noſtris;
At num, Diva, tuo ſunt præmia digna favore,
Numinis Alma Parens? Properato funere mergi
Permittis ſobolem? Secum muſſabit Avernus:
Sic fœlix, qui Virgineos noctesque, dieſque,
Ad poſtes vigilat Princeps? Mihi magna videtur
Servitii merces famulatus: & ambio ſacras
Mancipium regale diu tolerare catenas.
Tu Soboles fœlix, quæ Virginis ora tueris.
Me miſerum! Cui nam tranſmittere ſceptra Nepoti
Crimina noſtra ſinent? Bellona vocabitur hæres.
Majorem imperii moles trahit ampla ruinam,
Hercule cum viduatur Atlas. Fœlicia fata
Paſtoris, cui non armenti deficit hæres,
Vel ſi deficiat, ſylvis permittet alendum,
Et properantem animum poſcenti lætus Olympo
Donabit. Sævis lacerata o Purpura dumis,
O fœcunda malis fortunæ dona ſecundæ!
Curarum o ſoboles exorta e funere nati!
Quid gentes, & Regna juvant? Orientia ſervi
Quid mihi, & Occidui proſunt nunc lumina Solis,
Si meus e cunis properavit Phœbus ad urnam?
Dixerat, & ventura animo dum fata revolvit,
Penè prophanavit luctantia lumina fletus.
Interea, ſupplex oneras dum ſydera votis,
Solviſti ſomno languentia membra, Philippe,
Dulcia quo tandem curarum oblivia potas.
Sed quæ blanda quies pandit, Rex Magne, theatra!
Quippe videbaris calcari Cyllaron urgens
Aerias tranare plagas, & nubis aquoſæ,
Ventorumque domos, mox ignea cernere plantis

Sydera ſuppoſita: hinc Cæli viridaria viſus
Delibare oculis. Tua fræno libera colla,
Cyllare, tunc ſolvit, placitos & obambulat hortos.
Hic ver perpetuum viret, autumnumque coronant
Veris opes; variis nam pomis fertilis arbor
Serta gerit florum: gemmato adnaſcitur alter
Flos gremio fratris: quæ porrigit aurea poma,
En immaturis ſe fructibus induit arbor,
Aurea ſylva viret, quæ penſilis imminet hortis:
Parte alia cingit viridaria porticus ingens,
Atque hic ſyderei vivunt in marmore vultus,
Marmore, quod vincit gemmas: animata figuris
Scena oculos hilarat; magis at regalia mulcet
Corda cohors Charitum, cui porticus aurea ſedes:
Hic illas grato juvat indulgere labori.
Juſtitia, & Pietas, Pudor, & Concordia, Candor,
Libertas, cum Pace Fides, atque alma Voluptas,
Excipiunt paterâ e labris ferventis aheni,
Atque adamante cavo pretioſa immiſta metalla
Fuſilibus gemmis, quas aureus excipit alveus
Mæandri in morem currens, vacuiſque cavatus
Orbibus aſſurgens, infuſa metalla catenam
Ut forment: fluit argentum, fluit aurea vena,
Auroræ fletus, & pulchros orbibus orbes
Innectunt: ſolidi radios tres roris, & undam
Nectaream miſcent operi Pax, Copia, Candor:
Vitales addit ſuccos feſtiva Voluptas.
Incubuere omnes certatim, atque æmulus ardor
Affundit lucem torqui, pretiumque, coloremque,
Atque hic Dædaleus ſudat labor arte magiſtra.
Tu cuſtos inſtas operi, Divina Pronæa,
Quæ torqui ſimulas hominum fœlicia fata.
Fuſilis argenti quando vena innatat auro,
Miſtus & auratam cum perficit unio torquem,
Aurea fœlici labuntur ſecula curſu.
Talia nunc fingunt Charites, quas ore Philippus
Alloquitur mæſto: Si ducitur aurea torques,
Cur noſtri labat Imperii ſine Principe moles?
Heu ferro rigeat, veluti mea fata, catena.
Dixerat, atque hilaris contra Pax talibus infit.
Me reducem blando tellus nunc excipit ore:
Thraces bellum agitat: communia fœdera inibunt
Chriſtiadæ: primos, Cæli Regina triumphos
De ſtyge quos retulit, pandet Cortina Parentis
Romulei: ſeries nec temporis aurea currat?
Ite triumphali fœlicia ſecla metallo.
Tu, Regum Phœnix, a quo fœlicia ſurgunt
Fata aliis, cape læta tuæ præſagia ſortis.
Ille, viden, pulchris qui floribus imminet Infans,
Argumenta tui donabit proſpera fati.

Hæc

Hæc ubi ſolicitus bibulis Rex auribus hauſit,
Lumine percurrit Puerum, atque immobilis hæret,
Promiſſa explorans præſagia. Decutit ille
Sanguineas maculas, queis Lilia tinxerat ardor
Bellicus: exultant primo candore ſuperba
Lilia, quæ dextrà tollit Puer almus amica,
Lætatus pulchri geminato floris honore.
Mox aliud molitur opus, Floræque relinquens
Regna, petit, Phryxi quà vellera ab arbore pendent
Aurea, & arguto deducens pollice fila
Torquet agens circùm, celerique ea turbine verſat.
Currite, ait, noſtro fœlicia ſecula Fratri,
Ut pretioſa meo ducuntur pollice fila.
Currite: Phryxææ pecudis cum vellera deerunt,
Queis longæva tuæ metimur tempora vitæ,
Noſtra ſuper tibi erunt, duplicent quæ ſtamina lucem.
Me rapuit Cælum, vix dum trieteride plena.
Vellera quæ noſtro remanent extantia fuſo,
Penſa tibi ducent certantia Neſtoris annis.
Audiit, inſuetaque hilaris dulcedine Princeps,
Quis Puer ille, inquit, cuinam trahit aurea fila?
Pax contra reddit: Sobolis non ora tueris,
Alterius Nati nec ſpe tua corda triumphant?
Lætitià ruit ille amens, & ad oſcula fertur,
Expedit amplexus, vanaſque ampleſtitur umbras.
Nox oculis fugit, atque animo pulcherrima imago.
Dum queritur, vel ficta ſibi quod ſubtrahat æther
Gaudia, vagitus regales impulit aures,
Alterius Nati exortum mox nuntiat index.
Ille diu tanto defixus munere Divûm,
Procidit exanimis, rapiturque in amabile mentis
Exilium: vitæ novus eſt mors ludicra partus.
Gaudia ſic properata nocent mortalibus ægris,
Sic obſunt riſus, & vita eſt mortis imago.
Salve, magne Puer, cujus natalibus æther
Aſſultat, geminus quem plauſibus excipit Orbis.
Divinæ, ſalve, non ultima cura Parentis,
Phoſphore primævæ lucis, qua Virgo refulſit,
Nunquam tænareis oppreſſa Draconis ab umbris.
Auroræ hos primos radios Cortina recludit
Vaticana, tuus nec fruſtra militat ortus,
Alme puer, Mariæ. Divina Oracula mundo
Pandit Alexander, gaudetque innoxia dici
Virgineæ vitæ primordia, pronus Iberi
In Regis pia vota, illi cum vidit Olympum
Arriſiſſe, alia donato prole virili.
Nam quamvis pietas ſua, dudum didita fama,
Et ratio pugnax, & Sancta Oracula Divûm,
Et pia credulitas, ac Mundi ſupplicis ardor
Flexit Alexandrum; nuper donata Philippo

Pignora Divinæ ſtudium teſtata Parentis,
Quæ Regis cultum probat, & pia vota ſecundat,
Impulerunt magis, & ſtimulis egere volentem,
Ut ſua virgineis ſuffragia plauſibus addat.
Hinc adeo Hiſpanis Capitolii ut adſonat echo,
Et Pueri exortum tuba concinit aurea famæ,
Numinis Interpres primos celebrare triumphos
Virginis aggreditur. Quantus, cum creverit ætas,
Hic Puer invicto vibrabit fulmina marte,
Qui vix exortus telis puerilibus Orcum
Impetit, & ſtygii premit effera colla Draconis?
Si Patris invicti generoſa exempla ſecutus
Protegit aſtra Puer, creſcenti parva relaxet
Anguſtos natura ſinus; ſua Regna tueri
Ludus erit, ludus perfringere cornua Lunæ
Biſtoniæ. Nunc, quos, Macedo, tibi ſomnia mundos
Obtulerant, properent Puero ſe ſubdere Ibero,
Sydera qui tegit, & vix editus urget Avernum.
Ille etiam belli furias, quas atria Ditis
Vincla recuſantes properabant fundere in auras:
Jamque iræ cauſis ſurgentibus horrida Martis
Semina fundebant, æterno carcere clauſit.
Ambitio rubuit, ſua quòd nil ſpicula poſſent,
Nec Regum inciperent agitata tumeſcere corda.
Vicit, io! Pueri fletus: generoſa Philippo
Conſilia, & ſuaves infudit pacis amores;
Hinc puer Alcides Bellonam vicit Iberus,
Atque illi cunas victricia ſerta coronant.
Hoc erat, æthereis Genitor quod vidit in hortis
Lilia mulcentem Puerum, maculaſque cruoris
Decutere, ac dare cognato blanda oſcula flori.
Evenit. Pax alma tuis en explicat alas,
Ceu dudum, regnis, pretioſaque vita Puelli
Innumeri ſervat periturum militis ævum.
At, qui vix ortus reliquis jam prorogat annos,
Sæcula Neſtoreæ vincet numeroſa ſenectæ.
Hoc ſpondet ſtudium ducentis vellera Fratris,
Hoc Pueri vigor, & roſeos effuſus in artus
Vivacis flammæ color, & ſpirantia magnum
Ora Patrem. Viden, ut grandi ſeſe arduus effert
Corpore: jamque, velut puerilia vincla peroſus,
Brachia jactat agens, & provocat ictibus auras.
Te quoque ſydereo Cælum pro Fratre reponit,
Nec Cæli donum ſpe nos lactabit inani.
Exprimit Auroræ ſi prima exordia Frater,
Quam nulla infauſti temerarunt labe parentes,
Virgineos olim mores, laudeſque ſecutus
Tu longæva, Puer, duces fata; ut premat ætas
Longior intactæ divina exempla Parentis,
Sydera quæ vincunt, pelagique frementis arenas.

His

Digitized by Google

His Pueri pietas, & laudis avara cupido
Inſiſtet: non hunc Sirenes compede blanda,
Non furiarum æſtus, aut pectoris aura ſuperbi,
Regnorum Dominum ſervilia ſub juga mittent.
Ambitioſa tuis ergo ſe tradet habenis
Frænandam tellus: cupient ſervire Catones
Corda catenanti Regi ſua legibus æqui.
Cernitis, ut Pueri prælibet Iberia laudes,
Atque illum excipiat feſtivo Regia plauſu?
Itala regali tellus quoque plaudit Alumno:
Electro Eridanus ridet, nec triſtia fratris
Fata dolent Nymphæ, quas populus integit alba.
Parthenope dulci promit ſua gaudia cantu,
Et quæ ſyderibus bellum infert flamma Veſævi,
Solvitur in plauſus, Sicanaque dum tonat Ætna,
Lætitiâ geſtit: ſunt ludicra fulmina flammæ,
Æmula queis artem ſequitur natura ſequacem,
Et feſtiva parit jucundus gaudia terror.
Mox alio impleriut cum terras ſole calentes
Nuntia Regalis partus, orientia Iberi
Lumina adorabunt Solis, quos feſſus anhelis
Luſtrat equis nitidæ moriens auriga diei.
Et, regnanda olim gemini confinia Mundi,
Implebit magno vix ortus nomine Princeps.
Pulchrior affulget poſt horrida nubila Phœbus,
Gratior & partus regalis contigit aulæ,
Poſtquam orbis trepidans moles tractura ruinam,
Regnorum fletus, & Relligionis avitæ,
Corda cruentarunt longo labefacta pavore.
Ille quidem ſerò Heſperiæ, Mundique timorem
Solvit, & ingenti Patri ſe ſufficit Infans;
At vitam Heroum Phœnix producet in ævum,
Vivaces imitatus avos: Centena recurrit
Meſſis, & Heſperiæ tres torquent ſceptra Philippi.
Hæc adeo Regis decora, & fœlicia fata
Præſagæ reſerant Charites, quas porticus ampla
Excipit, ætheriæ cingens viridaria Floræ.
Illæ, dum Puer exoritur ſub luminis auras,
Dædalea fundunt regales arte Coronas.
Mox Chlamydem vivis animare coloribus ambit
Ancillata cohors, quæ dum, gaviſa labore,
Accelerat, cantu exhilarat Pax alma ſorores
Inſtantes operi. Nunc o, nunc viribus uſus,
Cæleſtes Divæ: certet nunc æmula virtus,
Fingat ſpirantes acus ingenioſa figuras:
Præmia nec deerunt. Regis chlamys aurea cinget
Ambroſios artus, fruſtra quos optat Apollo
Induere auratâ Zonâ, quà cingitur axis.
Noſter honos, Divæ, nobis arriſit Olympus.
In Chlamyde Auſtriadum monumenta illuſtria Regum

Pingite

Digitized by Google

Pingite acu, quæ dum Princeps, creſcentibus annis,
Suſpiciet, pandat Rex illi exempla ſuorum.
Imperii genitrix Pietas antiqua Rodulphi
Hic vivat, Myſten Cæleſtia Liba ferentem
Quadrupedi imponens, hilaris cum fræna ſatelles
Ducat, & indutum Cereris velamine Numen
Dirigat, æterno quod curſu ſydera torquet.
Regius at Juvenis vix cæno emergit, & imbri
Aſſiduo rorat; nam vertit Aquarius urnam,
Et Boreæ ruit atra domus; tamen ille triumphat,
Aurato peteret veluti Capitolia curru.
Cæſarei faſces, trabeæ, Regumque thiaræ
Circumſtent Patrem Imperii, quæ maxima grande
Servitium peperit. Vultus ex ordine Avorum
Surgant, ſepteno timuit quos Parrhaſis aſtro,
Cæſareo inſignes Diademate: quoſque vetuſto
Impoſuit ſolio genitrix Hiſpania Regum.
Materno veniens horum cum ſanguine Regnum
Fluxit in Auſtriadas. Fernandi hic bellicus ardor
Pictus acu vivat, Maurorum fulmen, arenis
Quos damnat Lybicis, ſua demens Regna Memeti.
At vos, o Caroli, atque ingentes Marte Philippi,
Regali ingentes pietate, & moribus aureis.
Quis vultum Heroum, quis lumina pingat Apelles?
Hic ſpumantis equi Carolus moderetur habenas,
Arva cruore natent: quadrupes ruat omnia, nulli
Luctatus, niſi quem fecere cadavera, colli.
Parte alia invictus fortunâ, & robore Cæſar,
Orbe triumphato, dulci ſe carcere frænet,
Dum Regni exutus curis ſpe præcipit aſtra:
Hinc ſoboles Caroli ſurgat, quæ fertilis hydram
Hæreſeos premat, atque Otomannæ cornua Lunæ.
Arma procul, Divæ. Quis vultum pingit avitum
Regali ſoboli? Chlamys hunc rectique tenacem,
Et ſceleris purum referat, Mauriſque ſubactis
Donantem Cælo palmas, & gaudia Regnis.
Obruimur numero: nec poſſunt Syrmate Reges
Arctari, quibus eſt impar Europa cubile.
Alcides rubeat: non Calpe meta recentis,
Atque Abila eſt Mundi. Noſtrum porrecta ſub axem
Jam tellus nova ſe pandit, quam prodigus æther
Auſtriaci Imperii pietati, ac tradidit armis.
Solvimus Herculeo ſed cur de littore funem
Europæ immemores? Cur non fatalia fila
Regali Patris recreatis imagine natum?
Cur ceſſat labor? Hærentes quæ cura ſorores
Solicitat? Contra Euphroſine cui talia reddit.
Fraternas, viden, ut pugnas amor aureus armat;
Nam vultus habitum, & ſpirantia membra Parentis
Ingenio quævis ambit depingere Virtus

Freta

Digitized by Google

Freta ſuo, ut Regis vivant in imagine mores.
Fulmina molitur vibrantem Bellicus ardor
Pingere, & hoſtili nutritas ſanguine palmas.
Hæc decet invictum facies; ſed candida morum
Temperies, ac Pacis amor, vultuſque ſereni
Majeſtas, chlamyde indutum deſcribere ſuadet
Concilio Heroum in medio. Vult ſiſtere ad aram
Thura vaporantem Pietas; namque aſtra Philippus
Protegit, & Mariæ flagrat celebrare triumphos:
Nec lauro cingi patitur ſua tempora victor;
At ſequitur nivea cælatum in fruge Tonantem
Deductor pompæ. Hunç ducunt ſi ſtamina vultum,
Conqueritur Vigor, & Conſtantia mentis Iberæ
Fortunæ inſultans. Fortem ſi fingit imago
Regia virtutem, cur non Clementia profert
Argumenta ſui? Vario ſic fluctuat æſtu
Blanda cohors Charitum, magnoque in Principe vivens
Tardat Arachnæum laudum ſeges ampla laborem.
Haud noſtrum eſt tantas Divarum ſolvere lites,
Feſſus & audaci Vatis ſuper aſtra volatu
Aonias potare cupit jam Pegaſus undas.
Fortunate Puer, cui provida cura laborat
Cælicolûm, pingitque exempla Domeſtica laudum.
Aurea regales quando Chlamys induet artus,
Cordi infundet Avos, quorum te laudibus ambit.
Æquabis Proavos, aderit cum fortior ætas,
Teque ſuperſtes erit Patrum laus omnis in uno.
Sydereo tanti eſt Regem pro Fratre rependi.

Digitized by Google

LIBER QUARTUS,

In quo alia Statii, & Claudiani Stylo, & Ars Rhetorica numeris incluſa.

LUDOVICO XIII.

Chriſtianiſſimo Regi

Captâ Rupellâ Victori Hæreſis, & Oceani,

Epinicium Statii Stylo, dictum anno 1663.

FRacta catenati, Ludovice, ſuperbia Ponti
Oſcula dat plantis regalibus, aureaque undis
Lilia dejectis ſervus Neptunus adorat.
En tuba Tritonum, famæ præconia vincens,
Hæreſis, & pelagi victorem ad ſydera tollit:
Deque mari natam, ſterilique e littore laurum
Addunt regali Nymphæ ornamenta coronæ.
Imperat Oceano Rupella, Colonia Ditis,
Perfidiæ ſcelerata domus, quò plurima fluxit
Conjurata Erebo populi ſentina rebellis.
E ſaxis, urbs dira, tuis nova bella Gigantes
In cælum inſtaurant, veſani ut criminis ultor
Totus in ardentes æther ruat arduus ignes.
Evolat æthereis accenſus pectora flammis
Gallorum Princeps, læſi defenſor Olympi,
Ut ſuper aſtra ſuos cogat regnare rebelles.
Fulminis in morem volat Auriflamma per auras
Proſpera fata ferens, Numenque, & ſydera victis.
Tartaream Rupem Rex obſidione coronat,
Mobilibuſque Ætnis, & centum fœta Veſævis,
Explodi tormenta jubet: centum oſtia flagrant
Tænarea, inque Erebum Superos Styx ipſa tuetur.
Sed quid fulmineæ proſunt incendia molis
Contra tartareæ immortalia mœnia Rupis,
Quam pater Oceanus famulantibus alluit undis,
Arma, dapeſque ferens, atque Angli militis iram?
Ergone Perfidiam, vecors Neptune, tueris,
Rex ait, & cœco præbes alimenta furori
Me contra, & læſum Numen? Dabis, improbe, pœnas:

Quodque

Digitized by Google

Quodque jugum noſtros renuis portare rebelles,
Ipſe feres. Dixit, totas & in æquora Sylvas
Inferri jubet, ac Montes. Non talia quondam
Aeria ex Oſſa jaculatus in aſtra Typhœus
Culmina, & Enceladus non talia Pelio ab alto
Intorſit, cum ſceptra Jovis tremuere tonantis:
Qualia in Oceani clauſtra anguſtata frementis
Milite præcipitante ruunt: ruit omnis in altum
Sylvani, Dryadumque domus: ſtant mille cupreſſus,
Pyramides nemorum immanes, nemorumque gigantes
Stant pinus ſub aquis, quercus, & populus alba,
Nec tantùm fluctus abies viſura marinos,
Sed cladem illatura mari. Merguntur arenis,
Radice & partim defixa ad tartara tendunt,
Attonitas partim per aquas luctantur in auras.
Dum ſylvæ, monteſque cadunt in Tethyos alvum,
Et factura chaos pugnant elementa elementis,
Iratus fundo ſenſit Neptunus ab imo,
Ac furiarum æſtu gelidis ſub fluctibus arſit.
Carcere & e nigro ſenſit Rex noctis opacæ:
Nam neque cum diro terræ commota tridente
Fundamenta quatit Rex æquoris Ennoſygæus,
Dum turres, urbeſque volant, peregrinaque tellus
Nubibus incurrit pavidis, tantùm aurea Mundi
Machina concutitur: quantùm cum prælia Nereo
Intulit, & colles egit Ludovicus in æquor.
Ergo ſuæ metuens Rupi conjurat Avernus
Cum Pelago. Aſſurgunt fluctu maria alta cruento,
Taurino & vultu ſtantes in littore Gallos
Aggreditur Nereus: vaſto dein Pontus hiatu
Diſſiluit, circùmque adamantina funditur unda:
Perque maris gremium, patefactaque viſcera terræ
Sulphureus viſus Phlegeton; & ab amne flagranti
Calvinus magna ſtantem cum claſſe Charontem
Oſtentare, miniſque caput furiale tremendis
Concutere. Irrident fortes ſpectra irrita Galli,
Utque ſuis claſſem exornet, quos navita Portmeus
Trans vada nigra vehat, Calvino haud mollia juſſa
Per ludum imponunt. Montes circùm undique clauſos
Arboreo nexu, vegrandi mole catenarum
Arctius intorquent. Nunquam tam grandia Nereo
Vincla reluctanti impoſuit, quamquam æquora Xerſes
Vicerit, & ratibus firmaverit Helleſpontum.
Cerne triumphator Ditis, Ludovice, Mariſque:
En tua conſurgit ſuper æquora porticus ingens,
Et duo regali ſtant propugnacula fronte,
Quæ circùm rauci dum murmurat unda profundi,
Conqueritur victum Nerei ceſſiſſe furorem:
Dein ſpumas agit, & miræ dans oſcula moli,
Solvit adulantum Regi vectigal aquarum.

SERENISSIMO GALLIARUM DELPHINO LUDOVICI XIV. REGIS CHRISTIANISSIMI FILIO

Genethliacon Claudiani Stylo

Ab Authore dictum in Aula Collegii Romani Ineunte Anno 1662.

EMINENTISSIMO PRINCIPI ANTONIO CARD. BARBERINO *S. R. E. CAMERARIO.*

REgali ſolùm ab argumento commendatum hoc Genethliacon Tuo juſſu prodit in lucem, Eminentiſſime Princeps, qui Apollo dicenti adfuiſti, Tuoque nunc Nomine carminibus hiſce præfixo lucem illis impertiris, quemadmodum ſol nubes intuitus induit ſua luce Parælias. Eruditum Sapientiſſimus Princeps Delphino excitas plauſum, ut idem Religioſiſſimus, ob exortam præpropere cum Regia Ludovici prole Mundi lætitiam, quinquaginta Virginibus dotem, innumeris egenis argentum, Euchariſticon Numini repoſuiſti. Sed Munificentiâ Regibus par quibus gaudii argumentis excepiſti Regalem partum? Prodigia liberalitatis Tuæ Roma ſuſpexit, cum auream e Tuis Ædibus devolutam pluviam, manantes Gallico vino fontes, impoſitam Pincio colli Dædaleam Ætnam ludicris ignibus mirè fœcundam, & ab illius dehiſcentis incendio hauſtum Diſcordiæ ſimulachrum vidit, revocatâ in animum lætitiâ Pacis, olim partæ a ſpe naſcituri Delphini. Et ipſa quidem cum Hymenæo Pax inſidens moli tam ingenti vi luminum Delphinum coronabat, ut æmula diurnæ lucis nocte gaviſa ſit Roma, & Luna pudore ſuffuſa, quòd ſuos radios æmularetur Tellus, ſub nubem receſſerit, ne ſuperari a Delphini Solis luce videretur: in quam Extemporale Carmen

men

men effudimus, conſequenti mane publicè habitum, aperto nobis Hippocrenes fonte ab Apolline, Te ſcilicet, Eminentiſſime Princeps, quem adeo commendare geſtiunt Muſæ, ut vel nobis carmina ſuperſint, poſtquam innumeri Scriptorum calami alacriter deſudarunt, ut promeritis Te ad Cælum laudibus efferrent. Tot enimvero Volumina Tuo inſcripta Nomini quæſivere ſuperbiam, ut ſi in unum confluerent, ingens ex iis tantummodo Antonia Bibliotheca conflaretur; cum enim in dies geſtum faciat in Mundi theatro Virtus Tua certans cum Regibus, omnium commendationes laceſſit Magnanimitas illa, Humanitas, Pietas, Liberalitas, vel in ipſos Reges Munificentia. At Genethliacon Delphini a Tua Purpura cogitur mutuari ſplendorem, cum amiciſſimum Gallico Soli Sydus Te Roma veneretur, & Regale Argumentum ſub auſpiciis Illius prodire geſtit in lucem, quem Regibus Virtus immiſcet. Phœnicis annos Tibi largiatur Deus, ut diutiſſimè Roma ſuis deliciis perfruatur, Tuamque fortunam amplificet, quæ, dum Tua eſt, omnium quoque fortuna eſt.

PROLUSIO.

GAllici Delphini exortus, Eminen: PP. adeo mortales exhilaravit, ut ab unius Infantis vita omnium fata pendere videantur, & conqueri propemodum debeat Gallia, quòd externæ argumenta lætitiæ ſuperare vix poſſit. Arion Delphino debebatur; ſed noſtram tenuem Muſam provocavit ad cantum, ut Solem ſe oſtenderet lapides animando. Cum autem ea die Sol hic nobis affulſerit, qua feſtum triumphum ducebant Beati Cives, noſque illorum omnium ſolennia recolebamus, ac dum conſilia Sacri Fœderis agitantur, parvulus hic Alcides in lucem prodiverit, anſam præbuit Mortalibus immiſcendi Sydereos Reges, in quorum Concilio, conſulentium de fœdere conſlando contra Turcas, S. Albertus Archidux Auſtriæ aſſerit has partes eſſe S. Ludovici Galliarum Regis, utpote qui Proavus eſt Regum, & Principum omnium, qui Chriſtianam nunc Rempublicam moderantur. Ille verò fœlicem rei exitum ſpondet, ſi filius Juveni Galliæ Regi naſcatur. Quod tunc decrevit Urna Divorum, ſpe certa præcipimus poſt ortum Infantem, cujus nuntius quadraginta aureorum millibus, & oblato milite Venetos in Thraces armavit. Quamvis olim Præſidi Natalium Deo cruentæ victimæ non placerent, gratiſſimæ Numini accident innumeræ Turcarum Hecatombæ in gratiam exorti Delphini a Patre Rege immolandæ, cui propere Cælum pretioſam Filii vitam millenis aliis chariorem donavit, ob innumeras ætates militum ſuorum, quibus, Pace ſtabilita, pepercit. Poſtquam Numinis decretum Delphinum Gallis indulſit, illoque comperto Sydereus Delphinus choreas duxit aſtrorum, quæſtio ſurgit amabilis de futura Indole Pueri, quam dum unuſquiſque Divorum Regiis virtutibus ador-

Digitized by Google

adornare contendit, quodammodo incogitanter delineat mores Ludovici XIV. quibus Regia Proles inſiſtat. Adeo Rex Optimus Virtutem in deliciis habet, ut in illam intendere obtutum nemo poſſit, qui non incurrat in imaginem Ludovici Divorum quoque plauſus promeriti. Demum Prodigia quamplurima, quæ nuper acciderunt, ad omen hujus fœliciſſimi partus poeticè detorquentur.

DELPHINO
LUDOVICI XIV.
Galliarum Regis Chriſtianiſſimi Filio
GENETHLIACON.

VEra ne feſtivo tuba concinit aurea cantu?
Ludimur, an Superi manibus dant lilia plenis
Blanditi nimium terris? Cur prodiga differt
Munera fatorum, manifeſtaque gaudia mundi
Excipere exultans animus? Nimis aſtra tuentur
Lumine nos fauſto: Charites cur agmine facto
Huc properant? Mores remanent, cur Secla novantur?
Ferrea gens vivit, Seclumque ſuperbiat auro?
Obruimur donis: hilarat Pax aurea terras,
Chriſtiadum Pax Odryſios armatur in hoſtes,
Gallicus exortu Delphinus recreat orbem.
Implet, io! teneris infans vagitibus auras,
Quemque ſerenato Pax candida ſuſcipit ore,
Nutrit in excidium Thracum, Thaumantias Iris
Haud aliter flectit, pacem qui denotat, arcum.
Excepere Patrem cunabula ſparſa trophæis:
Reptavit per tela puer, clypeoque virilis
Poſthabuit cunas infantia; Bellicus ardor
Hoc tamen authore in cineres conſedit. Alumnus
Tu Pacis ſacros ne deſpice Martis amores.
Vagitum trepidant Thraces, maculiſque notatur
Cynthia Biſtonidum, Gallis dum fulget Apollo.
Armorum ſtudium cum fortior hauſerit ætas,
Haſtis inſerta, atque hoſtili educta cruore,
Gallica Jeſſæis florebunt Lilia campis.
Jam Libanus Cedros, Palmas tibi nutrit Idume,
Maternis poſt bellum Aquilis paritura quietem.
En timidis Hebrus placidus perlabitur undis,
Stare cadaveribus metuens, & creſcere fluctu
Sanguineo: en ortum Herois denuntiat undis
Helleſpontiacis, queis naufragus incubat horror.

At

Digitized by Google

At cur, delicium mundi, properaverit Infans,
Aurea magnanimis qui ſervet ſecula Gallis,
Maternam expediens fauſtis natalibus alvum,
Dicite Cælicolæ; neque enim ſine Numine veſtro,
Annua dum feſta celebrans ſolennia luce,
Communes Tellus Divis gratatur honores,
Optatus Divis, ac Terris naſcitur Infans:
Et vindex oritur Fidei, quæ prælia miſcet,
Agmina feſtivum ducunt dum veſtra triumphum.
Vos mihi Pierios, Divi, fas pandere fontes,
Vos immortales lauros, queis lilia nectam,
Huc e ſydereis largè properare viretis.
Tu quoq; magnanime Antoni, quem Regibus æquat
Purpura, Regaleſque animi, qui nomen ad aſtra
Evehis, & factis imples Regalibus Orbem,
O decus Italiæ, quo ſydere gaudet amico
Rector Sequanici Cæli, tu lumine blando
Huc ades, & facilis juvenilibus annue Muſis. (1)
Te Pindi celebrare ambit chorus, ut ſua Mundo,
Quæ natus peperit Delphinus, gaudia pandat.
Nos rapit ad cantum nox invidioſa diei,
Innumeris flammis animata, argenteus imber,
Ludicra per pictas ruitura incendia turres,
Lætitiæ argumenta tuæ, ac plaudentis amoris.
Quà Martis grato ſydus terrore coruſcat,
Panditur Heroum regalis curia Divûm,
Regnati quibus Orbis onus non preſſerat ignes
Magnanimos cordis, Superûm ſed ſponte minores
Principe dum dicunt ſeſe, poſt funera Regnum
Ditius accipiunt. Mundi qui torquet habenas,
Hos Deus Imperii ad partem vocat: Ergo regendis
Impoſiti terris ad Martia tecta frequentes
Conveniunt, cum poſcit opem bellantis Olympi
Relligio, armorum furiis agitata profanis.
Hic arcus, ac tela rigent, quibus actus ab aſtris
Lucifer: hic rutilant claves, quibus oſtia Cæli
Æquoreo mundum merſurus funere vindex
Explicuit Deus: hic fulmen fatale ſuperbis:
Poſtibus his aries pendet, pondusque tridentis
Cernitur immane, ultoris quibus ira Tonantis
Fundamenta quatit telluris, & æquoris undas
Suſcitat: hic clypei non enarrabile textum,
Ordine diſtinctum triplici; namque extimus aſtris
Sapphiro nitet intextis, Cryſtallinus ictus
Excludit, peſtemque, piis quam intentat Avernus.
Tertius at radiat gyrus flammante Pyropo,
Proripit ac Terror ſeſe ex umbone vomentem
Ore faces, vaſta & referentem mole Gigantem.

Nunc

1 ***Eminen:** Card. Antonius Barberinus dicenti aderat Authori.*

Nunc equitum, peditumque acies eſſulgere credas
Fallacis campo clypei, nunc fervere claſſes
Oceanum ſupra: illudunt ſic aſtra rebelles
Numinis, haud veritos in Cælum bella movere.
Fulminei hæc celebrant armamentaria Cæli
Purpurei Heroes, quos inter amabilis ore,
Divinum ſpirans oculis regalibus ignem,
Lilia cui chlamydem ſpargunt certantia ſoli,
Gallorum Ludovicus amor, ſic ora reſolvit.
Syderei Proceres, quia nam ſententia Regum
Ancipiti dudum librata examine pendet?
Fœdera quid ceſſant? cur Pax ignava veterno
Chriſtiadas tumulat, belli paritura ruinas?
Fraternas iterum clades, palmaſque ſitimus
Victori flendas? iterum feralè cruentus,
O Superi, patriis epulabitur artubus enſis?
An pia Relligio buſtis affuſa ſuorum
Ore leget maternam animam, ſua vulnera certa
Illachrymans, dubii tulerint quæ fata Gradivi?
Gallorum haud certè vis fervida deſidis otj
Succumbet ſtudiis. Faciet belli impetus hoſtes:
Extera ſi deſint, in matris viſcera ferrum
Convertet furialis amor ſæva arma movendi.
Nec luet Odryſius raptor, quæ dira minatur,
Capta Varadini poſt mœnia: ducere currus
Italiam verſus, mediàque equitare Viennâ?
Sola ne multiplices Aquila indignata colubros
Invadet, nec aves Reginam ad bella ſequentur?
Pugnaces Venetûm percurrunt æquora claſſes:
Nec properant alii Regni immortalis amore
Purpuream vomuiſſe animam? Mea Lilia campis
Debentur Solymæ: morituro lapſus ab aſtris
Sic mihi ſydereus de Numine detulit Ales,
Æſtuat ignitis Lybiæ quà littus arenis.
Tabida cum fractos febris depaſceret artus,
Et duo natorum poſt funera, veſtra ſubirem
Hoſpitia, ingentes animæ: Non eſt mea tanti,
Dicebam, virtus, ut ſpinea ſerta coronent
Me Solymæ Regem, ut diſſolvam Numinis urnam.
Conjurata lues in me pugnavit; at ipſos
Solvere victores victis vectigal adegi,
Ne premere ulterius vellem. Trepidantibus inſta,
Quicumque e noſtro deduces ſemine vitam.
Emicat in venis cruor, & dum nobilis ira
Rurſus ad arma vocat, vix aſtra quieta placetis.
Vos ego purpurea geſtirem morte paciſci.
Sed blandita oculis tunc mortis fulſit imago,
Et curas adimunt dubias mandata Tonantis.
Exorere at noſtro de pulvere bellicus ardor,
Qui face Memetis prolem, ferroque ſequutus

Inferias

Digitized by Google

Inferias proavis ſolvas, & munera Cælo.
Nunc, olim, rapite arma manu: quis cæde Tyranni,
Excidio Saracenûm quis conſecrat iram?
Talibus orabam, Juvenis cum fulſit ab aſtris
Numinis interpres, noſtraque e gente futurum
Dixit, ad Auroræ Imperium qui ſacra Latinæ
Inveheret Fidei, ſceptroque potitus, avitis
Relliquias Thracum ſeſe abdere cogeret antris.
Nunc impunè volant, nec proſunt aurea Pacis
Munera, communes ut Pax armetur in hoſtes?
Arma, io! Superi: placeant ſi fœdera Divis,
Thracis in excidium miſcebunt agmina Reges.
Dixerat: unanimes Divi aſſenſere; ſed inſtat
Fatorum ſeries libranda, ut fœderis ardor
Regia amabilibus ſuccendat pectora flammis.
Auſtriadum hic Regum ſoboles Auguſta, Trionum
Gloria, de ſolio quem virtus intulit aſtris,
Excipit Albertus. Tua ſunt hæc munera, Regum
Communis, Ludovice, Parens: (2) Tu fœderis author
Corripe natorum cor ſacri Martis amore.
Nam qui non veſtro fluxerunt fonte nepotes,
Chriſtiadum Reges qui nunc moderantur habenas?
Valeſios poſtquam terris invidit Olympus,
Gallia Borboniis paret: tuus his dedit ortum
Regalem natus, forte, haud virtute ſecundus.
At mea de veſtra quantùm Auſtria ſtirpe ſuperbit,
Valeſiis Regum ſociis in regna receptis?
Hinc adeo tua Germanis dat jura propago,
Et nutu regit Hiſpanos, & qui ſua jactat
Auſtriadum ſobolem veniſſe in Regna Maritas,
Te quoque jactat avum. Imperii ſic Rector Hetruſci,
Quicumque Auſonias & Princeps temperat Urbes,
Germina ſunt Divûm: ſunt & ſua dona Polonis,
Sunt Anglis. Per mille fluit ſic flumina ductus
Nunc ſanguis, Ludovice, tuus, quem prodigus aſtris
Donaſti, gemina viduatus prole. Profundi
Regina Hadriaci Gallos contingit amore,
Patritiis gaviſa ſuis adjungere Reges.
Proximus at Cælo Princeps tua Regna paternis
Stringit Alexander ſtudiis, juveniſque ſeniles
Miratus Regis curas, mentemque tenacem
Juſtitiæ, ac Fidei, revocataque munera Pacis
Amplexu fovet indulgens. Tu Regibus arma
Perſuade, ſoboles Patris mandata capeſſet.
At freni indociles gentes tibi fœderis author
Conciliabit amor, laudumque exempla tuarum,
Bella Paleſtinæ calcar currentibus addent.

Hæc

2 *S. Ludovicus Proavus eſt Regum, & Principum omnium, qui Chriſtianis Regnis præſunt.*

Digitized by Google

Hæc ubi plaudenti exceperunt murmure Divi,
Contra hilaris repetit Ludovicus. Præmia facti
Sit licet ipſa ſibi virtus, & victor honorem
Poſt palmam referat, nobis properata laboris
Arridet merces. Optata prole Parentem
Florea Regalem Juvenem ſi fecerit ætas,
Fœderis in partem ſeſe præeuntibus addet
Gallorum Princeps, tardos prior ipſe præibit.
Speratos pacis ſtudio ſi ſponte triumphos
Poſthabuit, ſpernens nutritas ſanguine lauros,
Sanguine Chriſtiadum, generoſi Martis amorem
Infundet Patri Soboles: Puerilia bellum
Oſcula, & amplexus producent funera Thracum.
An Solymæ ſponſam nato pater invidet Urbem?
Nec data fatorum imperio ſibi regna tuetur?
Quin potius proli cupidus protendere fines
Auroram quatiet: parvus cum ludet in aula
Se referens natus, regni cui tradat habenas,
Invida ſi lauros mutet Libitina cupreſſis,
Ad bellum Alcides invento curret Atlante.
Non tamen hunc terris rapient Capitolia Cæli
Præcocis ad palmæ donum, ſenioque labanti
Gallorum proprios amor illi deſtinat annos.
Sed cum vincendo feſſus tibi Martia tradet
Sceptra, Puer, Solymâ, Ægypto, Syriâque potitus,
Tu Solis metire viam, patriiſque triumphis,
Poſt Thraces debellatos, intacta ſubito
Regna, ſibi Macedo quondam quæ flevit adempta.
Sic erit: Auſtriacæ ſoboles auguſta Parentis,
Spe blanda pacis quæ conciliavit amorem,
Fœdere conjunget, quos miſcet ſanguine, Reges,
Et quò nunc Aquilæ, mox Auri flamma volabit
Thracis in excidium. Nec munera poſco nepoti,
Quæ meritum veſtra urna neget. Cum ſceptra teneret
Europæ Mavors, adamante rigebat Olympus.
Hinc adeo extorquent quatuor poſt luſtra parentes
Regalem Sobolem: properent nunc munera, quando
Pax aperit Cælum, mutataque ſydera mulcet.
Pacis in authorem ruat ambitioſa ſororum
Progenies Charitum. Dixit, nutuque faventi
Delphinum Gallis indulſit Curia Divûm.

Intonuit lævùm, pertentant gaudia Cælum.
Sydereus viſus Delphin agitare choreas,
Aſtrorum ducens acies: pars migrat in aurea
Lilia: tu vultum ferrugine, Cynthia, tingis,
Invidiam Thracum, miſerumque induta pavorem.

Sed quæ regalis mentem vis fingat Alumni,
Infundens membris generoſæ ſemina flammæ,
Ancipites diſpar traxit ſententia Divos.
Pugna oritur mitis, Martemque amor efferus armat.

Certa-

Certatim puri vitales ætheris auras
Inſinuant, ſoliſque faces; ſed pectoris aulam
Quæ prior Imperio laus temperet, ambigit urna
Fatalis Divûm: Jovis hic regnare ſereni
Pacificos ignes, Libræ cupit alter honorem,
Martius illum ardor ſtimulat: quæcumque recludunt
Debita magnanimis virtutes Regibus aſtra,
Depoſcunt florere ſuas in Principe laudes.
Candida cui cordi Pax eſt, mitiſque puelli
Innocui arrident, ſecreti a ſanguine mores,
Et ſyncera quies: Fidei conſortia, dixit,
Æternùm ſocient animos; fœlicia tellus
Fata cupit? Noſtri Pax floreat hoſpita Regni.
Bellum Erebi ſoboles, patrium quæ ditat Avernum,
Lactant arma nefas, vitio ſtipendia quærunt,
Ceu quondam noſtris animoſa ſuperbia regnis,
Stare tuis, Aquilo, pennis, ſoliumque locare
Ambiit, & patrio Numen depellere Cælo:
Tum primùm belli furor arſit, & agmina mille
Præcipiti depulſa ruunt ad Tartara lapſu.
Munera ſed Pacis qui vult æquare canendo,
Parnaſi numeret quot vernent vertice flores,
Unde ſuo Muſæ circumdant tempora Regi.
Nunc illam Europæ rurſus conſueſcere Cælo
Delphini Genitor juſſit: redeunt ſua Muſis
Otia: ſancta Fides, Probitas, quas ire per Urbes,
Dejecto mœſtas belli furor impulit ore,
Feſtivas plaudunt choreas, nec lumina frontis
Diſſimulant: erectæ artes, meſſe ubere campos
Flava Ceres hilarat, quæque olim ſparſa cruore
Luxuriavit humus, nunc frugibus horrea ditat
Innocuis: en ut verſat dum vomere glebas,
Ruſticus inſultat galeis, quas grata peredit
Rubigo. Nidum hìc audax fabricabitur ales,
Bellicus agricolæ in falcem curvabitur enſis.
Hæc, Delphine, tui Genitoris munera pacem
Excipiunt; ſimili ſi duxeris indole mores,
Aurea, quæ vernant, te Principe ſecla manebunt.
    Deſierat, cum qui recti, juſtique tenacem
Fingere amat Puerum, poſtquam illi plurimus ore
Hæſit Avus, Patriis inſiſtat moribus inquit.
Hunc Rupella, (3) Erebo deducta Colonia, vidit
Cuſtodem legum; cum ſacri fœderis ultor
Impulit extorres aliis ſuccedere terris
Oſores Latiæ Fidei, quos illa ferarum
Luſtra prius patriis non ſunt amplexa ſub antris,
Sed novus excepit pacis poſt fœdera nidus.

3 *Hæreticos, qui poſt fœdus Rupellam ſe contulerant, vertere ſolum coegit.*

Perfidiæ, ac ſtygii Oranges (4) prædonis aſylum,
Arcibus ille tuis impreſſo inſultat aratro.
Tu quoque ſacrilegis partim viduate magiſtris
Mons Albane jaces, quòdque armis vincere jura
Auſus es, & ſcenam in Martis mutere theatra,
Regius obſedit miles mucrone viarum
Anguſtos aditus, ſcelerique imponit habenas,
Sic premit exultans juvenis ſervile catenis
Perfidiæ collum, & pietas mitiſſima ferrum
Exacuit; terret ſontes properatus Avernus,
Quem parit ultoris vindicta æquiſſima Regis,
Hinc magis aurato juvat ire ad ſydera curru,
Quàm luctantem animum vivendo obtrudere Diti.
Atque adeo Latiam jam transfuga plurimus ambit
Rurſus inire fidem, quem Regis gratia blando
Illicio traxit. Sed primam vindicis iram
Principis excepit ſtygiis nunc miſſa cavernis
Hydra, venenatum pulchro quæ ſyrmate corpus
Integit, & furuis erectos crinibus angues
Cæſarie premit: huic ſcabra rubigine corpus
Strinxit livor edax, miſeros tremor occupat artus,
Gemmato peſtem populis cratere natantem
Propinat; Divina homines ut ſceptra tremiſcant,
Affingit vultus, crudeliaque ora Tonanti.
Quot, veluti Scythica religatus rupe Prometheus,
Impliciti vinclis (ſic aſſerit Hæreſis Hydra)
Currere coguntur, celereſque laceſſere ventos?
At quibus Æolidæ labor imminet, ardua rupis
Pars ad ſyderei montis portanda cacumen,
Hos nodis Numen non raro ſtringit ahenis?
Ni faciant, peſtem, lethum, furiaſque minatur,
Vivaceſque Erebi flammas? Mezentius ergo
Mitis, & ingenium non eſt crudele Perilli,
Mugitus licet humanos, & viva ſuorum
Funera quæſierint. Quis pœnas expetit ultor,
Principis Imperium ſervus niſi viribus æquat?
Deficiant vires: Peccant authoribus aſtris
Quos onere immenſo lex opprimit. His tamen Orcum
Divini pietas mitiſſima deſtinat Agni?
Talia jactantem blanda ſub imagine peſtem,
Rex pius inſequitur, ferroque atque ignibus urget
Ulceris os: vidit flammis ultricibus hauſtos
Hæreſis errores, hoc ſolùm lumine dignos,
Lutetia; extorris regno mox hydra faceſſet,
Vertice multiplici quæ jam viduata, maligno
Vix collo fœcunda regerminat, & face Regis
Sæpius uſta, ſuperbam ingloria protrahit alvum.
Hauriat omnem animo Proles imitata parentem;

Hinc

4 *Orangem diruit.*

Hinc odio ſceleris, ſanctâ hinc armabitur irâ.
At qui regalem Pietati addicit honorem,
I puer, i quò te rapiunt exempla tuorum,
Dixit, quos pietas ſacris altaribus auxit.
Patria te ſtimulis virtus propioribus urget,
Quam neque Sirenes, nec peſtis blanda, voluptas
Inflexit: non ille hoſtes, non fulmina Martis;
Umbram flagitii trepidat, floremque juventæ
Innocuum Superis donat pietatis Alumnus.
Quid cum fulmineis alas donaret Enyo
Agminibus, (5) juvenum Mars exultantia corda
Spe blanda raperet, partiſque aſſueta triumphis
Arma manu fugerent, inimicum hauſtura cruorem,
Stare agmen Princeps, ſopirique imperat ignes,
Dum tectum Myſtes Cereris ſub imagine Numen
Murmure fœcundo patriis huc advocet aſtris.
Sed Genitrix Thereſà (6) ſuis informet Alumnum
Moribus, Auſtriacæ Pietas cui Gloria gentis
Regia ſydereis animavit pectora flammis.
Illam adeo (7) parvi urgerent cum pondera Martis,
Menſis ab octavo tum quando cœperat alter,
Cœtibus inſcripſit ſacris Radegunda volentem.
Mox ardens prodire puer cum geſtit in auras,
Ambit regali chlamydi (8) circumdare pannum,
Quo ſeſe dives Franciſci umbravit egeſtas,
Syderibus decoranda, & pulchro ſyrmate ſolis.
Tunc oſtrum erubuit, doluitque ſuperbia, gemmis
Pauperiem præſtare ſuis, vel judice Regno.
Singula complecti cupidum ſeges obruit ingens
Palmarum: petit hic patrium florere pudorem
In ſobole, huic facilis rapuit clementia mentem,
Blandaque certatim ſibi poſcunt agmina regnum.
Omnia ſed miſcent Superi dum ſemina laudum,
Concolor evaſit Patri puerilis imago,
Et fauſta litem Ludovicus voce diremit.
Si patrem referat natus, fœlicia Regnum
Fata manent, noſtriſque favet victoria votis.
Quas etenim anteferam patriis e laudibus? una
Dotem aliis geminat, veluti roſa miſta liguſtris.
Bellicus aſt ardor cur non præcordia circùm
Funditur, & cladem Thracum vigor igneus ambit?
Hoc etiam de Patre decus cape Martia proles.
Illum fulmineis Bellona (9) exceperat ulnis,
Uberibuſque ſuis admoverat: ergo paternis

5 *Exercitum conſiſtere jubet, dum Miſſæ ſacrificium peragitur.*
6 *Reginæ Pietas.*
7 *D. Radegundæ ſacro cœtui puerperio proxima aſcribitur.*
8 *D. Franciſci pallium induit.*
9 *Pater genitus bello flagrante.*

Digitized by Google

Se puer immiſcet bellis, & prodigus ævi
Regalis, primos frontem denudat ad ictus.
Mœnia qua ducunt (10) hoſtilia parte ruinam,
Irrumpit victor primis glomeratus in urbem.
Nec, ſi compeſcit, quam ſpes exaſperat, iram
Pacis amor, tædaſque fugit Bellona jugales,
Jucundæ ceſſant furiæ. Cur ludicra Martis
Uſque adeo arridet Regi ſimulachra ciere?
Deſit arena: ſuos exultans flora Gradivo
Concedit fines. Talem Toloſa (11) flagranti
Campum aperit Regi, cui Martis caſtra viriles
Delicias pariunt, non ſegnis munera Floræ.
Hæc tibi perniciem intentant nutrita triumphis
Agmina, regnator Thracum, tibi deſtinat ictus
Progenies mea: tum Gallos ad bella ſequemur
Syderei Heroes, noſtris nunc Regia Proles
Auſpiciis ſancta deducat ab indole mores.
Nec procul alma dies, cum Gallica Lilia campis
Regnabunt Syriis: Arabum vos, arvaque Nili
Suſpirant fuſo Thracum lactanda cruore.
Vos olim e noſtris Charites legere viretis,
Gallica ſyderei ut flores vexilla notarent.
Ducere fulmineas hinc vos ad bella phalanges
Jordanes vidit, Lybiæque calentis arenæ,
Certantes patrii regnum protendere Cæli.
Nec ſervata ſemel (12) trepidæ Capitolia Romæ,
Viderunt pulchris volitantia Lilia ſignis,
Caſuras Palmas, Latiique tuentia lauros.
Creſcite: Defenſi vos lactent munera Olympi.
Creſcitis. En alius tua lilia mundus adorat,
Gallorum Princeps. Boreæ domus imminet oræ,
Quæ tua ſceptra colit, magnamqne excurrit in Arcton
Hybernum Canadæ regnum, (13) quod circuit undis
Dulcibus Oceanus. Sed opum ſtans mole ſuarum,
Aurea barbaricis nil debet Gallia regnis,
Mundique inſtar habet, quæ ſuggerit omnia, tellus.
　　Hæc ubi dicta, ſibi quiſque hunc depoſcit honorem,
Ut qua luce redit ſacras revocatus ad aras,
Prodeat æthereas ortus Delphinus in auras.
Viciſtis Divi, palmam neque victor ademit
Optatam reliquis: communia gaudia mundi
Nos hilarant, (14) communem agitant dum ſydera plauſum.
　　Naſcere, magne Puer, vires, alimentaque laudum
Cui Cæli labor afflavit, ſudantis Ol mpi

Naſcere

10 *Per diruta hoſtium mœnia inter primos urbem invadit.*
11 *Toloſæ in hortis luſtrat exercitum.*
12 *Galli Romanos Pontifices, & Romam ſæpe tutati ſunt.*
13 *Regnum Novæ Galliæ alluitur a lacu immenſo, cui nomen Mare dulce.*
14 *Naſcitur dicata Divis omnibus luce.*

Naſcere non impar donum: tibi prodiga ſeſe
Porrigit in cunas Libani vivacior arbor:
Jordanes undam ſancto properare lavacro
Ambit, & infantem liquido perfundere Cælo.
Aſt utero egreſſum Charites famulantibus ulnis
Excipiunt: en ambroſium per corpus odorem,
Et Cylicum nimbos ducunt; ſed Gratia frontis,
Quæ micat in Pueri Genitrici concolor ore,
Nutrices vincit Divas: hinc fingere vultus,
Et cupiunt ornare ſuos. Ut lumina Patrem
Spirant, ut Genitrix pulcherrima vivit in ore!
Ut lepor iram mulcet, & efferat ira leporem!
Bellicus ut blando prodit ſe fulgure riſus,
Jam palmis inhians! Viden, ut cunabula Muſæ
Dum cingunt ſertis, Infans geſtire videtur,
Ut laurus jungant ſertis, palmaſque liguſtris!
Eveniet, Puer alme: tuos tunc noſtra ſonabit
Calliope ſacros plectro graviore triumphos,
Quæ nunc fœlicis partus, quo tota ſuperbit
Gallia, & inſueta captus dulcedine mundus,
Atterit, o nimium, properato carmine laudes.
Sed rapuit me blandus amor, rurſuſque ſilentis
Memnonis exoriens animavit marmora Phœbus.
Non tamen Ætherei mentem vulgare Senatus
Auſus, quaſque ferant venientia ſecula palmas,
Arguar ut falſus: certus mihi teſtis Apollo,
Et quæ ſigna monent, de te quid cogitet æther.
Fulminei chalybes, quos Cælo ardere ſereno
Intentos jugulo Thracum Germània vidit:
Motibus exultans tellus, ignita Veſevi
Pyramis inſultans aſtris, feſtoque fragore
Portendens Orbi fœlicia fata labanti:
Dædalei cineres, quos Numinis arte magiſtra
Pingere ſtemma Crucis mirata eſt proxima Siren;
Voſque adeo, vidit quos ætas noſtra renatos,
Centimani Briarei, & monſtri forma bifrontis,
Quæ dudum ingrata merſam caligine mentem
Omine torſiſtis dubio, nunc tollite vultum
Pulchra ſerenatam portenta hilarantia mentem.
Vos Puer abſolvit, partu quem regia nuper
Explicuit fauſto Genitrix: Delphinus, amores,
Deliciæque Orbis, Cæli præſaga faventis
Prodigia implevit. Metuant ſua funera Thraces,
Quando chalybs feralè rubens exarſit in aſtris,
Prævius Heroi, quem Thracia fulminis inſtar
Horrebit Luna: exultet concuſſa fragore
Inſolito tellus, & ſedibus excita, curſum
Regis in obſequium nitatur carpere Galli.
Pyramis inſultans aſtris tibi, Cynthia, noctem
Offundat: Pueri ſic olim ſigna volabunt,

Aureâ

Digitized by Google

Aureâ quæ flammâ Divorum ars dædala pinxit,
Strataque Otomanni per humum vexilla trahentur,
Quæ notat Odryſiis Phœbe famulata bicornis.
Ambitioſa Crucis labarum victricibus armis
Agmina certatim inſcribent, cum Regius Infans
Ornabit roſeas prima lanugine malas.
Multiplici fœcunda manu fuit edita proles,
Fœdera portendens Regum, nam corpus in unum
Celtiber, & Gallus, potorque Boriſthenis acer,
Italus, & Rhenum pedibus qui calcat, acuto
Frigore concretum, nec Regia ſceptra peroſus
Londini civis, dextras miſcebit amicas,
Et velut ex uno pendentia vertice membra,
Relligionis amor communem armabit in hoſtem.
Creſce, Puer ſanguis Divûm, fœlicior alter
Quo non vitales in luminis editus auras.
Militat auguriis tibi Numen, & aſtra cruentum
Sufficiunt hoſtis condendum in viſcera ferrum.
Lactarunt lenta cupidam ſpe fœdera mentem
Chriſtiadum: jurata Canem nunc perdere Thracem,
Agmina miſcebunt, quos jungis ſanguine, Reges.
Faſciolas Vexilla dabunt, patriiſque triumphis
Sedula te nutrix involvet: lilia vultu
Aurea ridenti cernens, mox brachia vinclis
Urgeri impatiens, jam tum volitare per auras
Signa Palæſtinis cupies fulgentia campis:
Utque manus nodis, puerilia vota flagrabunt
Solvere, Libertas jacuit quo clauſa, Sepulchrum.
Ite triumphales generoſa ad prælia turmæ:
Pannonia, & quam vis animat Trojana renaſcens,
Creta, laborantes pulchro vos Marte fatigent.
Cum virtus Regi fortes properaverit annos,
Vim pavido incutiet Turcæ: ſpoliabitur ingens
Urbs Conſtantini, conſuetaque fræna recuſans
Boſphorus ediſcet Gallorum ambire catenas.
Sic tibi Sequanicis a Regibus aurea ſurgent
Fata, Fides, peperit Genitor cui Pace Triumphos,
Sacro Delphinus bello, Patris orſa ſequutus,
Proferet Imperium roſei ad cunabula ſolis.

IN

Digitized by Google

IN SERENISSIMÆ REIPUBLICÆ
V E N E T Æ
D E
TURCARUM CLASSE VICTORIAM
Epinicium Statii Stylo

Ab Authore dictum in Aula Collegii Romani
Anno 1663.

Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo
P R I N C I P I
G R E G O R I O
CARD. BARBARIGO.

A*Ncipiti me animi motu diſtraxit, Eminentiſſime Princeps, Egregii Adoleſcentis Philippi Farſetti Auditoris mei Amor liberalis, qui, juſſu Præſtantiſſimi Viri Genitoris ſui, dum Præneſtinus Princeps Typorum luce donaret Carmen a me fuſum in triumphalem illius Equitatum, hoc aliud a ſe in conſpectum eruditorum proferendum, Tuiſque Magnanimis Auſpiciis nobilitandum, omni ope, &, qua pollet, ingenioſa facundia, extorquere contendit. Vt enim publicam diem non formidarem degeneris ingenii proli, quam aliquot jam menſes tenebris damnatam ne ſuus quidem pater oculo unquam fugiente percurrere dignatus ſit, vulnerari fugiens illius vultu* inde-

Digitized by Google

indecoro? At cur hos qualeſcumque plauſus, Venetæ Virtuti datos in theatro nobilium virorum, mori juberem, antequam ſaltem illos brevi lectores candidi ingeminaſſent, magiſque trepidarem notam mali Poetæ, quàm Venetæ virtuti addictiſſimi cultoris gloriam amarem? Vicit optimus Adoleſcens eâ, qua illum in Rhetoricæ Tyrocinio armare curavi, me aggreſſus Eloquentiâ. Vicit animus Tuum in obſequium effundi miro quodam ardore prægeſtiens, & aliquod eximiæ Tuæ Virtuti ſiſtere vectigal ingenii. Ex quo a Te ſacra Purpura, & hæc Vrbs, Regia Virtutis, decus accepit, mirabilem Tua immortalia decora in nobis pepererunt amorem ſui. Quem enim non alliciant Mores illi, Vultaſque Cælum & Sydera, ab uſque prima pueritia, ſpirantes, cum interea ſint humaniſſimi, & ut ignis munificus Jovis in omnium bona profuſi? Vt nos præcipuè rapiunt magnetica vi, quos alloquio diuturno, quos hoſpitio peramanti, & adornatis Tuo adventu triumphis, quos amore benigniſſimo dignaris? Vicit tandem ſingulare ſtudium, & amantiſſimum obſequium in Sereniſſimam Veſtram Rempublicam, quæ regali nos, & munificentiſſimo amore complexa noſtro famulatui magis magiſque blanditur in dies, adeoque favore ſuo nos fovet, ut Venetæ gloriæ ſtudioſiſſimos ſuis jubeat exercitibus immiſceri, ideoquæ amoris artibus armaverit devotam Cælo Octodecim millium virorum aciem Votis pro ſua victoria pugnantem. Vltimum igitur, quem Veneti Martes, Chriſtianæ Reipublicæ Vallum Oceano volitans, retulere de barbara Claſſe Triumphum, a me deſcriptum, cum primùm fauſtiſſima illius fama Romam exhilaravit, Tuo vultu, animoque, hoc eſt humaniſſimo; excipias, Eminentiſſime Princeps, & illi aliquam lucem affundas Tuæ Sole Virtutis, & Purpuræ,

VENE-

VENETUS
De Turcarum Claſſe Triumphus.

OCeani laurus nuper de gurgite natas,
Muſa, triumphali Venetorum innecte Coronæ.
Neptuni furias, Veneto ſervire Leoni
Ambitioſa Maris certamina, & Ignis, & Undæ
Fœdera, dædaleas animantem Protea flammas,
Barbaricæ ut mediis fument in fluctibus alni,
Ventorum ad murmur canimus, flammæque tonantis.
Surgat ab Jonio mihi Caſtalis unda profundo,
Fervida ut expument agitantem pectora Phœbum.
Fallor? an Odryſiæ tumulum parat unda Dianæ,
Syderibus conſueta aliis præbere ſepulchrum?
Intonuere hilari per cærula Regna tubarum
Murmure Tritones, Famamque ad grata laceſſunt
Munera, ut impavido Cælum dimenſa volatu,
Ultima cedentis ferat ad confinia Mundi
Biſtonio Venetas prognatas ſanguine palmas.
Aſpicis, exoptata oculos ut imagine paſcit
Purpureum latè Pelagus, ſtrageſque natantes
Turcarum, & pavidas incendia viva per undas,
Captivæque rates, dextrâ & gens barbara nexâ
Funibus uſta latus? Fruſtra illa in vota vocavit
Ultima Turcarum properantem fata Memetem.
Concitat ærato flagrans ſua Regna tridente
Neptunus contra Martem, cui Thracia nutrix,
Fruſtra, namque ſuos malè protegit Ægide Thracas.
Magnanimo Venetûm rorans e vulnere ſanguis
Nereidum excipitur conchis, quas Memnona plorans
Complevit fletu Genitrix Aurora feraci.
Victrices, viden', ut grata obſidione coronant,
Sertiſque exornant Nymphæ Oceanitides alnos?
Aſt aliis diadema auro, gemmiſque ſuperbum
Arte laboratur mira: Tibi dona parantur,
Hadriaci, Ægæi, Cyprii maris Arbitra Virgo,
Quam videt attonitis ſtantem Neptunus in undis
Regnis inſultare ſuis, hominumque laborem
Eſſe negat, tolerare hominum indignatus habenas:
Mox Venetos cernens Proceres, Regumque Senatum,
Europæ qui fata ſua ſortitur ab Urna,
Ambit adoratas hominum Neptunus habenas,
Fertque Urbi obſequium undoſum, ac vectigal aquarum,
Eſſe hominum confeſſus opus, quos aurea vulgo
Mortali exemit, rapuitque ad ſydera Virtus.
Vos mihi, dum blandæ repeto primordia pugnæ,
Purpurei Heroes, precor, aſpirate canenti:

Digitized by Google

Palmarum ut ſylvam ingeritis, queis munera nectant
Laurea, Phœbææ ſic Arboris addite frondes.
Turcarum liquit Byzantia littora Claſſis.
Aſpirant auræ faciles: Argentea regnat
Cynthia, ventorum flatu curvata ſecundo,
Et formidatam Ponto referentia Lunam
Irrident tumida Oceani Vexilla procellas.
Cærula Regna latent, bis denis tecta carinis,
Grandia Sultani fecit queis nomina conjux.
Quinquaginta adeo Regales pone ſequuntur,
Et partim anteeunt, famulantia robora, puppes.
Impoſuit nunquam Xerſes tam fortia Nereo
Vincla reluctanti. Credas bis dena per undas
Culmina Atlantæa, arboribus veſtita, moveri,
Et circùm Rhodopen, colleſque errare minores.
Ponderis impatiens fremuit gens humida Ponti,
Atque iræ fervor gelidis ſub fluctibus arſit.
Ergo execratam certi ſubvertere Claſſem,
Æquorei coeunt Protei ad ſpelæa Quirites.
Panditur exeſum ſcopulis pendentibus antrum
Oceani in medio, ſupraque aſſurgit aquæ mons
Arduus, & circùm immenſæ vis funditur undæ.
Intus aquæ vivunt dulces: ceu lactea fluctus
Haud, Arethuſa, tuos maris aſperat ira Sicani.
Marmore de Libyco pretioſa ſedilia ſurgunt,
Eois gemmis, alboque ornata corallo;
Albo, namque undâ egreſſo dant aſtra ruborem.
Haud aciem hìc, lucemve hebetat cryſtallinus humor,
Luminis at puri jubar auget: Ut amphora Solem
Lactat aquâ. Hæc Protei penetrália regna frequentant
Tritonum, Nereique chorus, Nymphæque decoræ.
Herboſo ille thoro incumbens, algaque paluſtri
Protectus, videt exultim certare ſub antro
Delphinum choreas, frænatque immania Cete.
At poſtquam accenſi furiis, odioque frementes
Convenere Maris Proceres, ita lubrica Vates
Ora furens aperit, dictiſque exaſperat iram.
Non una æquoreis ergo Luna imperat undis,
Regina umbrarum, & magni ſoror æmula Phœbi?
Aſt Otthomani quæ pingit barbara ſigna
Luna mari inſultat, rapiens Neptunia ſceptra?
Ac velut Æthereæ audito maria alta tumeſcunt
Imperio, rurſuſque iras poſuere, Dianæ:
Illa agit in montem fluctus, aperitque dehiſcens
Nunc iter ad Manes, dubio quos lumine terret:
Barbara ſic Ponto Luna incubat, atque jugo undas
Imperioſa premit? Non hìc Authore levatur
Servitium Cælo; aſt Erebi tumida æquora parent
Mancipiis. Mare velivolum cui pervia claſſi
Marmora tranquillat, Turcarum exempta furori?

Aſer

Afer ad Herculeas pervaſit prædo Columnas:
Hiſpanum Libycæ furiæ mare claſſibus urgent:
Haud cœcas horret ſyrtes, haud Nauta natantes
Ægæo in magno Cycladas, ſed cladibus altas
Chriſtiadum Odryſias puppes. En Regia Divûm,
Heroum ſedes, vaſti cor nobile Mundi,
Italia, abreptas Romano e littore prædas
Conqueritur. Non tu, Charitum pulcherrima Mater,
Parthenope, rides: vicinas radit arenas,
Protecta aut ſcopulo manus excubat Harpyarum.
Nec pelagum tentare poteſt impunè doloſum,
Quæ pia thura vehit Romanas Pinus ad aras.
Spirat odoratis quæ puppibus aura Sabæa,
Ænariæ attingit, Prochites vel rupe latentes
Barbaricas naves, celeri quas ardor avarus
Ad prædam curſu rapit. At Neptunia, Princeps,
Regna time, quemcumque genus commendat, & aurum.
Te Gazæ fecere hoſtem, te ſtemmata Thraci:
Te manet Ægæa lentandus remus in unda,
Aut Tuneti carcer, quamvis millena redemptor
Nil profecturus perſolverit aurea natus.
Terque quaterque ratis Libycis en appulit oris,
Auro fœcunda; aſt urgent æterna Parentem
Vincula. Per fluctus videas equitare Leones,
Quando fides Libycis non falſa inſederit arvis.
Regia Piratarum ergo mare grata laceſſit
In ſe odia, & flagrant alieno crimine fluctus,
Non ſatis infames ſcopulis, ſævisque procellis,
Syrtibus, & liquidæ centeno tramite mortis?
Quò tumor, & magni generoſa ſuperbia Ponti,
Cærulei, ceſſit, Proceres? Tritones ad arma:
Arma fremant Nymphæ. Sed non ultricibus undis,
Non pugnante cadat Naturâ barbara Claſſis,
Hoſte ſuperba ſuo. Ad Venetas, ſua fata, triremes,
Turcarum ad ſcopulum, rapiat vis æmula Thraces:
Et fræni indocilis Veneto ſervire Leoni
Ambiat Oceanus: tumidarum illi ardor aquarum
Pareat, & furor Æolius: tua ſigna ſequutus
Millenas Proteus ſolers animare figuras,
Nunc Pelago aſſurgam Enceladus, nunc horrida Cete
Ore feram, nunc ignis edax equitabo per undas,
Hoſtileſque rates amplectar; nunc, age, Regnum
Aeris invado, Boreæ ſub imagine, Ventus,
Solventi dexter Veneto de littore Cretæ.
Dixit, & extemplo in rapidas evanuit auras,
Dumque ſibi ab Cælum per aquas iter explicat audax,
Intulit attonitis peregrinum nubibus æquor:
Nympharum e trepida cecidere corallia fronte.
Interea rapidâ volitans ſuper æquora conchâ,
Fulmineus Venetos Triton ad bella laceſſit.

Illi, Neptuni Reges, ſraterna Tonantis
Regna tuebantur ſuriali ex impete Martis.
Creta, tibi excubias Venetorum claſſis agebat,
Ilion Europæ Creta, & vivacior Ilio;
Auroræ quamvis ſuror incubet, aulaque Martis,
Barbaro inundentur Dictæi milite campi.
Suda triumphales in amico littore Puppes
Cœperat, Auſoniæ vallum, Fideique Latinæ
Oceano volitans, puppes; quas lumine poſtquam
Solicito Triton pelago proſpexit ab alto,
Credidit Ortygiam vento, Delonve revulſam
Innaſſe ad littus Cretæ. Sed amica Leonis
Ut Vexilla, ſuper Caſtella natantia, vidit,
Intonat, horribilique tuba procul eſſera Martis
Signa canit: pavor inſolito quatit impete Phocas,
Dumque tonans rauco Tritoni aſſultat Olympus,
Aurea per totum trepidarunt æthera monſtra:
Non timuit Venetus. Neptuni nota vocantis
Præſenſit ſigna: Impavidi de littore Nautæ
Puppibus inſiliunt, Cererem, fonteſque ferentes,
Armaque, Vulcanumque cavo nunc ære ſepultum,
Stragem illaturum Pelago. Defenſor Olympi
Supplicibus miles jaculatur ſydera votis,
Et conjuratum rapit ad certamina Cælum.
Auſugiunt puppes, dum carbaſa penniger urget
Proteus, & Nymphæ contis velocibus inſtant.
Barbara jam Claſſis mediis occurrit in undis,
Deſperans, renuenſve fugam. Mars dividit æquor,
Et Patrui æriſono percurſat Regna flagello.
Tritones circùm, ac Nymphæ ſumantur in arcum,
Martemque accendit cantu tuba: conſcius Æther
Intonuit lævùm Venetis, vibrandaque nubes
Fulmina parturiunt, ſi ſors adverſa reſlaret.
Sed Cælo Venetûm virtus ſua tela redonat:
Fulmineas vincunt tormenta tonantia nubes:
Ignea tempeſtas Nerei bacchatur in arvis,
Mors alata volat: peſtis, furor, horrida cædes,
Tormenti proles, partu excluduntur eodem.
Ænea grando ruit, flagrantis turbinis imbre
Turca flagellatur: fumantia carbaſa fractus
Impoſuit malus ſubeunti pone carinæ,
Peſtemque admovit: Miles cum puppe revulſus
Evolat, atque undis ſtridens combuſtus in altis
Accendit fluctus: Naves panduntur hiantes,
Oceanumque bibunt: exoſam pellere vitam
Naufragio properant, queis vivum fata cadaver
Aſpera producit, patuloque in carcere cogit
Indignatam hærere animam. Per tranſtra Megæra,
Tiſiphoneque ruunt, truduntque ad Tartara Thracas.
Fugerunt pavidi fluctus, per apertaque terræ
Viſcera

Viſcera ſulphureus Turcarum ante ora gementum
Erravit Phlegeton, viſuſque ex amne Memetes
Efferre ad Superos ſtygium caput, oraque flammis
Semeſa admotis, & cana ſparſa favilla:
Horribilique vocans nutu, ac ſtridenti ululatu
Tænareum in gremium, ac ferventia flumina victos,
Integra monſtrat ſtantem cum Claſſe Charontem.

Dum trepidos referat Manes hinc unda dehiſcens,
Parte alia aſſurgit Pelagus, fluctuque cruento
Attollit frontem, ac Taurini cornua vultus,
Odryſiam contra Claſſem, prædaſque repoſcit
Oceani e gremio raptas, atque omnibus undis
Obtrudit grandis ſolatia dira Sepulchri.
Mons niger inflat aquas: videas equitare Gigantem
Fluctibus impoſitum decumanis: Xanthus atroci
Ceu quondam impavidus fertur congreſſus Achilli;
Ac velut Herculeis Achelous viribus impar
Fructibus implendum ceſſit tibi, Copia, cornu.

Jamque ſupervolitans Venetas Victoria puppes
Plaudebat pennis, ſonituque canora tubarum,
Regia cum tonuit Turcarum pinus, & undas
Flammarum evomuit, tabulaſque, viroſque volantes
Extulit ad Cælum, & pugnantia ſaxa per auras
Nubibus impegit, dumque aera fulmine crebro
Verberat, Ægæis viſa eſt in fluctibus Ætna
Fulminibus trepidans ad bella laceſſere Cælum.
Muſa, quis ardenti ſceleratam turbine navim
Involvit? Neque enim Veneti diſcrimina Martis,
Baliſtæve ictum excepit: ſocia agmina vallum
Explicuere ingens, namque huic impoſta Carinæ
Sultani timuit generoſa pericula conjux.

Tu Proteu venti pennas exutus, & ora,
Diceris in flammas abiiſſe, & ſulphure vivo
Amplexus navem, fruſtraque frementibus undis
Diſſolviſſe trabes, totumque agitaſſe per æquor
Fumantes juvenes, galeas, vexilla, ſariſſas.
Dædaleæ artificem vidit cum Protea flammæ,
Mulciber atroci riſu annuit, atque Cyclopa
Addidit æquoreum miranti Protea Bronti.

Vos etiam gelido accendiſtis in æquore, Nymphæ,
Turcarum Pinum, namque altæ in culmine rupis
Hauſtura adverſi flagrantia ſpicula Solis,
Candida fulmineum chryſtalla aptaſtis in arcum:
Veſtra quibus vitam chryſtallis ducit imago,
Humida dum roſeis ornatis tempora ſertis.
Illa bibunt nocuos irati Hyperionis ignes,
Ingeminantque diem: tum calle accenſa negato
Tela ruunt ſupra Turcarum carbaſa, in unam
Tramite non uno coeuntia ſpicula metam:
Per Navem ſpargunt ignem, & niſi cauſa lateret,

Vela

Vela ſuperbirent cæleſtibus aurea flammis.
Peſtis edax regnat. Nymphæ riſere feroces,
Quæque aliò torquent radios chryſtalla diurnos
Invertunt, teliſque locum jaculantur eumdem.
Quale Syracoſii inventum timuere Magiſtri
Marcelli Naves: altæ ſpecularia turri
Impoſita, altorem vitæ ad feralia Phœbum
Bella coegerunt: nimiæ per munera lucis
Æternas parere attonitis mortalibus umbras.
Quin etiam e pelagi gremio erupiſſe feruntur,
Quæ flammæ fremuere diu tellure ſepultæ,
Perque reluctantis ferventia marmora Ponti,
Inſolitam ſecuiſſe viam, bibulæque carinæ
Implicuiſſe ignem: ceu nubila fulmen aquoſa
Tranſit, & hoſtili quærens nova robora ab arte,
Tres imbris torti radios a nubibus haurit.
Forſitan æſtivi frænavit terga Leonis,
Atque ſuos Marcus Venetos ſuperaſtitit, arcu
Sydereo Thracas figens, & rapta quadrigæ
Spicula Phœbææ torquens: velut Actius Indos,
Credere ſi fas, Ægyptumque fugavit Apollo,
Barbara Naupacti cum claſſis inhorruit undis,
Et fruſtra Romæ funus Cleopatra paravit.
Credo equidem tibi fulmineum Cælum omnibus aſtris
Militat, o Fidei Virgo Bellantis Amazon,
Auroram, atque Erebum contra. Quem Protea Vates
Dicimus, & Nymphas tua fortia ſigna ſequutas,
Belliger Hadriacæ fuit Aliger arbiter undæ.
Haud miror, tibi quod ſervire ambiverit Orbis,
Ut cuncta hoſtilem parerent elementa ruinam,
Ferro Humus, Igne Polus, Vento Aer, Unda Procellis.
Regia dum puppis flagrat, & ſtridor morientum,
Accenſique Maris fremitus, tractæque catenæ,
Viſaque per flammas furiarum forma ruentum,
Innantem Pelago Ægæo Phlegetonta colorant,
Et præcox Erebi miſeros divexat imago,
Urget aquas remis Turcarum turba ſuperſtes,
Moliturque fugam; ſed enim tot ſparſa per undas
Membra coarctabant Neptuni Regna frementis,
Triſtes relliquias clades tardavit amica.
Tergo inſtat Venetus, prima & jam puppe carinas
Barbaricas premit: hinc profugos harpago moratur
Victoris, morſuque trementes alligat unco.
Tum revocat flagrans inimica in pectora robur
Deſperata ſalus, & lethi nobilis ardor,
Cumque ſuis ineunt breve Tartara fœdus Alumnis.
Erumpit nigrum incenſis e navibus agmen,
Pugnanteſque rates exercitus occupat ater.
Quiſque ſuum ſtygius bellator Thraca tuetur
Funereo clypeo, & gladium dum dextra coruſcat

Militis,

Digitized by Google

Militis, ardentem rotat ille ferocior enſem.
Sive Erebi veniunt fraterna ad bella phalanges,
Cæſorum aut umbræ ſatagunt non perdere lethum,
Ac turbam quærunt, pœnarum triſte levamen,
Infernas rapere ad ſedes, Tibi prælia, Victor,
Odryſiique furor prodeſt frangendus Averni.
Vincla recuſanti Thraci tua Fama tenetur,
Illius excidio creſcens. De puppe triremis,
Hoſtilis lateri Venetus pontem applicat alni,
Aereaſque vias circùm latrante tumultu
Æquoris, & circùm volitanti tempora plumbo
Impavidus tentat; cum ferrea vincula vincens
Turcarum Navis retro fugit. Aereus pons,
Ac Ponti impoſiti Heroes traxere ruinam,
Attamen æquoreos fluctus haurire recuſant,
Ante niſi Thracum immenſi vis miſta cruoris
Vincat amaritiem Pelagi. Fugitiva natatu
Ligna petunt, trabibuſque alacres extantibus hærent,
Quæ contexta ratis circùm latera ardua currunt.
Emergit Ponto, & callem eluctata malignum
Dextra ſupercilium Navis rapit; At ruit enſis
Barbarus, & dextram ſcindit poſt fata furentem,
Hærentemque rati: Properat fulcire ſiniſtra
Caſurum Venetus corpus: Thrax duplicat ictum:
Ille fremens dentes Navi admovet, atque ſuperbo
Fulminat obtutu Thracem, ſocioſque tuetur
Dædaleo adverſam ſubeuntes tramite pinum.
Explicat ærato vivum illis corpore vallum,
Vulneraque in ſeſe obnitens aliena laceſſit.
Morte tua incolumes, Juvenis fortiſſime, in altam
Evadunt ſocii Navem: pugna aſpera ſurgit:
Centeni occurrunt uni, ſed brachia centum
Non parerent tot fata, unus quot dividit enſis.
Proturbant Venetum Thraces: multùm ille moratus
Tres inſperato nexu complectitur hoſtes,
Et ſecum rapit in pelagum, ſolatia cladis.
Hæc ubi nequidquam generoſa audacia ceſſit:
Inſcendunt Veneti Malum, quo Regia Navis
Vela notis aperit: Protecti corpora parmâ,
Enſe truces nudo, diverſa in parte locantur,
Amplexi funem, qui circùm lubricus errat.
Tum ſuper hoſtilem demiſſa rudentibus alnum,
Arbor agit pluvios irato ex Æthere Martes.
Mavortes credit, gladio dum Turca volanti,
Fruſtra Erebo fretus, metitur: dum pullulat ictu
Innumera ex uno clades, avulſaque membra
Impete fulmineo ſociis fata horrida portant.
Purpurea in pelagum labuntur flumina: colles
Corporibus ſurgunt, puppim exæquante carina,
Signifer in fracta Victorem puppe Leonem

Expli-

Digitized by Google

Explicat, inſequitur plauſus: tormenta canoro
Aſtra ſalutarunt, ſocios & murmure Divos.
Victor, io, clamant Nymphæ, Moroſine, triumpha:
Auſpiciis eſt parta Tuis Victoria, Ductor,
Tritonum chorus ingeminat, Moroſine, triumpha.
Tu dum flagranti fumabat in Æquore Mavors,
Regali puppi impoſitus, Mens Arbitra belli,
Unus Turcarum ſteteras tela omnia contra,
Ventorum ut furias ridet Marpeſia cautes:
Telorum attollis ſtantem ſuper Ægida ſylvam,
Conſilio, & Sacris Venetorum Pallas in armis.
Jamque latus vinclis Thraces, dextramque peruſti
Conſidunt per tranſtrà feri, rabidoque catenas
Ore petunt: victæ puppes ſine honore trahuntur,
Quem rota, ceu Serpens, obliquo pondere preſſit:
Hauſerunt aliæ fluctus, vel terga dedere.
Barbaricæ fluitant gazæ, quas munus amico
Deſtituit Venetus, ſocio ſtipendia Ponto:
Aſt illis Nymphæ gemmata monilia circùm
Purpureas ducunt conchas, quibus hauſta cruoris
Magnanimi unda latet, Venetorum e vulnere lapſa:
Avulſoſque legunt artus, incertaque membra
In ſpecubus tumulanda ſuis: captiva ſupellex,
Signaque Turcarum, gemmæque, & regia torques,
Urnæ advolventur, ſacri monumenta Triumphi.
Cymothoe, Dryoque tuæ decora aurea fronti,
Regina Hadriaci, properant, pinguntque loquaci
Gemmarum ſerie maria ambitioſa catenis
Ornari Venetûm. Jam ſceptra veretur uterque
Boſphorus, Euxini venerantur Numina Ponti,
Tethys Erythræa, & Fluvio quæ proxima Nigro
Alluit Æthiopas, Maurum quæ lambit Atlantem,
Haud umquam cano qui vertice ſydera torſit.
Quin & Hyperboreo ſeptem ſubjecta Trioni
Oſcula adorato ſceptro imprimet Amphitrite.
Eveniet: canis Proteus emerſit ab undis,
Fatidici ſenis ora ferens, atque omina miſcens
Laudibus, exhilarat Venetos, ſpemque ingerit almam.
Curre triumphati per ſubdita Regna Profundi,
Claſſis, & obſequio Pelagi blandire faventis:
Dardana, vos Eneti, proles reparaſtis avita
Pergama Neptuni in Regno, qui ſubruit arces
Iliacas, & vincla æterna reponitis hoſti.
At vos non unquam frænarunt barbara vincla,
Nullaque tot quondam Libertas vixit in annos.
Non fraterna trahens Trojanæ germina laudis
Libera tot palmis dimenſa eſt ſecula Roma.
Hinc adeo Venetis miſceri Regibus ambis
Flos Latii Generis, Valeri, Marcelle, Quirine,
Corneli tradens Cornaræ nomina genti,

Micheli

Digitized by Google

Micheli & donans generoſum lumen, Anici,
Servire indociles aliena & jura tuentur:
Et, quæ ſpirat adhuc Libertas Itala, vitam
Ducit ab auſpiciis Venetorum, & fortibus armis,
Europæ in veſtro librantur Fata Senatu:
Quicumque auguſtæ ſuffragia ſuggerit Urnæ,
Quàm bene Regnorum faciles torqueret habenas!
Nullius Imperii trepidantia fata labarent,
Ultimus e Venetis Patribus ſi ſceptra moveret,
Et veſtro cupidos Reges aſcribitis albo,
Queis Veneta amplificat Regalis lumen honoris
Addita Nobilitas. At Vos, Terraque, Marique
Pace hilares alma populos, bellove frementes
Imperio amplexi grato, ſuper æquora Regnum
Profertis, ſupraque, Jovis cunabula, Cretam,
Fruſtra Oriens Lunam, Thraceſque tuetur Avernus;
Nunc Venetus gravidum populis, Regniſque ſuperbum
Regnatorem Aſiæ frænat, nunc fulmine terret.
Hæc ubi dicta, hilari ſe merſit in æquore Proteus,
Plauſerunt Nymphæ; ridentis Regia Nerei
Exultat Veneris Capitolia pandere palmis,
Lætaque regales chryſtalla attollit in arcus,

VIRTUTIS CUM FORTUNA FŒDUS

SANCITUM PRÆNESTE; DUM

MAPHÆUS BARBERINUS

Prænestinorum Princeps

Annuum Neapolitani Regni Cenſum in D.Petri ſolennibus Catholici Regis Orator Extraordinarius

ALEXANDRO VII. PONT. MAX.

Regiâ pompâ, ac triumphali equitatu deferret.

CARMEN CLAUDIANI STYLO

Ab Authore dictum in Collegio Romano
Anno 1663.

Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo
PRINCIPI
MAPHÆO BARBERINO
PRINCIPI PRÆNESTINORUM
Ereti Duci, &c..

TRiumphalis equitatus, quo deducente Hiſpani Cenſum Regis, & gemini cum illo Mundi obſequia Alexandro Septimo detuliſti, ut Romam ſtupore defixit, ita Muſas animavit ad cantum, quarum Princeps Apollo, quaſi triumpho ductus poſt Tuam Regalem Quadrigam currui ſuo invidioſum, Tibi partes ceſſiſſe ſuas oſtendit Poetas auſpiciis melioribus fovendi. Id quidem ſolenne eſt Barberinis Heroibus, quibus hoc ego tertium ingenii vectigal perſolvo, genio indulgens, & obſequio fortaſſe nimium audaci, dum juvenili, & feſtinato Carmini Te celebrando quæſivi ſuperbiam, qui ad lucem nunc rapis humaniſſima vi Poema ſuis tenebris amans involvi, & ſuis natalibus immoriturum, niſi geminato prodigio vitam illi pariat argumentum triumphale. Si hanc pompam adornas Regi in Pontificis venerationem effuſo, quo ſtudio palmas illius, & addita Imperio Regna proſequeris? Jure optimo Tibi quoque favet Regis gratia liberalis, Grandium nuper honorum, & pulcherrimæ Ditionis munifica, quæ Tuis Urbibus addita quot ſuperat imperia priſcorum Regum? Tànta vis equitum, & flos nobilium ad Tuam pompam celebrandam volavit, ut inſolita frequentia, & alacritas mira palam omnibus fecerit, quo Tibi Roma ſtudio, quo Italia, quo aſſurgat Hiſpania: ut magnes ſit animorum Humanitas Tua, & Munificentia, vultuſque lepores cum Animi generoſi gratia decertantes: ut Purpuratos Barberinos Patres obſequio, & amore omnis Europa complectatur: ut Urbani præſtantiſſimi Pontificis Gloria non in Aris tantùm, ac Templis, Horreis, Portubus, Arcibus, Urbibus, quas erexit, quantùm in animis hominum vivacior poſt funus perennet. Hæc Europæ Tuo Generi faventis alacritas animos indidit immiſcendi Virtutem, Fortunam, Famam triumphis Tuis; quas dum Tibi ambitioſo cultu laborantes inducam, haud nimium in ſublime jaculari videbor audaci Poeſi; Tua enim Virtus alas detrahit Pegaſo ferocienti, & Vates, quamvis ingentia quæque conentur, eſſe cogit Hiſtoricos. Virtus ergo adamantino clavo Fortunæ Rotam frænare contendit, cui Barberini Heroes imminetis; ſed antequam fœdus inter Sortem cum Virtute Regina decertantem coaleſcat, Fama ſupervenit, & regalem Equitatum, aliaque Honorum incrementa narrat, quæ Tibi Tua contulit Virtus, & Hiſpani Regis Amor. Hunc Fortuna ſui Regni arbitrum ſequi ambitioſa Virtuti annuit, & illa Rotam adamante compeſcit. Tum quæſtio ſurgit in Divarum Senatu, an debeant Præneſtina Fortunæ Templa refingi, ac Tuæ gentis Gloriæ conſecrari, quæ Fortunam avito excuſſit imperio, & illius ruinis inſultat. Aliud interea prodigium dirimit litem, namque Rota Fortunæ illico triumphalis Currus Virtutis evadit, ſuperbus Imaginibus Barberinorum Heroum, & magnanimis Urbani Octavi Moribus colore Dædaleo revocatis ad

vitam.

Digitized by Google

vitam. In altum enititur inſita vi Regalis Quadriga in Cælo ſtatuenda, quod ſolummodo Templum Honoris par eſt Barberinæ Virtuti. Poſt quatuor imperii luſtra, quibus regnaviſtis Apes, Italorum deliciæ, & poſt etiam nunc vivens Imperium Amoris, quo in principem Hominum partem animos dominamini, vel ipſa Regum Arbitra Fortuna ſuperba incedit, quod Barberinis ceſſerit ſua Regia Prænestina, Tibique ſervire magis amat, quàm reliquis imperare. Ut autem omnium plauſus laceſſit Triumphus Tuus, ſic jure ſuo a nobis exigit, non ſolùm privatis, ſed & communibus Sacræ Familiæ nominibus, quæ Urbano lachrymis propemodum veſtris, veſtro amore parentavit, ab illo donis innumeris, & amore paterno innutrita, adeo ut vel ipſos in Cælo regnantes e Societate noſtra viros ſit beneficiis amplexus, cum triumphos illis, & annuos honores ſtatuerit. At de profuſa munificentia, qua Seculum noſtri Ordinis primum clauſiſtis, nulla noſtra Secula conticeſcent. Et Hæredes quidem Urbani nos adhuc amantiſſimè fovetis Egregii Principes, quorum ego laudes nunc attero degeneris ingenii vitio, majori olim fortaſſe tuba celebrandas.

CARMINIS ARGUMENTUM

A Marchione Jo: Baptiſta Bottinio,

Authoris Sororis Filio,

EPIGRAMMATE COMPREHENSUM.

Heroes, Fortuna, tuo qui in culmine regnant,
 Frænato, Virtus, impete, ſtare jubet.
Fama altercantes dirimit: celebratque triumphum,
 Parthenope Romam quo obſequioſa colit:
Et Barberinos extollit ad æthera honores,
 Hiſpani Regis quos dedit almus amor.
Tum Regem ambitioſa ſequi Fors annuit: hæret,
 Quam ſiſtit Virtus duro adamante, Rota.
Dein Charites ardent Tibi Templa refingere Sortis,
 Clarus ubi Patrum marmore ſpiret honor;
Sed Rota regalis pulchra induit ora Quadrigæ,
 Quæ, Maphæe, tuis picta ſuperbit Avis.
Hoc Virtus Curru, & Gens Barberina triumphat,
 Quem vis fatalis debita ad aſtra rapit.
Aereæ Fortuna olim Præneſtis in Urbe
 Regnavit, precibus, cultaque thure Dea.
Nunc illam Imperio, Princeps, moderaris, & alta
 Stant tibi tecta, Deæ, quà fuit alma Domus.
Et ſceptro parere tuo Fortuna ſuperbit,
 Stulta habita eſt olim, nunc tibi ſerva ſapit.

CARMEN.

TArpejæ rubeant laurus, ſacræque Tonanti
Regnorum exuviæ. Pompis inſultat Avorum
Roma recens, vincis priſcos, Maphæe, triumphos,
Et Vaticani cedunt Capitolia palmis.
Parthenopes cultum, &, quo ſe jactaret alumno,
Alipedem, Neptunus, equum, ſi pulſa tridente
Hunc olim attonitas tellus ſudiſſet in auras,
Solvit Alexandro per te Regnator Iberus,
Vectigal gemini properant cui littora Mundi:
Quemque triumphatus veneratur Phœbus ab axe,
Hiſpano in pelago cunas ſortitus, & urnam,
Regis adorato cultum deferre Parenti,
Regis obire vices, habet inſtar grande triumphi.
Perge, tuamque hilaris pompam circumſpice, Princeps,
Romulidum & ſtudio facilis blandire faventum.
Cernis, ut audaci jactantior aſtra laceſſit
Roma jugo? quatuor poſt luſtra hilarata tuorum
Imperiis, plaudens regnantem ad ſydera gentem
Evehit, ac Barberinis gratatur honorum
Incrementum ingens. Urbes, titulique recentes
A te quæſivere decus: tibi parvulus aula
Ludit in auguſta Natus, teque exprimit ore
Magnanimo pulcher: tibi ſurgit Iberia Grandi,
Exultatque ſuis addi tua nomina faſtis.
Lætitia, plauſuque fremunt Prætoria Phœbi:
Muſarumque chorus geſtit, quas nectare ſacro
Regia pavit Apis. Videor furtivus in altos
Eniti colles, raptoſque in carmina Vates
Audire, inſolitus queis pectora corripit ardor.
Interea, majore tuba dum perſonat aer,
Spargimus incomptum tenui nos murmure Carmen,
Fontibus Aoniis cum primùm admovimus ora,
Enthea vis animo incubuit, jurata tuorum
Obſequio. Cum Delphini cunabula lauro
Cinximus, Antonj Regalem munere Muſæ
Lactarunt Puerum: timidos cum Luna jugales
Nubibus involvit, noctem pertæſa diurnam,
Noſtra tuæ plauſum Gentis, Lunæque timorem
Odryſiæ dixit properato carmine Clio.
Hiſpano tua nunc Regi dum pompa paratur,
Quippe utrumque Domus complectitur inclyta Regem,
Tertia gaviſus tibi munera ſolvit Apollo.
Tu tantùm mihi dexter ades, Patreſque favete
Purpurei, Barberinæ tria Sydera gentis,
Urbani hæredes Solis, rurſuſque daturi,
Qui Mundum ambito fortunet lumine, Solem.
Quà caput aereum Præneſte ad ſydera tollit,

Fortunæ

Digitized by Google

Fortunæ tumulata jacent Delubra ſub umbris:
Horrida majeſtas aggeſto in marmore vivit,
Et quæ relliquiæ fauces fugere voracis
Temporis, antiquæ ſpirant veſtigia formæ,
Ad nubes educta ſibi incubuere Theatra,
Porticibuſque, aulæque, alta ſub ſtrage latenti,
Nobilis imponunt ſolamen inane ſepulchri.
Noſtraque perpetuâ diſſolvi corpora pugnâ
Conquerimur miſeri, queis prima elementa laborant
Excidium; cum Templa ruant, Urbeſque ſub herbis
Degenerem frontem cælent. Tamen ardua ſurgit
Strage ſub impoſita moles, altaria, templa,
Dædalea variata manu, lectiſque lapillis,
Verſicolorata qui pingunt arte figuras,
Arbitra Regnorum, conſtantis & invida riſus,
Hac Dea Fatalis cæca ſe jactat in aula,
Fulmineaſque rotas agitat, quas Regna ſequuntur
Everſa, aut humili Imperium de germine natum.
Umbra, horrorque placet; clauſo Fortuna rotare
Lumine namque ſolet fatales ebria gyros.
Illa ſuum properabat opus, cum fulgur opacas
Irradiat ſedes, Templum dein luce colorat
Improviſa dies. Oculis Fors invida luſtrat
Solicitis Orbes celeri vertigine raptos,
Auratamque Rotam, qua non præſtantior ulla
Gemmatis radiis, & multo ſole ſuperbit,
Stare videt, medio pictos & in axe triumphos,
Purpureas veſtes, tripliciſque inſigne Thiaræ
Præferre, Inſolito fremuit percuſſa nitore,
Subvertique ſuum doluit Fors improba Regnum,
Et, quiſnam curſu frænato immota teneret
Fata, rogat; Barberinos Heroas in alto
Culmine cum videt, immoto regnare rotatu,
Siſtentiſque rotam dextram Virtutis adorat.
Propter adeſt Virtus, ſciſſa caligine templi,
Quæ parit ore diem, gemino pulcherrima ſole,
Riſu blanditur Fortunæ, ac talia fatur.
Ne trepidans Fortuna tuis iraſcere donis.
Cernis adorato ſublimem in culmine gentem,
Æterni meritam fœlicia munera fati?
Fortunata illi conſtanti ſecula curſu
Omnia labantur; mecum tu fœdere juncta
Congere in hanc, aliis quos diſpertimur, honores,
Ne Rota diſſiliat, clavos adamante trabales
Ipſa laboravi; curſum frænare volantem
His juvat, hunc proprium mihi da, Fors blanda, decorem.
Vertigo reliquas agitet: ſat magna ferentur
Fortunæ arbitria: imperiis hos aſſero noſtris.
Nam decorum fons ipſa fui, quibus alta ſuperbit
Egregiæ ſtirpis Phryxæo vellere dives

Arbor:

Arbor: promeritam triplicis Diadema thiaræ
Ipſa parens gentem eduxi: dein tradita tantùm eſt
Uberibus lactanda tuis. Urbane, verendum
Supra homines, Superoſque, caput Cælo altius effers,
Concilioque Dei inſertus, pendentia torques
Terrarum fata? Imperium dedit aurea Virtus.
Ipſa tuis humeris chlamydem, diademata fronti
Impoſui, manibuſque meis hæc dona pararam.
At nunc Purpureos complexu læta Nepotes
Fortunat Virtus: noſtra immortalia ſunto
Munera; non cœcæ fas hæc ſubvertere Sorti.
Fata rotam ſi ſtare negant, tollatur in altum,
Nec poſthac dubios agitari poſſit in Orbes,
Quandoquidem Heroes ſupremo in culmine regnant.
Invidia infrendens, & centum paſta colubris,
Sub fortunato liventia corpora gyro
Sternere cogatur, fruſtra & ſua vulnera lambat.
Nulla ſed Heroum genti confinia pono,
Quæ primo Imperio Terram eſt amplexa, Polumque;
Inque dies ſtirps ut generoſa feretur in altum,
Sic Rota ventorum ſedes, & nubila tranet,
Donec ſyderibus permixta ex æthere lucem
Explicet, atque ſuos Heroas monſtret ab aſtris.
Dixerat hæc Virtus, dextræ & conjungere dextram
Ter conata fuit, toties a fœdere Sortem
Reppulit Invidia, atque Rotam verſare morantem
Suaſit, agens avidum turbata in corda Draconem.
Cum ſubitò increpuit ſonitu tuba læta canoro:
Viſaque commotas animare ad prælia Divas.
Intonuere tubis dein antra loquacia centum,
Blandaque feſtivis clangoribus aſſonat Echo,
Ecce hilari fertur devecta per aera penna,
Fama loquax, vultu, regali & veſte, ſuperba,
Luce diem ingeminat, fauſtis quam ſpirat ocellis,
Spargit ab ambroſio fœlicem vertice odorem,
Lætitiæ auſpicium. Ut ſylvis digreſſa Sabæis
Aura peregrinas grato beat impete naves,
Omen odoratum vicini littoris afflans.
Poſtquam Parthenopes, & Regnatoris Iberi
Regius Orator partes impleverat Heros,
Atque triumphali obſequio recreaverat Urbem,
Præpetibus tollit ſe Fama per aera pennis,
Et Latii campos celeri dimenſa volatu,
Alta petit juga Præneſtes, cui gaudia Romæ
Ingerat, ut ſolitus Fortunæ plaudere collis,
Grande ſui Regis nunc tollat ad æthera nomen.
Ergo his aggreditur certantes garrula Divas.
O Dea, munifici Virtus o certa Tonantis
Progenies, tuque humanæ Fors arbitra vitæ,
Nuper adorato plauſu recreavimus aures,

Quo

Quo Barberinis aſſultavere Quirites:
Accipite & charæ ambitos vos gentis honores.
Claviger aſtrorum pandit nova gaudia Romæ,
Cum, Præneſte, tuus Sirenis munera Princeps
Solvit Alexandro, par Regi Interpres Ibero:
Vidimus undantem populo, ut mare fluctibus, Urbem.
Textilis illuſtres Babylon, Phrygiæque feneſtras
Ornavere nurus: radiant ſuper alta Britanni
Oſtia, porticibuſque micant aulæa ſuperbis,
Spirantes vivo mentita colore figuras.
En ſonipes gemmis, oſtroque inſignis, & auro,
Mitia pacato glomerat veſtigia dorſo.
Conſcius ipſe ſuas agitat ſub pectora laudes:
Sperat Alexandrum, te Rege, Philippe, ſuperbit.
Phœbe, tridente olim Neptuni faucia tellus
Anne hunc Palladiæ victorem fudit Olivæ?
Atque tibi Pater Undarum donavit habendum,
Parthenope Siren? dein tanto adolevit honori,
Floruit herba illi cum divitis Appula campi?
En flos Italiæ properat, generoſa juventus,
Romanique Patres, Regum quos eſſe Senatum
Juraret Cineas, ſpretoque vetuſta Catone
Curia ſuſpiceret, meritos terræque, mariſque
Imperium; at Fidei præſtat ſervire Parenti,
Qui non Imperium Oceano, neque terminat aſtris.
Ridentes juvat ut vultus, animoſque volantes.
Aſpicere! hos Regni quatuor per florea luſtra,
Nexuit auratis gens Barberina catenis:
Purpureum hac legit Patrem de ſtirpe, Latinum
Huic pronam ſacro honore viam exornavit ad Oſtrum,
Hanc populi ſacris Paſtoribus, hanc Duce belli
Ditavit: non hæc memori de pectore dona
Exciderunt: Charitum pulcherrima vivit imago.
Hinc Apibus Regnum virtus producit avitum,
Et quam donarunt, Divini copia mellis.
Heroes, regnatis adhuc, quemque aſpera Soli
Mors invidit, amor Stellis æternat honorem:
Vos ad ſceptra adigunt animi ſervire volentes.
Romulidæ hinc adeo Proceres, & prima Latini
Spes generis properant Juvenes. At paſcere viſus
Non datur his avidos; nam Chiſia Stella morantes
Obtutus recreat, pulchræ pars maxima pompæ.
Cæſareos Auguſtinus ſuperare triumphos
Promeritus, defertur equo ſublimis anhelo,
Qui ventos ferit, at genium ſeſſoris adorat.
Sed Præneſtini regalia Principis ora,
Blanditos radios, majeſtatemque ſerenam
Aſpicimus? Roſeo quantus decor innatat ore,
Luminibus riſus! quàm pulchro nobilis auro
Cæſaries! Omnes proavi ſpiratis in uno.

Eloqui-

Eloquitur Veltas, quænam ſit gratia Cordis,
Gratia, Romul dum quæ nutu irritat amores.
Quæ gemmis, auroque rigent, ſolemque laceſſunt,
Dædaleas veſtes, Siren tibi provida, Princeps,
Ipſa laboravit, quas artis ut æmula vidit,
Erubuit Pallas: Nymphæ riſere jocoſæ,
Ac tibi, Parthenope, dederunt victricia ſerta.
Principis ambiti vellis pulcherrima cingit
Ambroſios artus, fruſtra quos optat Apollo
Induere auratâ Zonâ, qua cingitur Axis.
Multicolor Sonipes ceſſantes increpat Euros,
Et vultu vario miranda eſt Iris equorum:
Barbara fulmineum peperit quem Moſchua mater,
Miſit in hæc decora Imperii moderator Hetruſci.
Sic & naturæ fugientia regna triumphis
Accelerant ſervire tuis. Calcaribus ardet
Igneus, atque Equitem ſentit, generoſior alter
Quo nunquam Latii flagravit in æquore circi.
Pondere gaviſus, magno ſed honore laborans
Altius ingreditur, greſſus glomeratque ſuperbos,
Inſultatque ſolo, crineſque effundit in auras.
Dein pavido ſimilis Quadrupes veneratur habenas,
Quas Phœbi exoſus phaleras ſuſpirat Eous.
Succedunt Equiti Currus, quos ipſe, Latinum
Dum cælum ſuper ardentes agitaret Apollo
Alipedes, invidit, & atro ſyrmate cælum
Induit, occiduiſque furens violentius undis
Incubuit. Domino eſt impar, qua, victe, Quadriga
Phœbe, ſuperbires. Viden, ut pulcherrima Solem,
Cumque Jove attonitum Alciden depingit Imago,
Rapta triumphalis poſt hæc miracula currus?
Hinc adeo victi ſimulachra immania Solis,
Ludentis flammæ feſto depaſta furore,
In cineres abiere, Rhodos quæ viderat aſtris
Immiſcere caput, Pelagus frænare ſubactum,
Velivolæque viam latè protendere navi,
Sub femore amplexo timidi duo littora ponti;
At nunc illa tuæ appendix eſt ludicra pompæ.
Nec tanto Charitum veſtes illuminat auro,
Quæ ſeſe anteeunt, Horarum Numina, Phœbus,
Ut pretioſa tuos regalis virga metalli
Involvit famulos. Socias ut lumine vincis
Phœbæas, numero geminas. Quàm dives inundat,
Agmen iter, quanto exultant fora mota tumultu!
Nunc o nunc manibus tempus dare lilia plenis,
Vel quas auratas ſterni ſibi Cæſar arenas
Ælius optavit. Veluti cum Phœbus anhelis
Afflat equis lucem primævo flore rubentem,
Æthereæ properant Nymphæ, quæ umbramque, diemq;
Bis duodena ſecant in tempora: Spargitur illis

Florea

Florea tempeſtas, Phœbique terenda quadrigis,
Auro, & ſtellatis ornatur ſemita gemmis.
Defuit hoc unum, ſpirant alia omnia Solem:
Currus, veſtis, equi tibi ſunt, & Apollinis ora.
   Quæ ſimul ac patriis audivit Tybris ab undis,
Urbani longùm Tybris gaviſus habenis,
Eduxit viridem ſpumanti e gurgite frontem:
Nymphæ, Romuleæ, dixit, mea gaudia, Nymphæ,
Feſtivas ſparſæ per aquas agitate choreas,
Atque renaſcentes generoſæ ſtirpis honores,
Sirenum cantu, ac dextra celebrate loquaci.
At nos Oceano dicemus gaudia Romæ,
Et Barberinæ decora immortalia gentis.
Audiet & roſeo quæ dat cunabula Soli,
Quæque laborantes curſu lavat unda jugales,
Audiet & Bætis pretioſâ dives arenâ,
Fluviorum centum regnator Bætis, Iberos
Namque ſecat, centum Reges ditione prementes.
Olli jam victus Ganges, ac turbidus Indus
Volvit opes, & quæ certant argentea Ponto
Flumina: aquis illum colit omnibus Amphitrite.
Audiet, obſequium ferat ut regale Philippi
Barberinus Alexandro. Si invecta triumphis
Obſequium defert, quo plauſu regia lauros
Hiſpanas celebrabit Apis, fractoſque rebelles?
Dixit, & aurato petit amne ſuperbior æquor
Tybris, agunt vitreæ choreas per flumina Nymphæ.
   Interea dum, Tybri, tuo rapis impete Muſam,
Unda Quirinalem populi ſubit aurea collem.
Veſtibus infuſus Tagus, atque in Syrmate Erythra
Alipedum fulgens: Equitum vis ilicet ardens
Ad terram fluxit: mandit generoſior aurum
Pondere liber equus, ſparſæque inſultat arenæ:
Atria centenus regalia currus inundat.
At viden, ut ſcalas vorat ambitioſus, & ardet
Vincere Bucephalum Sonipes, Regemque ſuperbus
Optat Alexandrum, quem mox injuſſus adorat,
Delatum ſolio, an populi certantis amore?
   Ille quidem ſancto complexus pectore Numen,
Quemque refert vitâ, ut ſequitur moderamine, Petrum,
Spirabat vultu, quæ ſydera corde fovebat.
At poſtquam Heroum florem Pater ad ſua vidit
Te genua affuſum, Princeps, cum Rege ferentem
Hiſpano geminum fœlicia ad oſcula mundum,
Ora hilarat blando cæleſtia fulgure riſus,
Et Fidei Marti Regi blanditur Ibero,
Qui parta Imperio donat ſua regna Tonanti,
Hoſtem Acheronta domans, & Cælum protegit armis,
Aſtra ſuper cogens fractos regnare rebelles.
   Sed te quàm fauſto perluſtrat lumine, Princeps,

Virtu-

Virtuteſque tuas, laudeſque amplexus avitas
Urbani, paribus quem moribus ipſe colorat,
Innocuo, ac ſemper florenti nobilis ævo,
Magnanimus recti vindex, doctaſque maritans
Belligeris, trepidans nil fulmina inania, lauros.
Magne Parens, te ſyderei de littore Mundi
Aſpicit Urbanus, fœlici turbida curſu
Æquora ſulcantem, fruſtra cum ſæviat unda
Tot bellorum hyeme, & capitum ſylvâ hæreſis audax
Scylla latret: fruſtra tempeſtas nigra profundum
Pandat, & integra ſtantem cum claſſe Charontem
De ſtygia monſtret minitantem damna palude.
Tu Pelagi irrides fremitum, Scyllæque latranti
Cerbereum capitum truncas nemus, ora diſerta,
Regum iras, aurum, curas, & moribus inſons
Ipſe tuos armans contra agmina perfida mores.
Ut clavo incumbis vigil, & cæleſtia quæris
Littora perpetuis oculis! Te lethifer annus,
Bellorum & victi ſcopuli, frangendaque Lunæ
Cornua, quæ ad magnum nunc armis fulminat Iſtrum,
Æqualem primis Petri Ratis eſſe Magiſtris
Monſtrant, quos fœlix tempeſtas intulit aſtris.
Hinc te dum ſacri flectentem cernit habenas
Sic Regni Urbanus, torqueret ut ipſe, relicto
Æthere, & ut quondam torſit, dum vita manebat,
Exultat, quòd Purpurei tibi grande Nepotes
Imperium, quamquam magnis Virtutibus impar,
Ducentes agmen, dederint: ſuffragia Reges
Queis addunt, Oſtrum decorat quoſcumque Latinum,
Regnandum certi renuenti imponere Mundum.
At Barberinos quàm grato Heroas amore
Ambit Alexander, queis Purpura Sacra ſuperbit
Syderibus. Te mente ingens, Franciſce, capaci
Multiplicis regni, pietate inſignis, & aureis
Moribus, innocuis primum queis floruit ævum,
Aurea perpetuo Vita & vernavit Aprili;
Omnium inundatus regalia pectora fonte
Doctrinarum, inopes & inundans fontibus auri:
Per luſtra Alcidæ quatuor comes additus Atlas,
Axem humero torquens, grandi nec pondere læſus,
Nutritus curis, nunc majeſtate verenda
Imperium æternas: ſunt Regnum corda Quiritum.
Quid referam Antonj laudes, regalia corda,
Magnetes animorum, & qua fortunat Egenos
Auratam pluviam, vel quæ ſpectacula Romæ
Attonitæ donat, Regi dum plaudit amore
Magnanimo; hinc tanti Romano ex æthere lucem
Syderis optarunt Soles. Te Sequana Tybri,
Deliciaſque ſuas Rhodano pater invidet Arnus;
Herois metitur iter Europa triumphis.

Illum

Digitized by Google

Illum etiam Muſæ, illum etiam lactata Minerva
Proſequitur, calamo armatam quam fovit, & haſta;
Mars olim, ſed habet Pax illum ambita Sequeſtrem.
Ille quis imparibus patruo ſe ſufficit annis,
Indole par Juvenis magna, & virtute ſenili?
Carole adoratæ Stirpis decus, Urbis Ocelle,
Florea non unquam auſpiciis majoribus ætas
Ingreſſa eſt Famæ regnum, nec Romula quondam
Ullo ſe tantùm jactavit Purpura Alumno.
Seu regalem animum contra prædulce venenum
Obduras blandi ſceleris, ſeu Pallada docta
Mente colis, rerum aut uſu prudentia major
Te decorat, non eventus, ſed filia cordis,
Secula quod grandes jaculatur in omnia curas.
Salvete Italiæ Charites, Regnique Latini.
Amplexu indulgens vos maximus Arbiter Orbis
Stringit Alexander; fratrem hinc, Regumque nepotem
Romulidum, te dum ſpectat, Maphæe, verendis
Hærentem pedibus, patrio dignatur amore:
Illius ora tuos iterant blandita triumphos.
Digrederis curru mirantem invecte per Urbem,
Ac tecum gemini Heroes, queis Purpura regnum
Nativo ſacrum ſuperaddidit; inclyta namque
Laus generis grandem ſceptris, auroque Columnam
Regali exornat, Mundus cui gaudet Iberus
Inniti: Auguſto de fonte Aragonius heros,
Nomen avis, atavíſque potens, derivat honorem,
Et virtute animi regnum producit avorum.
Purpureos inter Proceres, cum decolor undas
Quæſivit Sol occiduas, immania Solis
Ludenti flamma abſumpti, ſimulachra tueris,
Quæ divulſa Rhodo, populo ſpectanda Quiritum
Dædalea arte dedit naturæ Hiſpania victrix.
Illa ruunt, Princeps, tua gloria ſurgit in aſtra.
Quo te Roma hilaris, quo tollit Iberia plauſu!
Turba tibi ſtudioſa ſuos ut devovet annos!
Egregio ut palmas generi ambitioſa faventum
Vota parant! namque elatum popularibus auris
Romula te Cælo gens inſerit, aurea dextræ
Munera Regalis mirata, & frontis honores,
Et facilis Charites animi, mentiſque vigorem
Magnanimæ, & proavos ſpirantia pectora magnos.
Principibus te magna ſuis Hiſpania gaudet
Annumerans, genere illuſtrem, & regalibus auctum
Sanguinis auguſti venis, aliſque maritas
Miſcentem domibus, quibus Itala terra ſuperbit,
Et Veneti ambitum magna ad conſortia Juris.
Græca quot imperia, & veterum confinia Regum,
Qui centum venere altæ ſub mœnia Trojæ,
Arva, urbeſque tuæ vincunt? Vix nonus ab Urbe

Cum diſtat lapis, arva tibi regnata videntur,
Perpetuo ad Calabros tractu procurrere campos,
Quæ Sybaris videt unda ferax. Regina volucrum
Metiri nequit audaci tua regna volatu:
Laſſarent noſtras etiam tua jugera pennas,
Et Fama Icario ruerem fato. Aureus infans,
Optatus Regnis hæres, tibi munere Divûm
Acceſſit, teque ore refert: illi omine fauſto
Virgineæ in labris fabricarunt mella volucres,
Pontificum & quatuor decoratus murice ſanguis
Inſpirat regalem animum. Tibi ſydera, Princeps,
Et, Cælo ſolùm minor, Hiſpani tibi Regis
Magnanimus blanditur amor, pulchriſque merentem
Imperiis, donis Patruos ingentibus auget
Purpureos. Tantùm immenſa vix India claſſe
Olli affert, quantum ille tuæ, Petre, ingerit alno.
Et dubitas, Fortuna, Rotam frænare volantem,
Ut Barberinæ Virtus decora inclyta gentis
Æternet? Vexilla ſequi te magna Philippi,
Fors, decet, Hiſpano quæ Regi ſubdita pares:
Serviat huic Fatum, cui Rex blanditur Iberus.
Hoc Fama attonitas hilaravit carmine Divas:
Fortuna, & Virtus dicentis ab ore pependit.
Tum generis decus, atque novos mirata triumphos,
Ac Regem ambitioſa ſequi Fortuna faventem,
Annuit, ut ſummo qui nunc in culmine regnant,
Perpetuo Heroes Rota fulciat aurea niſu.
Exultat Virtus, clavoſque adamante trabales,
Pendula quos dudum librabat in aere dextra,
Inſertat radiis, atque axem ſtare volantem
Imperat. Innumeræ tum cingunt, agmine facto,
Virtutem Charites: roſeis Victoria pennis,
Lætus Honor, gratæ Laudes, & Gloria, proles
Virtutis, Labor, & primo Decor aureus ævo,
Famaque ſolicitis comitem ſeſe addere Divis
Prægeſtit, lætumque Dearum augere Senatum,
Quem ſic alloquitur blandò pulcherrima riſu
Gloria. Si, quondam Fortunæ Regia, Collis
Nunc Barberini Herois veneratur habenas,
Præſtat, Fortunæ devota refingere Templa,
Ut regnatricis ſacrentur Gentis honori.
Vos modò virtutis Comites, tuque annue, Virtus:
Egregio ponam generi mirabile Templum:
Atque hìc regales vultus ex ordine avorum
Marmore ſpirabunt vivo, Patreſque colorem
Purpurei ducent, queis nunc Romana ſuperbit
Curia: tu pulchra, Princeps, in imagine vives,
Vivet adorati ſpes germinis aurea Proles.
Sed Templi medium, redivive Urbane, tenebis,
Teque coronabunt vultus, atque ora tuorum.

Magna-

Magnanimi geſta Urbani, quæ vincat Apellem
Dextra colorabit, circùmque argentea centum
Fama tubis, centum ſtabit Victoria palmis.
Gloria facundo vix hæc effuderat ore,
Cum ſubitò pulchrum, & viſu mirabile monſtrum
Exhilarat Divas. Adamas quam ſtare coegit,
Ecce triumphalis ſpeciem Rota fulgida Currus
Induit: huc Orientis opes, lachrymæque rubentis
Auroræ, huc primo fluxit Sol luminis auro.
Pictura radiat pretioſa quadriga loquaci,
Reginæ in medio rutilat Virtutis imago,
Quæ Imperio Sortis fatalem exemerat Orbem,
Dein cum Urbano Purpurei fulſere Nepotes,
Tuque auro pictus, vivaci & murice, Princeps,
Quicumque auguſto Virtutis paſcitur ore
Spectator, pictas laudes, vultuſque tuetur
Aſtantum Heroum, dubia & ſententia fertur,
An Virtus curru, an gens Barberina triumphet.
Circùm multiplici Charitum ſub imagine vivunt
Urbani mores, cui, grandia munera, Divæ
Gemmea tergemini imponunt diademata Regni;
Nam Charites animi Urbano peperere Thiaram,
Hic æquo pœnas, & dona examine librans,
Regnorum hìc nutrix defert Prudentia claves
Aſtrorum, hìc Pietas fronti regina coronam
Atq;, humeris chlamidem aptat Candor. Ab ore loquentis
Aurea regali Facundia flumine currit,
Recreat Imperii curas feſtiva Poeſis,
Quam de purpureo Divini fonte Cruoris
Innocuas, priſcæ memores & originis undas,
Haurire Urbanus docuit, juſſitque Camænas
Parnaſum Libano mutare, & Numine Phœbum.
Hæc medio in curru fulgent: frons altera præfert
Magnorum monumenta operum, queis viva perennat
Urbani fama, & meritis caput inſerit aſtris.
Erectæ Superis aræ, ac vivacia templa:
Romano Venetæ firmatæ milite vires;
Sæpius impulſæ contra agmina barbara puppes,
Italiæ Vallum puppes, fideique Latinæ,
Oceano volitans: huc ditata horrea, portus
Arte laboratos, huc propugnacula, turres
Adde, coronatam muris regalibus Urbem,
Quaſque ſuo dixit de nomine conditor Urbes.
Ipſe etiam Urbanus vario ſpectabilis ore
Ducit Apellæa diverſos arte colores.
Alipedum quæ prima fugam ſentiret equorum,
Quadrigæ frons auratæ ſpectare ruentem
Dat Juvenem, qui te, Phaeton, pulchro exprimit ore;
At non promeritus Phaetontis fata videtur.
Cypridis ille ignes, & ſecum clauſa Megæræ

Ora

Ora tremens nimium blandita, en aera ſaltu
Metitur, vincitque fugâ: excepere cadentem
Lilia virgineo Juvenem tunc edita culmo,
Regnandoque viam explicuit fuga nobilis Orbi.
  Parte alia ſacri mirandus transfuga Regni,
Purpureos aliis Patres, ne mæſta trahantur
Diſſidia, & dubias ſcindat ſententia mentes,
Conciliat: Tunc attoniti, facto agmine, Patres
Sceptra reluctanti donant, coguntque, Tonantis
Proregem, dare ſyderibus, dare jura profundo.
Cætera quid memorem pulchræ portenta quadrigæ
Urbani æterno palmas referentia vultu?
Jamque oculos fugit, ac terrâ divulſus in altum
Nititur auratus currus, cui prima malignum
Cogeris, Invidia infœlix, ſupponere tergum,
Quæ Barberinis famularis victa triumphis.
  Evolat, & quantum luctatur in æthera Currus,
Magnanimæ tantum creſcunt decora inclyta Gentis.
Sublimi tandem pulſabit ſydera fronte,
Et pigri vincet regalia plauſtra Bootæ.
Quæ quondam Rota Fortunæ, nunc mira Quadriga eſt,
Barberina olim fulgebunt ſydera in axe:
Ire Dionæi velut æthere Cæſaris aſtrum
Credidit, & cælo fulgentem Roma Quirinum.
  Interea, flos Heroum, tua gaudia, Princeps,
Fatidicis curis amplectere. Sceptra tuorum
Terra olim, ac Cælum ſenſit: tibi Roma faventem
Illuſtris florem generis, tibi miſit Iberus,
Quando triumphalis recreavit pompa Quirites.
Nunc tibi Divarum turba ambitioſa laborat:
Regeſque Imperio frænare aſſueta ſuperbo,
Imperii, Fortuna, tui veneratur habenas.
Præneſtina tibi ceſſerunt regna bilinguis
Virginis: Inſultas victæ, & regalia templis
Illius imponis Prætoria. Quiſquis amica
Fata cupis, Præneſtini cole nomina Regis,
Qui fractam ſolio Fortunam evertit avito,
Sortis & Hæredem quem Virtus aurea dixit.
Sed tua quàm fauſto labentur ſecula curſu,
Magnanime o Princeps, cui Sortis Regia paret!

ARS

Digitized by Google

ARS RHETORICA,

LOCI TOPICI, FIGURÆ VERBORUM, AC RERUM,

Et Præcepta quædam Ariſtotelis numeris incluſa,

Dictata Rhetoricæ Auditoribus anno 1670.

LECTORI.

LEges Rhetoricæ Artis ex tribus Ariſtotelis Rhetoricorum Libris, ejuſdemque Poetica, aliiſque Authoribus petitas verſibus amplectimur. Non ſequimur certam methodum, utiliſſima quædam, & Diſcipulis aptiſſima, delibantes. Naturam ipſam Artis, Fontes Argumentorum, Tropos, ac Figuras explicamus, & ex Tertio Ariſtotelis Libro quædam afferimus ad ornatum orationis pertinentia. Definitiones, & Exempla diverſo ab aliis rebus charactere ſcribentur. Claritas, & Brevitas ad raram aliquam in Græcis Vocibus metri licentiam nos adegit.

Quid

Digitized by Google

Quid ſit Rhetorica, quod ejus Officium, Finis, & Materia?

Rhetorica eſt *Ars dicendi*. Quid dicere? *Fari*
Facundè, ornatè, graviter. Quid dixeris Artem?
Quæ tradit præcepta aliquid rectè efficiendi.
Rhetoricæ Officium? *Ad ſuadendum dicere ritè*.
At quis Rhetoricæ Finis? *Suadere loquendo*.
Rhetoris hinc ille Officio perfungitur, *aptè*
Qui ad perſuadendum dicit; quanquam ille protervos
Haud animos flectat. Sed *qui fæliciter illos*
Expugnat, Finem aſſequitur, quem ſedulus ambit.
Quæſtio *Materia eſt, Rhetor quam tractat*, & iſta
Aut infinita eſt, aut certo limite clauſa.
Argolici primam dixere *Theſim*, atque Latini
Propoſitum; Aſt alia *Hypotheſis* ſermone Pelaſgo,
Cauſa, aut *Controverſia* dicitur a Cicerone.
Propoſitum eſt: *An honor Martis quærendus in armis*?
At Cauſa: *An laudem meritus ſit Cæſar in armis*?
Illa infinita eſt, hæc certo limite clauſa.

De Generibus Cauſarum.

Cauſarum triplex genus eſt: Demonſtrativum,
Judiciale, & quo Judex deliberat: *iſtud*
Suadet, diſſuadet: condemnat, ſive tuetur
Judiciale; At demonſtrativum *reprehendit*,
Laudibus aut ornat. Quæ mox ventura trahuntur,
Expendo, quando delibero: Judiciale
Sed genus elapſum tempus: Demonſtrativum
Præteritum, aut præſens ſpectat. Suadere volenti
Eſt author Cicero, ut fieri rem poſſe, & honeſtam,
Et conducentem eſſe oſtendat. Res, hominesque,
Et loca laudamus. Vel præcedentia ſpecta
Commendans hominem, Proavos, Oracula, Patres,
Prodigia, & Patriam: vel quæ præſentia cernis,
Corporis, atque animi, fortunæ & dona ſecundæ:
Vel finem, ut Mortem, Natos, Famámque decoræ
Hæredem vitæ, & laudum monumenta relicta.
Præcipuè ex Cauſis, Effectis, atque Adjunctis
Exornatio conficitur Rerum, atque Locorum.

De Partibus Rhetoricæ.

Partes Rhetoricæ ſunt quinque hoc ordine junctæ:
Invenio, diſpono, atque eloquor, & memori mox
Inventa infigo menti, pronuntio tandem.
Quando argumenta inquiro, queis vera probetur
Quæſtio, tunc res invenio. At diſpono, *decoram*

Digitized by Google

Inventa in ſeriem cum digero, *Lumina ſpargens*
Verborum egregia, *& rerum*, *queis fulgeat aptis*
Quæſtio ſyderibus, tunc eloquor: At memoris vis
Eſt animi *rerum perceptio firma*. Sed omnes
Rhetoricæ ſuperat partes, Demoſthene teſte,
Actio, quæ *vocis*, *geſtus*, *totius & apta*
Corporis eſt juxta veteres moderatio leges.

De Adjumentis, *& Muneribus Rhetoricæ*.

Dicendi eſt triplex Stylus, vehemens, & acutus,
Ac tenuis. Tria ſunt quoque Rhetoris Adjumenta:
Si ingenio præſtat, ſi naturam excolit arte,
Atque artem exercet. Tria ſunt etiam Oratoris
Munera, Delectare, Docere, ſimulque Movere.
Omne feret punctum, ſi miſceat utile dulci:
Si, quibus informet mentes, arcana recludat,
Ad laudem incendat, circùm præcordia ludens.

De Fontibus Argumentorum.

Argumentorum fontes, Communia priſci
Quæ Loca dixerunt, *ſi ipſi ſunt inſita Cauſæ*,
Quam tractamus, *& a gremio illius educuntur*,
Sex ſunt atque decem; ſi verò Extrinſeca, ſunt ſex.
Inſita ſunt, quando definio, vel noto nomen,
Diſtribuo in partes, vel conjugo, vel genus addo,
Vel formam, aut ſimile, aut quid diſſimile, aut adjuncta,
Aut contraria, quæ anteeunt, quæ deinde ſequuntur,
Quæque repugnant, & cauſas, effectaque cauſæ,
Vel majora, minora, æqualia comparo tandem.

Definitio.

Definitio *rem explicat*: ut, *Virtus animorum*
Eſt affectio recta. Aliquid commune petendum eſt
Pluribus, atque aliquid proprium: ex utroque orietur
Definitio: Commune eſt *Affectio*, *Recta*
Eſt Proprium. *Natura rei cum panditur ipſa*:
Ut, *Rationale eſt animal homo*: definitur
Strictè. Sed *cum deſcribo*, *remque explico*, *cauſas*
Enumerans, *partes*, *effecta*; *adjunctaque*, non eſt
Definitio preſſa. *Simul cum congrego plures*,
Amplifico pulchrè. Deſcribitur a Cicerone
Curia ſic: *Templum pietatis*, *regia mentis*,
Conſilii ſedes, *caput Urbis*, *portus*, *& ara*
Perfugii. Argumentum ex hoc ſic erue fonte.
Si Virtus animi eſt affectio recta, *profectò*
Haud Verſutia erit virtus, *quæ affectio prava eſt*.

Digitized by Google

Eloquitur Vultus, quænam ſit gratia Cordis,
Gratia, Romulidum quæ nutu irritat amores.
Quæ gemmis, auroque rigent, ſolemque laceſſunt,
Dædaleas veſtes, Siren tibi provida, Princeps,
Ipſa laboravit, quas artis ut æmula vidit,
Erubuit Pallas: Nymphæ riſere jocoſæ,
Ac tibi, Parthenope, dederunt victricia ſerta.
Principis ambiti veſtis pulcherrima cingit
Ambroſios artus, fruſtra quos optat Apollo
Induere auratâ Zonâ, qua cingitur Axis.
Multicolor Sonipes ceſſantes increpat Euros,
Et vultu vario miranda eſt Iris equorum:
Barbara fulmineum peperit quem Moſchua mater,
Miſit in hæc decora Imperii moderator Hetruſci.
Sic & naturæ fugientia regna triumphis
Accelerant ſervire tuis. Calcaribus ardet
Igneus, atque Equitem ſentit, generoſior alter
Quo nunquam Latii flagravit in æquore circi.
Pondere gaviſus, magno ſed honore laborans
Altius ingreditur, greſſus glomeratque ſuperbos,
Inſultatque ſolo, crineſque effundit in auras.
Dein pavido ſimilis Quadrupes veneratur habenas,
Quas Phœbi exoſus phaleras ſuſpirat Eous.
Succedunt Equiti Currus, quos ipſe, Latinum
Dum cælum ſuper ardentes agitaret Apollo
Alipedes, invidit, & atro ſyrmate cælum
Induit, occiduiſque furens violentius undis
Incubuit. Domino eſt impar, qua, victe, Quadriga
Phœbe, ſuperbires. Viden, ut pulcherrima Solem,
Cumque Jove attonitum Alciden depingit Imago,
Rapta triumphalis poſt hæc miracula currus?
Hinc adeo victi ſimulachra immania Solis,
Ludentis flammæ feſto depaſta furore,
In cineres abiere, Rhodos quæ viderat aſtris
Immiſcere caput, Pelagus frænare ſubactum,
Velivolæque viam latè protendere navi,
Sub femore amplexo timidi duo littora ponti;
At nunc illa tuæ appendix eſt ludicra pompæ.
Nec tanto Charitum veſtes illuminat auro,
Quæ ſeſe anteeunt, Horarum Numina, Phœbus,
Ut pretioſa tuos regalis virga metalli
Involvit famulos. Socias ut lumine vincis
Phœbæas, numero geminas. Quàm dives inundat,
Agmen iter, quanto exultant fora mota tumultu!
Nunc o nunc manibus tempus dare lilia plenis,
Vel quas auratas ſterni ſibi Cæſar arenas
Ælius optavit. Veluti cum Phœbus anhelis
Afflat equis lucem primævo flore rubentem,
Ætheræ properant Nymphæ, quæ umbramque, diemq;
Bis duodena ſecant in tempora: Spargitur illis

Florea

Digitized by Google

Florea tempeſtas, Phœbique terenda quadrigis,
Auro, & ſtellatis ornatur ſemita gemmis.
Defuit hoc unum, ſpirant alia omnia Solem:
Currus, veſtis, equi tibi ſunt, & Apollinis ora.
Quæ ſimul ac patriis audivit Tybris ab undis,
Urbani longùm Tybris gaviſus habenis,
Eduxit viridem ſpumanti e gurgite frontem:
Nymphæ, Romuleæ, dixit, mea gaudia, Nymphæ,
Feſtivas ſparſæ per aquas agitate choreas,
Atque renaſcentes generoſæ ſtirpis honores,
Sirenum cantu, ac dextra celebrate loquaci.
At nos Oceano dicemus gaudia Romæ,
Et Barberinæ decora immortalia gentis.
Audiet & roſeo quæ dat cunabula Soli,
Quæque laborantes curſu lavat unda jugales,
Audiet & Bætis pretioſâ dives arenâ,
Fluviorum centum regnator Bætis, Iberos
Namque ſecat, centum Reges ditione prementes.
Olli jam victus Ganges, ac turbidus Indus
Volvit opes, & quæ certant argentea Ponto
Flumina: aquis illum colit omnibus Amphitrite.
Audiet, obſequium ferat ut regale Philippi
Barberinus Alexandro. Si invecta triumphis
Obſequium defert, quo plauſu regia lauros
Hiſpanas celebrabit Apis, fractoſque rebelles?
Dixit, & aurato petit amne ſuperbior æquor
Tybris, agunt vitreæ choreas per flumina Nymphæ.
Interea dum, Tybri, tuo rapis impete Muſam,
Unda Quirinalem populi ſubit aurea collem.
Veſtibus infuſus Tagus, atque in Syrmate Erythra
Alipedum fulgens: Equitum vis ilicet ardens
Ad terram fluxit: mandit generoſior aurum
Pondere liber equus, ſparſæque inſultat arenæ:
Atria centenus regalia currus inundat.
At viden, ut ſcalas vorat ambitioſus, & ardet
Vincere Bucephalum Sonipes, Regemque ſuperbus
Optat Alexandrum, quem mox injuſſus adorat,
Delatum ſolio, an populi certantis amore?
Ille quidem ſancto complexus pectore Numen,
Quemque refert vitâ, ut ſequitur moderamine, Petrum,
Spirabat vultu, quæ ſydera corde fovebat.
At poſtquam Heroum florem Pater ad ſua vidit
Te genua affuſum, Princeps, cum Rege ferentem
Hiſpano geminum fœlicia ad oſcula mundum,
Ora hilarat blando cæleſtia fulgure riſus,
Et Fidei Marti Regi blanditur Ibero,
Qui parta Imperio donat ſua regna Tonanti,
Hoſtem Acheronta domans, & Cælum protegit armis,
Aſtra ſuper cogens fractos regnare rebelles.
Sed te quàm fauſto perluſtrat lumine, Princeps,

Digitized by Google

Virtuteſque tuas, laudeſque amplexus avitas
Urbani, paribus quem moribus ipſe colorat,
Innocuo, ac ſemper florenti nobilis ævo,
Magnanimus recti vindex, doctaſque maritans
Belligeris, trepidans nil fulmina inania, lauros.
Magne Parens, te ſyderei de littore Mundi
Aſpicit Urbanus, fœlici turbida curſu
Æquora ſulcantem, fruſtra cum ſæviat unda
Tot bellorum hyeme, & capitum ſylvà hæreſis audax
Scylla latret: fruſtra tempeſtas nigra profundum
Pandat, & integra ſtantem cum claſſe Charontem
De ſtygia monſtret minitantem damna palude.
Tu Pelagi irrides fremitum, Scyllæque latranti
Cerbereum capitum truncas nemus, ora diſerta,
Regum iras, aurum, curas, & moribus inſons
Ipſe tuos armans contra agmina perfida mores.
Ut clavo incumbis vigil, & cæleſtia quæris
Littora perpetuis oculis! Te lethifer annus,
Bellorum & victi ſcopuli, frangendaque Lunæ
Cornua, quæ ad magnum nunc armis fulminat Iſtrum,
Æqualem primis Petri Ratis eſſe Magiſtris
Monſtrant, quos fœlix tempeſtas intulit aſtris.
Hinc te dum ſacri flectentem cernit habenas
Sic Regni Urbanus, torqueret ut ipſe, relicto
Æthere, & ut quondam torſit, dum vita manebat,
Exultat, quòd Purpurei tibi grande Nepotes
Imperium, quamquam magnis Virtutibus impar,
Ducentes agmen, dederint: ſuffragia Reges
Queis addunt, Oſtrum decorat quoſcumque Latinum,
Regnandum certi renuenti imponere Mundum.
At Barberinos quàm grato Heroas amore
Ambit Alexander, queis Purpura Sacra ſuperbit
Syderibus. Te mente ingens, Franciſce, capaci
Multiplicis regni, pietate inſignis, & aureis
Moribus, innocuis primum queis floruit ævum,
Aurea perpetuo Vita & vernavit Aprili;
Omnium inundatus regalia pectora fonte
Doctrinarum, inopes & inundans fontibus auri:
Per luſtra Alcidæ quatuor comes additus Atlas,
Axem humero torquens, grandi nec pondere læſus,
Nutritus curis, nunc majeſtate verenda
Imperium æternas: ſunt Regnum corda Quiritum.
Quid referam Antonj laudes, regalia corda,
Magnetes animorum, & qua fortunat Egenos
Auratam pluviam, vel quæ ſpectacula Romæ
Attonitæ donat, Regi dum plaudit amore
Magnanimo; hinc tanti Romano ex æthere lucem
Syderis optarunt Soles. Te Sequana Tybri,
Deliciaſque ſuas Rhodano pater invidet Arnus:
Herois metitur iter Europa triumphis.

Illum

Illum etiam Muſæ, illum etiam lactata Minerva
Proſequitur, calamo armatam quam fovit, & haſta;
Mars olim, ſed habet Pax illum ambita Sequeſtrem.
Ille quis imparibus patruo ſe ſufficit annis,
Indole par Juvenis magna, & virtute ſenili?
Carole adoratæ Stirpis decus, Urbis Ocelle,
Florea non unquam auſpiciis majoribus ætas
Ingreſſa eſt Famæ regnum, nec Romula quondam
Ullo ſe tantùm jactavit Purpura Alumno.
Seu regalem animum contra prædulce venenum
Obduras blandi ſceleris, ſeu Pallada docta
Mente colis, rerum aut uſu prudentia major
Te decorat, non eventus, ſed filia cordis,
Secula quod grandes jaculatur in omnia curas.
Salvete Italiæ Charites, Regnique Latini.
Amplexu indulgens vos maximus Arbiter Orbis
Stringit Alexander; fratrem hinc, Regumque nepotem
Romulidum, te dum ſpectat, Maphæe, verendis
Hærentem pedibus, patrio dignatur amore:
Illius ora tuos iterant blandita triumphos.
Digrederis curru mirantem invecte per Urbem,
Ac tecum gemini Heroes, queis Purpura regnum
Nativo ſacrum ſuperaddidit; inclyta namque
Laus generis grandem ſceptris, auroque Columnam
Regali exornat, Mundus cui gaudet Iberus
Inniti: Auguſto de fonte Aragonius heros,
Nomen avis, ataviſque potens, derivat honorem,
Et virtute animi regnum producit avorum.
Purpureos inter Proceres, cum decolor undas
Quæſivit Sol occiduas, immania Solis
Ludenti flamma abſumpti, ſimulachra tueris,
Quæ divulſa Rhodo, populo ſpectanda Quiritum
Dædalea arte dedit naturæ Hiſpania victrix.
Illa ruunt, Princeps, tua gloria ſurgit in aſtra.
Quo te Roma hilaris, quo tollit Iberia plauſu!
Turba tibi ſtudioſa ſuos ut devovet annos!
Egregio ut palmas generi ambitioſa faventum
Vota parant! namque elatum popularibus auris
Romula te Cælo gens inſerit, aurea dextræ
Munera Regalis mirata, & frontis honores,
Et facilis Charites animi, mentiſque vigorem
Magnanimæ, & proavos ſpirantia pectora magnos.
Principibus te magna ſuis Hiſpania gaudet
Annumerans, genere illuſtrem, & regalibus auctum
Sanguinis auguſti venis, aliſque maritas
Miſcentem domibus, quibus Itala terra ſuperbit,
Et Veneti ambitum magna ad conſortia Juris.
Græca quot imperia, & veterum confinia Regum,
Qui centum venere altæ ſub mœnia Trojæ,
Arva, urbeſque tuæ vincunt? Vix nonus ab Urbe

Cum diſtat lapis, arva tibi regnata videntur,
Perpetuo ad Calabros tractu procurrere campos,
Quæ Sybaris videt unda ferax. Regina volucrum
Metiri nequit audaci tua regna volatu:
Laſſarent noſtras etiam tua jugera pennas,
Et Fama Icario ruerem fato. Aureus infans,
Optatus Regnis hæres, tibi munere Divûm
Acceſſit, teque ore refert: illi omine fauſto
Virgineæ in labris fabricarunt mella volucres,
Pontificum & quatuor decoratus murice ſanguis
Inſpirat regalem animum. Tibi ſydera, Princeps,
Et, Cælo ſolùm minor, Hiſpani tibi Regis
Magnanimus blanditur amor, pulchriſque merentem
Imperiis, donis Patruos ingentibus auget
Purpureos. Tantùm immenſa vix India claſſe
Olli affert, quantum ille tuæ, Petre, ingerit alno.
Et dubitas, Fortuna, Rotam frænare volantem,
Ut Barberinæ Virtus decora inclyta gentis
Æternet? Vexilla ſequi te magna Philippi,
Fors, decet, Hiſpano quæ Regi ſubdita pares:
Serviat huic Fatum, cui Rex blanditur Iberus.
Hoc Fama attonitas hilaravit carmine Divas:
Fortuna, & Virtus dicentis ab ore pependit.
Tum generis decus, atque novos mirata triumphos,
Ac Regem ambitioſa ſequi Fortuna faventem,
Annuit, ut ſummo qui nunc in culmine regnant,
Perpetuo Heroes Rota fulciat aurea niſu.
Exultat Virtus, clavoſque adamante trabales,
Pendula quos dudum librabat in aere dextra,
Infertat radiis, atque axem ſtare volantem
Imperat. Innumeræ tum cingunt, agmine facto,
Virtutem Charites: roſeis Victoria pennis,
Lætus Honor, gratæ Laudes, & Gloria, proles
Virtutis, Labor, & primo Decor aureus ævo,
Famaque ſolicitis comitem ſeſe addere Divis
Prægeſtit, lætumque Dearum augere Senatum,
Quem ſic alloquitur blandò pulcherrima riſu
Gloria. Si, quondam Fortunæ Regia, Collis
Nunc Barberini Herois veneratur habenas,
Præſtat, Fortunæ devota refingere Templa,
Ut regnatricis ſacrentur Gentis honori.
Vos modò virtutis Comites, tuque annue, Virtus:
Egregio ponam generi mirabile Templum:
Atque hìc regales vultus ex ordine avorum
Marmore ſpirabunt vivo, Patreſque colorem
Purpurei ducent, queis nunc Romana ſuperbit
Curia: tu pulchra, Princeps, in imagine vives,
Vivet adorati ſpes germinis aurea Proles.
Sed Templi medium, redivive Urbane, tenebis,
Teque coronabunt vultus, atque ora tuorum.

Magna-

Digitized by Google

Magnanimi geſta Urbani, quæ vincat Apellem
Dextra colorabit, circùmque argentea centum
Fama tubis, centum ſtabit Victoria palmis.
Gloria facundo vix hæc effuderat ore,
Cum ſubitò pulchrum, & viſu mirabile monſtrum
Exhilarat Divas. Adamas quam ſtare coegit,
Ecce triumphalis ſpeciem Rota fulgida Currus
Induit: huc Orientis opes, lachrymæque rubentis
Auroræ, huc primo fluxit Sol luminis auro.
Pictura radiat pretioſa quadriga loquaci,
Reginæ in medio rutilat Virtutis imago,
Quæ Imperio Sortis fatalem exemerat Orbem.
Dein cum Urbano Purpurei fulſere Nepotes,
Tuque auro pictus, vivaci & murice, Princeps,
Quicumque auguſto Virtutis paſcitur ore
Spectator, pictas laudes, vultuſque tuetur
Aſtantum Heroum, dubia & ſententia fertur,
An Virtus curru, an gens Barberina triumphet.
Circùm multiplici Charitum ſub imagine vivunt
Urbani mores, cui, grandia munera, Divæ
Gemmea tergemini imponunt diademata Regni;
Nam Charites animi Urbano peperere Thiaram.
Hìc æquo pœnas, & dona examine librans,
Regnorum hìc nutrix defert Prudentia claves
Aſtrorum, hìc Pietas fronti regina coronam
Atq;, humeris chlamidem aptat Candor. Ab ore loquentis
Aurea regali Facundia flumine currit.
Recreat Imperii curas feſtiva Poeſis,
Quam de purpureo Divini fonte Cruoris
Innocuas, priſcæ memores & originis undas,
Haurire Urbanus docuit, juſſitque Camænas
Parnaſum Libano mutare, & Numine Phœbum.
Hæc medio in curru fulgent: frons altera præfert
Magnorum monumenta operum, queis viva perennat
Urbani fama, & meritis caput inſerit aſtris.
Erectæ Superis aræ, ac vivacia templa:
Romano Venetæ firmatæ milite vires;
Sæpius impulſæ contra agmina barbara puppes,
Italiæ Vallum puppes, fideique Latinæ,
Oceano volitans: huc ditata horrea, portus
Arte laboratos, huc propugnacula, turres
Adde, coronatam muris regalibus Urbem,
Quaſque ſuo dixit de nomine conditor Urbes.
Ipſe etiam Urbanus vario ſpectabilis ore
Ducit Apellæa diverſos arte colores.
Alipedum quæ prima fugam ſentiret equorum,
Quadrigæ frons auratæ ſpectare ruentem
Dat Juvenem, qui te, Phaeton, pulchro exprimit ore;
At non promeritus Phaetontis fata videtur.
Cypridis ille ignes, & ſecum clauſa Megæræ

Ora

Digitized by Google

Ora tremens nimium blandita, en aera ſaltu
Metitur, vincitque fugâ: excepere cadentem
Lilia virgineo Juvenem tunc edita culmo,
Regnandoque viam explicuit fuga nobilis Orbi.
Parte alia ſacri mirandus transfuga Regni,
Purpureos aliis Patres, ne mæſta trahantur
Diſſidia, & dubias ſcindat ſententia mentes,
Conciliat: Tunc attoniti, facto agmine, Patres
Sceptra reluctanti donant, coguntque, Tonantis
Proregem, dare ſyderibus, dare jura profundo.
Cætera quid memorem pulchræ portenta quadrigæ
Urbani æterno palmas referentia vultu?
Jamque oculos fugit, ac terrâ divulſus in altum
Nititur auratus currus, cui prima malignum
Cogeris, Invidia infœlix, ſupponere tergum,
Quæ Barberinis famularis victa triumphis.
Evolat, & quantum luctatur in æthera Currus,
Magnanimæ tantum creſcunt decora inclyta Gentis.
Sublimi tandem pulſabit ſydera fronte,
Et pigri vincet regalia plauſtra Bootæ.
Quæ quondam Rota Fortunæ, nunc mira Quadriga eſt,
Barberina olim fulgebunt ſydera in axe:
Ire Dionæi velut æthere Cæſaris aſtrum
Credidit, & cælo fulgentem Roma Quirinum.
Interea, flos Heroum, tua gaudia, Princeps,
Fatidicis curis amplectere. Sceptra tuorum
Terra olim, ac Cælum ſenſit: tibi Roma faventem
Illuſtris florem generis, tibi miſit Iberus,
Quando triumphalis recreavit pompa Quirites.
Nunc tibi Divarum turba ambitioſa laborat:
Regeſque Imperio frænare aſſueta ſuperbo,
Imperii, Fortuna, tui veneratur habenas.
Præneſtina tibi ceſſerunt regna bilinguis
Virginis: Inſultas victæ, & regalia templis
Illius imponis Prætoria. Quiſquis amica
Fata cupis, Præneſtini cole nomina Regis,
Qui fractam ſolio Fortunam evertit avito,
Sortis & Hæredem quem Virtus aurea dixit.
Sed tua quàm fauſto labentur ſecula curſu,
Magnanime o Princeps, cui Sortis Regia paret!

ARS

Digitized by Google

ARS RHETORICA, LOCI TOPICI, FIGURÆ VERBORUM, AC RERUM,

Et Præcepta quædam Ariſtotelis numeris incluſa,

Dictata Rhetoricæ Auditoribus anno 1670.

LECTORI.

LEges Rhetoricæ Artis ex tribus Ariſtotelis Rhetoricorum Libris, ejuſdemque Poetica, aliiſque Authoribus petitas verſibus amplectimur. Non ſequimur certam methodum, utiliſſima quædam, & Diſcipulis aptiſſima, delibantes. Naturam ipſam Artis, Fontes Argumentorum, Tropos, ac Figuras explicamus, & ex Tertio Ariſtotelis Libro quædam afferimus ad ornatum orationis pertinentia. Definitiones, & Exempla diverſo ab aliis rebus charactere ſcribentur. Claritas, & Brevitas ad raram aliquam in Græcis Vocibus metri licentiam nos adegit.

Digitized by Google

Quid ſit Rhetorica, quod ejus Officium, Finis, & Materia?

RHetorica eſt *Ars dicendi*. Quid dicere? *Fari*
Facundè, ornatè, graviter. Quid dixeris Artem?
Quæ tradit præcepta aliquid rectè efficiendi.
Rhetoricæ Officium? *Ad ſuadendum dicere ritè*.
At quis Rhetoricæ Finis? *Suadere loquendo*.
Rhetoris hinc ille Officio perfungitur, *aptè*
Qui ad perſuadendum dicit; quanquam ille protervos
Haud animos flectat. Sed *qui fæliciter illos*
Expugnat, Finem aſſequitur, quem ſedulus ambit.
Quæſtio *Materia eſt, Rhetor quam tractat*, & iſta
Aut infinita eſt, aut certo limite clauſa.
Argolici primam dixere *Theſim*, atque Latini
Propoſitum; Aſt alia *Hypotheſis* ſermone Pelaſgo,
Cauſa, aut *Controverſia* dicitur a Cicerone.
Propoſitum eſt: *An honor Martis quærendus in armis?*
At Cauſa: *An laudem meritus ſit Cæſar in armis?*
Illa infinita eſt, hæc certo limite clauſa.

De Generibus Cauſarum.

CAuſarum triplex genus eſt: Demonſtrativum,
Judiciale, & quo Judex deliberat: *iſtud*
Suadet, diſſuadet: condemnat, ſive tuetur
Judiciale; At demonſtrativum *reprehendit,*
Laudibus aut ornat. Quæ mox ventura trahuntur,
Expendo, quando delibero: Judiciale
Sed genus elapſum tempus: Demonſtrativum
Præteritum, aut præſens ſpectat. Suadere volenti
Eſt author Cicero, ut fieri rem poſſe, & honeſtam,
Et conducentem eſſe oſtendat. Res, hominesque,
Et loca laudamus. Vel præcedentia ſpecta
Commendans hominem, Proavos, Oracula, Patres,
Prodigia, & Patriam: vel quæ præſentia cernis,
Corporis, atque animi, fortunæ & dona ſecundæ:
Vel finem, ut Mortem, Natos, Famamque decoræ
Hæredem vitæ, & laudum monumenta relicta.
Præcipuè ex Cauſis, Effectis, atque Adjunctis
Exornatio conficitur Rerum, atque Locorum.

De Partibus Rhetoricæ.

PArtes Rhetoricæ ſunt quinque hoc ordine junctæ:
Invenio, diſpono, atque eloquor, & memori mox
Inventa infigo menti, pronuntio tandem.
Quando argumenta inquiro, queis vera probetur
Quæſtio, tunc res invenio. At diſpono, *decoram*

Inventa

Inventa in ſeriem cum digero, Lumina ſpargens
Verborum egregia, & rerum, queis fulgeat aptis
Quæſtio ſyderibus, tunc eloquor: At memoris vis
Eſt animi *rerum perceptio firma*. Sed omnes
Rhetoricæ ſuperat partes, Demoſthene teſte,
Actio, quæ *vocis, geſtus, totius & apta*
Corporis eſt juxta veteres moderatio leges.

De Adjumentis, & Muneribus Rhetoricæ.

DIcendi eſt triplex Stylus, vehemens, & acutus,
Ac tenuis. Tria ſunt quoque Rhetoris Adjumenta:
Si ingenio præſtat, ſi naturam excolit arte,
Atque artem exercet. Tria ſunt etiam Oratoris
Munera, Delectare, Docere, ſimulque Movere.
Omne feret punctum, ſi miſceat utile dulci:
Si, quibus informet mentes, arcana recludat,
Ad laudem incendat, circùm præcordia ludens.

De Fontibus Argumentorum.

ARgumentorum fontes, Communia priſci
Quæ Loca dixerunt, *ſi ipſi ſunt inſita Cauſæ,*
Quam tractamus, & a gremio illius educuntur,
Sex ſunt atque decem; ſi verò Extrinſeca, ſunt ſex.
Inſita ſunt, quando definio, vel noto nomen,
Diſtribuo in partes, vel conjugo, vel genus addo,
Vel formam, aut ſimile, aut quid diſſimile, aut adjuncta,
Aut contraria, quæ anteeunt, quæ deinde ſequuntur,
Quæque repugnant, & cauſas, effectaque cauſæ,
Vel majora, minora, æqualia comparo tandem.

Definitio.

DEfinitio *rem explicat*: ut, *Virtus animorum*
Eſt affectio recta. Aliquid commune petendum eſt
Pluribus, atque aliquid proprium: ex utroque orietur
Definitio: Commune eſt *Affectio*, *Recta*
Eſt Proprium. *Natura rei cum panditur ipſa*:
Ut, *Rationale eſt animal homo*: definitur
Strictè. Sed *cum deſcribo*, *remque explico*, *cauſas*
Enumerans, *partes*, *effecta*; *adjunctaque*, non eſt
Definitio preſſa. *Simul cum congrego plures*,
Amplifico pulchrè. Deſcribitur a Cicerone
Curia ſic: *Templum pietatis*, *regia mentis*,
Conſilii ſedes, *caput Urbis*, *portus*, *& ara*
Perfugii. Argumentum ex hoc ſic erue fonte.
Si Virtus animi eſt affectio recta, *profectò*
Haud Verſutia erit virtus, *quæ affectio prava eſt*.

Digitized by Google

Etymologia, ſeu Notatio Nominis.

E*Xplicat apta Notatio Nomen: ut explicat ipſum*
Definitio Rem: veluti: Qui conſulit urbi
Dicetur Conſul. Piſo non conſulit: ergo
Dicetur Conſul? Stephanum dixere Coronam
Argivi, fideique hoc dignus nomine teſtis.
Jus Verris tam nequam eſt? In Prætoris iniqui
Sic nomen luſit Cicero: *tibi quàm bene Laurus,*
Laurenti, impoſuit nomen! Tibi Gratia & ipſa,
Joannes. Naſcuntur ab hoc Anagrammata fonte.

Partium Diſtributio.

Q*Uando rei totius partes enumerantur,*
Tertius eſt fons Rhetoricus. Deducis ab illo
Argumentum ſic: *Habet has Reſpublica partes,*
Patres Conſcriptos, Equites, Plebem: Ciceronis
Diſceſſu mœrent Patres, Equiteſque furore
Tabeſcunt, Plebs arma rapit: Reſpublica tota
Ergo te ut Patrem, Tulli, ploravit ademptum.
Vis incredibilis rerum hac ab origine manat.
Amplificare cupis? hoc ſæpius utere fonte:
Ut ſi delicias veris deſcribere geſtis,
Mundi animadvertas partes, quæ veris amœni
Munere lætantur: Cælum, quod cornibus aureis
Illuſtrat Taurus: quem hilarant ſol mitis, & auræ,
Aera: quæ glacie currunt exuta hyemali,
Flumina, ſed nivibus quandoque tumentia lapſis
Aereo ex monte: ac terram, quæ veſte recenti
Herbarum induitur, teneris dum frondibus arbor
Comitur, & pulchri pingunt viridaria flores.
Amplificatio protrahitur quandoque *negando*
Partes, quæ toti haud inſunt: velut affirmando
Partes, quæ inſunt toti, eadem amplificatio ſurgit:
Sic hyemis numerando incommoda, & illa negando
Per partes de vere, aliis ver laudibus effers.

Conjugata.

C*Onjugo, cum verba inflecto, atque immuto parumper,*
Quæ generis ſunt ejuſdem; veluti, *ſapienter,*
Et ſapiens, ſapientia. Ab hoc ſic argue fonte:
Namque homo ſum, nihil humani a me credo alienum.
Quos orno? qui ſunt Patriæ ornamenta, Quirites.
Improbus haud ille, improbitas aſt ipſa videtur.
Aurea nunc verè ſunt ſecula: plurimus auro
Venit honor. Viden? ex mutatis, *Aurea*, & *Auro*,
Naſcitur ironia ferox, atque ingenioſa.

Genus,

Digitized by Google

Genus, & Forma.

Q*Uod ſub ſe plures Formas habet*, eſt Genus, *atque*
Se communicat illis: ut *Flos*; ſcilicet illi
Lilia ſubduntur, *violæ*, *tulipæque*, *roſæque*.
Lilia ſunt flores, Roſa flos. Communicat ergo
Se Flos unicuique, & ſub ſe amplectitur omnes.
Partes, quæ generi ſubduntur, dicimus eſſe
Formas, aut Species. Sic eſt *animal* genus, atque
Formæ ſunt *homo*, *equus*, *leo*, *bos*, *elephas*, *tigris*, *urſus*.
A genere, & forma ſic argue: *quando negare,*
Aut potes affirmare aliquid, quod convenit uni,
Affirmare potes de alio, pariterque negare.
Ut: *ſi animal vivit, vivit leo: ſi leo ſentit,*
Sentiet ipſum animal: ſi animal non protrahit ævum
Perpetuò, nec perpetuos leo vivet in annos.
Si leo non cedit ſtellis, nec cedit iiſdem
Ipſum animal. Quæcumque ergo concedis ineſſe,
Aut Generi deeſſe, hæc eadem concedere debes
Formæ deeſſe, & ineſſe; & plurima, quæ Speciei
Inſunt, vel deſunt, inerunt Generi, deeruntque.

De Similitudine, & Diſſimilitudine.

E Simili, aut e Diſſimili argumenta petuntur,
Cum diſpar res ad noſtram deducitur, aut quæ
Sit noſtræ ſimilis, vel multùm diſtet ab illa:
Sic Cicero: *ut morbo tentati haud experiuntur*
Menſæ delicias, veræ ſic gaudia laudis
Haud illi experti, quos vexat dira libido,
Auri ac ſacra fames: exemplum Naſo dat illud:
Scilicet ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum,
Sic duro inſpicienda fides eſt tempore amici.
Diſſimile eſt iſtud: *Si non jaculatur in ævum*
Barbarus æternum curas, ſed carpere geſtit
Labentem lucem: nos perpetuos animo annos
Debemus verſare, & Famæ regna ſubire.

De Contrariis.

QUadruplicis generis contraria ſunt: Adverſa,
Et Privantia: quæque inter ſeſe referuntur:
Et Contradicentia. *Diſtant ſub genere uno*
Adverſa: Ut *Vitium, & Virtus*; habitus animorum
Eſt enim uterque, & pugnant: ſic *niger*, & color *albus*:
Bellum, pax. Belli amplifices incommoda, amorem
Si accendis Pacis. Sacri ſic Muſa Maronis:
Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.
At Privantia ſunt *habitus, privatio & illi*
Oppoſita: ut *lux, & tenebræ*: *mors*, *vita*: Milonem

Deſendens Cicero: *Quiſquam Clodii necis ultor*,
Inquit, *erit*, *quem tænareis*, *ſi poſſet*, *ab umbris*
Eveheret nullus ſceleratæ ad lumina vitæ?
Inter ſe referuntur, *Miles*, & *Indiperator*:
Acceptum, *atque datum*: *genitor*, *ſoboleſque*; *Magiſter*,
Auditorque. Ex hoc Cicero venatur amorem
Cæſaris: *Ergo tui qualis ſit gratia doni*,
Gloria ſi accepti tanta eſt? Turpe ergo docere,
Diſcere quod præſtat? Contradictoria *pugnant*
Cum affirmantibus: ut, *ſi hoc eſt*, *non eſſe neceſſe eſt*
Oppoſitum huic. *Muſas juvenis colit? ergo quiete*
Non ſtupet ignava. *Eloquitur*, *non ergo ſilet vox*.

De Antecedentibus, *Conſequentibus*, & *Repugnantibus*.

A*Nteeunt quæ rem*, *quæque illi ſemper adhærent*,
Præcedentia dicuntur: ſic arguis ex hoc
Fonte: *Ortus ſol eſt*; *ergo fulgere diei*
Lucem concedas. At *quæ rem deinde ſequuntur*,
Præceſſiſſe probant, *quæ cum re juncta videmus*,
Ut: *ſi exorta dies*, *ſol ortus origo diei*.
Quæ lege haud certa, *aut numero opponuntur eodem*,
Illa repugnare affirmes: Ut *Amare*, *Nocere*:
Namque animi ſunt Affectus *Odiſſe*, & *Amare*,
Atque hæc Adverſa inter ſeſe dicimus eſſe:
At quia *Amare* animi eſt Affectus, ſed *Nocuiſſe*
Haud animi eſt motus, non certa hæc lege repugnant.

De Adjunctis.

Q*Uæ rem circumſtant*, & Cauſæ Adjuncta vocamus,
Plurima ſunt, & verſiculo clauduntur in iſto:
Quis, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*.
Singula percurrens rem mirificè amplificabis.
Integra naſcitur hoc aliquando Oratio fonte:
Ut quæ Rupellam ob captam ſuper æthera tollit
Gallorum Regem: nec verò Adjuncta per omnia
It: *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, pendit.
Quid? Quam Rupem, quàm validam, quàmque omnibus auctam
Præſidiis, *Ubi?* Præcinctam auxiliaribus undis.
Et *quibus auxiliis?* Geminis ſuper æquora vallis
Erectis fruſtra Oceano indignante, Britannam
Ut claſſem arceret. *Cur?* Relligionis amore,
Egregii quæ cauſa fuit juſtiſſima belli.
Quomodo ſignificat modum, ideſt citò, fortiter, atque
Non ſine prodigiis, & cuncta elementa rebellis
Hæreſis in cladem armando. Funebria ſæpe
Ex hoc fonte ſolent educi Exordia, quando
Mortis ab Adjunctis gemitus, lachrymaſque ciemus.
Sæpe etiam luſus Epigrammatum, acutaque ab iſto

Fonte

Digitized by Google

Fonte oritur concluſio: Nos tantummodo ab uno
Adjuncto eruimus centum: Nix æthere lapſa eſt
Anni ſub finem: Ex *Quando* orta Epigrammata centum.

De Cauſis.

CAuſa eſt, *quæ virtute ſua efficit id, quod cauſat;*
Ut *lucis cauſa eſt Sol.* Quattuor eſſe feruntur
Cauſarum genera: Efficiens, & Materialis,
Formalis cum Finali. *Efficiens rem gignit:*
Ut *Sol lucem, homines homo, ſed Deus omnia cauſat.*
Finalis cauſa eſt, *quæ nos movet ad faciendum:*
Ut *ſperata ſalus eſt Finis, cujus amore*
Ex ægro hauritur medicina; at Materialis
Cauſa eſt, *ex qua res educitur, & formatur:*
Materia ut *lignum eſt ignis.* Formalis *at ipſi*
Dat formam, ſpeciemque rei, ac diſtinguit eamdem
A reliquis: Sic forma hominis *compos rationis*
Eſt animus, per quem a brutis ſecernitur idem.
Argumenta potes de Cauſis ducere: *ut ipſum*
Commendes hominem, lauda Cauſam Efficientem,
Patres, atque Deum; & Finem, in quem conditus ipſe eſt,
Silicet æterna ut Numen per ſæcula cernat.
Laudes amplifices ex cauſa Materiali,
Corpore præclaro: At Formalis plurima Cauſæ
Laus erit, *humanumque animum ſuper æthera tolles.*

De Comparatione.

ULtimus eſt fons Rhetoricus, cum comparo, & iſtum
Explico tripliciter: *Paria, & majora, minora*
Et ſimul æquiparans: Paria, *ut cum confero Magnum*
Cæſari Alexandrum. Majora aſt urgeo, dicens:
Ornarunt ſeſe Gracchorum ſanguine Patres,
Cur maculam nobis Catilinæ ſanguis inurat?
Præclarè dixit Cicero. Sunt illa minora:
Ut jugulent homines, ſurgunt de nocte latrones,
Ut te ipſum ſerves non expergiſceris unquam?

De Locis Extrinſecis.

INſita ſunt hæc argumenta; Extrinſeca verò
Sunt Præjudicia, & Tabulæ, Tormentaque, Fama,
Teſtes, & Juſjurandum. *Cum ſcilicet ante*
Judicium eſt aliquod latum, Præjudicium illud
Dicimus. At Tabulæ ſunt *leges, juraque Patrum;*
Cætera ſunt manifeſta. Genus ſed Judiciale
Utitur his tantùm, quod vix noſtra excolit ætas.

Digitized by Google

De Argumentatione, ſive uſu Argumentorum.

E*Xplicat Argumentum Argumentatio*. Prima
Illius eſt ſpecies Syllogiſmus: *Tribus idem*
Judiciis conſtat: propono: aſſumo: & utrumque
Judicium amplector: velut; *Ars omnis diſcenda eſt:*
Rhetorica eſt ars: ergo Rhetorica eſt diſcenda.
Enthymema eſt *imperfectus Syllogiſmus*:
Ars eſt diſcenda: ergo Rhetorica eſt diſcenda.
Eſt Inductio, *quæ, numeret cum plurima, totum*
Conficit: ut: *Mores, quæ temperat, & ſua cuique*
Quæ tribuit, pectus quæ roborat, & regit omnes
Prudenter motus, Virtus, laudanda, & honeſta eſt.
Omnis honeſta ergo eſt virtus, laudemque meretur.
Eſt porrò Exemplum *imperfecta inductio*. At *uno*
Circuitu verborum includitur Epicherema:
Quæque ſimul plures argumentatio acervat,
Sorites eſt. *Cum duo proponas, reprehendit*
Urgens propoſitum, tradas quodcumque, Dilemma:
Omnibus eſt virtus quærenda: bonis, meliores
Ut fiant; pravis, ut diſcant vivere rectè.

De Tropis.

RHetoris eloquium ornatum, aptum, ſitque latinum.
Ornatur ſed pulchra Tropis, pariterque Figuris
Scriptio: ſunt ſua verborum, ſunt lumina rerum.
Verbum, aut ſermonem quando aptè immuto, ſuaque
Avulſum de ſede aliis accommodo rebus,
Dicitur eſſe Tropus. Segetes ſi dixero *lætas*,
Quod proprium eſt *hominum* Appoſitum, aptè accommodo *campis*.

De Metaphoris.

A*D ſimile a ſimili cum transfero*, dicitur eſſe
Metaphora: ut: *pratum ridet*: Quadruplex genus ejus
Eſſe ſolet. *Cum animal pro animali ponitur*: ut ſi
Affirmes *latraſſe hominem*: *ſpoliataque ſenſu*
Si pro aliis ſenſu ſpoliatis dixeris: ut: *nil*
Concentu virtutum ſuavius: Aut *pro animali*
Si ponas orbata animo: Ut, *duo fulmina belli*
Scipiadæ: Aut, *quæ vivorum ſunt propria, ponas*
Pro exutis animo: ut: *Pontem indignatus Araxes.*

Synecdoche.

C*Um totum ex parte, aut ex parte intelligo totum,*
Aut quæ præcedent ab iis, quæ deinde ſequuntur,
Eſt Vati uſurpata Synecdoche; at Oratori
Non adeo conceſſa. Modis hæc aſſolet octo

Efferri:

Digitized by Google

Efferri: *Partem pro toto pono: carinam*
Pro navi: Aut *unum pro pluribus*: ut Maro dixit:
Hoſtis habet muros: aut *formam pro genere ipſi*
Subjectam generi: ceu *quovis pro ſue* dixit
Virgilius: *denteſque Sabellicus exacuit ſus*.
Aut *pro confecta re materiem affero*: *Pinum*
Pro navi: Aut *totum pro parte*: *Ignemque ferebant*,
Fontemque: Aut *plures pro uno*: Ut: *ſumus Oratores*
Viſi, inquit Cicero: Aut *pro parte genus*: velut: *ales*
Unguibus abjecit prædam. Aut *quæ ipſam anteeunt rem*,
Pro re ipſa pono. Ut Maro pro *Ruit Oceano nox*:
Aſpice, aratra jugo referunt ſuſpenſa juvenci.

Metonymia.

PEr *cauſas effecta, ſua aut intelligo cauſas*
Quando per effecta: aut per ſigna intelligo eodem
Rem ſigno expreſſam: aut per rem, quæ continet, ipſum
Contentum, Græcis Metonymia dicitur eſſe.
Per cauſas effecta aperis: *onerantque caniſtris*
Dona laboratæ Cereris: *legiſſe Platonem*
Dicor, divini cum legi ſcripta Platonis.
Cauſam ex effectis pando, cum *pro ſcelerato*
Deprenſum dico *ſcelus*, & *mæſtum* eſſe *timorem*
Dico, quòd mœſtos faciat, *Quod continet, ipſa*
Profero pro re contenta: *fœlicia ſecla*,
Et *bene moratas urbes*, *doctas* & *Athenas*
Cecropiis dico pro civibus: & Maro dixit
Pro ipſis Cælitibus, *Cælo gratiſſimus amnis*.
Pro re poſſeſſa Dominum: *Jam proximus ardet*
Ucalegon: vel *rem per ſigna intelligo*: *pacem*
Sic *toga* ſignificat, *faſceſque & purpura regnum*.

Antonomaſia.

ANtonomaſia *conſuevit pro nomine certo*
Ponere quid clarum: ut *Carthaginis everſorem*
Dicit, cum fuerat dicendum, *Scipio*: *Princeps*
Romani eloquii dicetur *Tullius*, atque
Virgilium appellans, *Latii* appellabis *Homerum*.

Onomatopæja.

FIngere *ſueta novas* Onomatopæja *voces*,
Perpendens ſonitum, cui ſignificatio pulchrè
Reſpondet: Pelagi ſic *murmur*, *ſibilus* anguis
Dicitur, atque boum *mugitus*, *ſtridula* ferra.

Digitized by Google

Catachreſis.

C*Um verbis audacter abutimur, aut quia deſunt*
Propria, mutandi aut cauſâ, Catachreſis Achivis
Dicitur. *Extinxit qui matrem, dicitur eſſe*
Parricida: minari pulchra: optare dolorem.

Metalepſis.

Q*Uibuſdam veluti gradibus* Metalepſis *ab una*
Ad res conſuevit reliquas expandere callem:
Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas:
Hinc *ſpicæ*, *ſegetes*, *æſtas* ſignatur, & *annus*.

Allegoria.

D*Iverſum* Allegoria, ſive Inverſio *ſenſum*
A verbis aſſert, Divinus dum Maro dixit:
Sed nos immenſum ſpatiis confecimus æquor,
Et jam tempus equûm ſpumantia ſolvere colla;
De *curru* fari eſt viſus, tamen ille profatus
De *libro* eſt. Sunt *plures metaphoræ* Allegoria.
Quandoque eſt propriis permixta. Subire procellas,
Atque fori fluctus ſemper Milo ſuevit, & auras
Spernere, & hoſtiles ſcopulos, ſyrteſque doloſas.
Quando obſcura eſt Allegoria, Ænygma vocatur:
Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat Cæli ſpatium non amplius ulnas?

Ironia.

N*On tantùm diverſa, aſt & contraria verbis*
Significat ſenſu Ironia aſſueta jocari.
Sic Drancem Turnus commendat: *Meque timoris*
Argue tu, Drance, quando tot ſtragis acervos
Teucrorum tua dextra dedit: vix navita Portmeus
Tot ſimulacbra virûm potuit traducere cymbâ.

Periphraſis.

C*Um per circuitum amplifico, quæ dicere poſſum*
Paucis, aut uno verbo, conſueta Poetis
Dicitur eſſe Periphraſis: Hoc pacto Maro dixit:
Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & dono Divûm gratiſſima ſerpit:
Dicere cum poſſet: *nox cœperat arbitra ſomni.*

Hyperbaton.

T*Raiicitur verborum, ſeu pervertitur ordo,*
Cum uſurpatur Hyperbaton: ut: *Maria omnia circùm:*
Pro, *circùm Maria*: & *Septem ſubjecta trioni.*

Hyper-

Digitized by Google

Hyperbole.

A*Uget, & imminuit tranſgreſſa* Hyperbole *verum:*
Ut: *celſas ſuperant nubes, geminique minantur*
In Cœlum ſcopuli: pennis volat ocyor Euri,
Fulminis atque alis. Quæ tam inſaturata Charybdis,
Neptunuſque vorax? Capreæ vix oſſibus hærent.

Quid ſint Figuræ Verborum, & Rerum, & in quo differant a Tropis.

L*Umina verborum, & rerum,* quas eſſe Figuras
Dicimus, *a ſolito vulgi ſermone recedunt,*
Et magis aſſurgunt. Verborum lumina verbis
Mutatis pereunt; perſtant at lumina rerum;
Efferri proprijs verbis perſæpe Figura,
At nunquam Tropus aſſuevit. Diſcrimen in illis
Hoc tantùm eſt. Et ſæpe ſimul conſpirat utrumque
Lumen: quique Tropus, ſimul eſt præclara Figura.

Quot modis fiunt Figuræ Verborum.

D*Etraho, ſive addo, ſimiles ſive inſtruo voces,*
Quando Verborum claras uſurpo Figuras.

Figuræ Verborum, quæ fiunt per Additionem.

Repetitio.

D*Ucitur ex uno cum ſæpe Oratio verbo,*
Eſt Repetitio: ceu: *Quis Romam diruit hoſtis?*
Quis templa evertit? quis Tybrim ſanguine tinxit?

Converſio.

D*Eſinit at verbum cum ſæpe oratio in unum,*
Eſt Converſio: *Sunt cæſa agmina veſtra, Quirites?*
Extinxti, Antoni. Flos Urbis funere merſus?
Extinxti, Antoni. Ex his plurima Tullius affert.

Complexio.

U*Tramque includit* Complexio; *nam repeto, & mox*
Converto: veluti: *Quis rupit fœdera? Pœnus.*
Quis bellum tulit Italiæ? Pœnus. Quis equeſtri,
Patricioque cruore implevit flumina? Pœnus.

Conduplicatio.

C*Onduplicatio verborum eſt geminatio, quæ vim*
Sæpe habet, ingenuo quandoque lepore ſuperbit.

Digitized by Google

Te nemus Angytiæ, vitreà te Fucinus undà,
Te liquidi flevere lacus: ſapiens Maro dixit,

Traductio.

ESt Traductio, *quando verba immuto parumper,*
Crebrius aut unum uſurpo. Quis ſævior hoſtis?
Cujus mucro latus noſtrum hauſit? quo duce bellum
Italię incubuit? Quis Romę terruit arces?
Sępe etiam verbum ſenſu uſurpatur utroque:
Eſt enim amari jucundum, niſi quid ſit amari.

Synonimia.

S*Ignificantia idem cum verba exaggero plura,*
Eſt Synonimia: *exceſſit Catilina, & ab Urbe*
Evaſit tandem, erupit ſęviſſima peſtis.

Polyſyndeton.

C*Um crebra affertur, quę det conjunctio robur,*
Eſt Polyſyndeton; ut Sapiens Maro dixit:
Armentarius Afer agit tectumque, laremque,
Armaque, Amyclęumque canem, Creſſamque pharetram.

Gradatio.

ESt Gradatio, *quę repetens jam dicta, reſiſtit*
Singula percurrens: Virtutem induſtria, virtus
Famam, deinde hoſtes peperit celeberrima fama
Heroi, cui victa dedit clarum Africa nomen.

Figurę Verborum, quę fiunt per Detractionem.

Diſſolutio.

DIſſolvo, *cum detrahitur Conjunctio*: ſicut:
Ornant, delectant, proſunt documenta Minervæ.

Adjunctio.

C*Um ſententia non una ad verbum revocatur*
Unum, Adjunctio dicitur, ut: *ſcelerata laborem*
Segnities, audax rationem amentia vicit.

Disjunctio.

C*Um quęvis verbo ſententia clauditur uno,*
Disjungo: veluti; *pudor abſtraxit, revocavit*
Lętitia, & jucunda quies tardavit inertes.

Digitized by Google

Synecdoche.

C*Um ſubtractum aliquod verbum ſat cætera ſignant,*
Eſt Synecdoche: *nullus ſermo*: intellige, *de te.*

Synecioſis.

SYnecioſis *diverſas res ſimul unit.*
Tam quod habet, deeſt, quàm, quod non habet æris, avaro.

Figuræ Verborum, quæ fiunt per Similitudinem.

Annominatio.

ANnominatio *verba parum immutata reſumit.*
Ut: *navus, vanus: flamma huic clariſſima fama eſt:*
Namque docent, quæ ſæpe nocent, non omnia lædunt.

Similiter cadens.

V*Erba cadunt non rarò in caſus plurima eoſdem:*
Non admirer, amem, atque ſequar te, maxime Juli?

Similiter deſinens.

DEſino tunc ſimili ratione, *eſt exitus idem*
Cum in verbis, aut nomine: ut, *audivi*: *atque ambivi.*

Compar.

M*Embra pari numero cum conſtant,* dicitur eſſe
Compar: *Bella paravit, ſuſcepit, confecit.*

Contrapoſitum.

ESt Contrapoſitum, ſive Antitheton, *duo pugnant*
Cum verba, aut duplex potius ſententia certat:
Immortalis amicitia, at mortalis habenda
Eſt inimicitia, ulla tamen quandoque ſi habenda eſt.

Commutatio.

COmmutatur, *quando duplex ſententia pugnans*
Sic effertur, ut a prima contraria primæ
Naſcatur: *Non vivo ut edam, ſed paſcor, ut ævum*
Producam: *Pictura loquens ſi eſt carmen, & ipſa*
Dicitur eſſe etiam tacitum pictura poema.

Figuræ Sententiarum.

N*On in verbis, aſt in rebus ineſt decus, ipſa*
Quando in ſe includit ſententia pulchra figuras.

Interrogatio.

INſtandi cauſâ, *haud quærendi*, interrogo: *Quid non*
Auri ſacra fames mortalia pectora cogis?

Reſponſio.

QUærenti unum occurro alii, reſpondeo quando:
Occidit ne hominem quærentibus? addo: *latronem.*

Subjectio.

ESt Subjectio, *cum orator ſe interrogat ipſum,*
Aut ſibi reſpondet: Deerat domus? illam at habebas.

Occupatio.

OCcupo, *cum præſumo, hoſtis quæ opponere poſſet.*
Cœcilium Cicero, ſic occupat, objeciſſe
Qui potuit, *cur accuſet nunc Tullius, omnes*
Perpetuò ſuevit qui propugnare clientes?

Correctio.

ESt Correctio, *cum ſententia tollitur, atque*
Mutatur; Non patria tecta, aſt Italiam omnem
Ornavit; quamquam domus ipſa ornatur, in omnem
Italiam quando Dux congerit ornamenta.

Dubitatio.

CUm quæro, *unde ſit incipiendum, ubi ſit ſtatuendus*
Terminus, eſt dubitatio. *Quò me, neſcio, vertam.*

Communicatio.

COnſulitur quando judex, aut hoſtis, habetur
Communicatio; ceu: *Quid tu faceres, Labiene?*

Proſopopæja.

PRoſopopæja eſt *perſonarum inductio ficta:*
Extinctos revocat tumulis, atque Urbibus ipſis
Sermonem tribuit: Reſpublica cum Cicerone
Sic loquitur; *Quid agis, Tulli, non conſulis Urbi?*

Apoſtrophe.

AVerſus ſermo eſt a Judice Apoſtrophe: *Et hoſtes*
Aut urget: Tubero, tuus ille quid enſis agebat?
Invocat aut quidquam: Albani tumuli, antraque adeſte.

Hypo-

Digitized by Google

Hypotypoſis.

RES *ipſas oculis ferme exhibet* Hypotypoſis.
Ardebant oculi, atque furor ſpirabat ab ore.

Apoſiopeſis.

APoſiopeſi *affectum indico, ſupprimo & illum.*
Quos ego? ſed motos præſtat componere fluctus.

Ethopeja.

EST *morum, atque alienæ* Ethopeja *imitatio vitæ:*
Corpore ut incultus, veſtitu ſqualibus ibat!

Emphaſis.

QUod latet, *ex dicto eruit* Emphaſis. Ut Maro dixit:
Immenſo Cyclops jacuit reſupinus in antro.

Suſtentatio.

POſtquam animos ſuſpendit, inexpectata profatur*
Suſtentatio: ceu: *Quid præſtitit inde, Quirites?*

Prætermiſſio.

PRætermitto, *cum neſcire, aut dicere nolle,*
Dico, quæ tunc amplifico. Non crimina quæro.

Licentia.

QUod minimè lædat, cum profero,* ſumpta pudenter
Eſſe Licentia dicitur: Ut: *Vide: abeſt metus omnis.*

Conceſſio.

QUando aliquid concedo,* ut, *quæ dicenda ſuperſunt,*
Eniteant magis, eſt Conceſſio: Ceu: *levia hæc ſunt.*

Interruptio.

INterruptio, ſive Parentheſis eſt *brevis a re*
Propoſita digreſſio, cui vis, aut lepor inſit.
Vare, tuum nomen (ſuperet modò Mantua nobis,
Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ)
Cantantes ſublime ferent ad ſydera Cycni.

Ironia.

IRonia, *animi* ſeu *fictio: Crimina, Cæſar,*
Aſſero inaudita: aſpexit Ligarius Afros.

Digitized by Google

Diſtributio,

DIſtribuo, *in partes aliquid tribuens, ſua cuique*
Cum ratio additur: Ut *prudens, & fortis haberi*
Pugnando eſt dignus Macedo, populoſque regendo.

Permiſſio.

CUm *datur ultro hoſti, quod ademptum maximè eidem*
Exoptat Rhetor, Permiſſio dicitur: ut: *Quid*
Cunctaris, Catilina, ex Urbe erumpere tandem?

Deprecatio,

DEprecor *implorans alicujus opem*: Veluti: *Oro,*
O genitor, per ego has lacrymas, natumque tuum, te.

Execratio.

PErniciem cuidam cum deprecor, execrari
Dicor: Ceu Cicero; *Dii te perdant, fugitive.*

Epiphonema,

EPiphonema *eſt narrati acclamatio facti*:
Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Exclamatio,

AFfectum oſtendit, *ſive* Exclamatio *quemquam*
Compellat; Velut: *O Miſerum me! O tempora, mores!*

De Perſpicuitate, & Decoro, præſertim
in Metaphoris.

Ex Ariſtotelis Rhetoricorum lib. 3. *cap.* 2.

QUi petis artifici ſtylum ratione doceri,
Perſpicuè dicas. Cauſæ niſi verba repugnant
Magnifica, hæc præhabenda: addunt & priſca decorem.
Ne quæſitus, at innatus cultus videatur.
Vulgo incognita verba lege: eſto Metaphora miſta
Perſpicuis verbis. Proportio Metaphoram ornat.
Si laudas, quære optima; peſſima, ſi condemnas,
Unde oriantur Metaphoræ. Laudare coactus
Immeritos, cautè mollita vocabula profer:
Peccantem dic *lapſum errore*. At crimina damnans,
Peccantem dicas, *non lapſum*. Ne trahat ortum
Metaphora ex injucundis, nimiumve remotis,
Turpibus aut rebus; ſed honeſtis, nobilibuſque,
Aut pulchris. Ne ſumas obvia: *Roſcida*, dicas,
Aurora eſt; At ſi dicas, *Rubram*, ineptus haberis.

Digitized by Google

Utere Synonimis. Eſt maxima in Appoſitis laus.
Si damnas, *Matricidam* appellabis Oreſtem,
Si laudas, *Ultorem patris*. Simonides non
Dixit, *dimidio eſſe aſinos*, mulos; ſed, *avete*
Alipedum, dixit, *ſoboles pulcherrima equorum*.
Diminutiva placent quandoque, ut *Jurgiolum*, inquit
Lenis Ariſtophanes.

De frigida dictione.

Ex Ariſtotelis cap. 3.

Quo frigida dictio fonte
Dimanat? *Geminas voces ſi jungis inepte*:
Ut ſi, *Anguſtivadum littus*. Sunt hæc dithyrambi
Propria, qui ſtrepitu gaudet: *nimiumque frequenter*
Si verba uſurpes, quæ jam periere: *pedeſtri*
Si ſtylo appoſitis utaris inanibus, addant
Quæ nihil ignotum: ceu: *lac album*. Iſta poetis,
Quamvis nil addant, ſint dummodo vera, relinquas,
Denique ſi translatio inepta, nimiſve remota,
Aut tumida: ut: *commercia pallida*: dictio friget.

De diſcrimine inter Metaphoram, & Similitudinem.

Ex Ariſtotelis cap. 4.

PRoxima Metaphoræ eſt Similitudo: *Eſt Leo Cæſar*,
Si dicas, Translatio erit. Sed ſi inquis: *in armis*
Eſt Cæſar veluti Leo; erit Simile, Inclyta imago
Eſt rerum Similitudo, crebròque adhibenda:
Converti poſſe & ſimile, & translatio debent:
Hinc, *Phialam Clypeum Bacchi*, non dixeris aptè;
Nam *Clypeum Martis Phialam* appellabis ineptè.

De Grandi, & Magnifica Dictione.

Ex Ariſtotelis cap. 6.

MAgnifica, & grandis fit dictio, *ſi uſurpetur*
Definitio pro definito: *Italiam* ſi
Dixeris, *Italiam*, non ſic aſſurgis, ut addens:
Quam ſecat Apenninus, quam mare cingit, & alpes.
Ne quidquam dicas ignobile: circumſcribe
Illa, ſuo quæ ſi compelles nomine, ſordent.
Metaphoris crebris fit grandior, appoſitiſque,
Sermo, ſuperlatis præſertim, & congeminatis.
Plurali utaris numero: ne, *ad littus Achæum*
Devenit, dicas, ſed, *Achaica littora*, puppis.
Divide, quæ jungi poſſunt: Ne, *fæmina conjux*
Regis læſa eſt, dicas; Aſt, *& fæmina, & uxor*

Regis:

Digitized by Google

Regis; namque addit crebra hæc conjunctio robur.
Materiem exilem ſi tractas, quæ tibi pauca
Præbeat affirmanda, nega, quæ plurima deſunt.
Amphimachus ſic de Tecmeſſo eſt plura locutus,
Quàm de Atho reliqui, dicens: *Ignobilis hic mons*
Non ſylvâ, aut fonte ornatur, non ſurgit ad aſtra
Præterea lege verba, *A*, atque *O* crebrò quibus inſint:
Magnifico grandis ſic dictio profluet ore.

De Decoro ſervando.

Ex Ariſtotelis cap. 7.

SCriptio præterea debet ſervare decorum:
Quod præſtat, *ſi, quas tractat, ſit conſona rebus,*
Atque imitetur mores, & motus animorum.
Conveniet rebus, ſi de altis alta loquatur;
At non aſſurgat nimium, mediocria quando
Profert argumenta: ciebis denique riſum,
Vilia ſi appoſitis illuſtribus exornabis:
Ceu qui conſuevit *venerandam* dicere *ficum*.
Ut genus, ætas, & patria, & fortuna virorum
Diverſa eſt, varii ſic mores: Rhetoris illos
Verba colorabunt: puero, juvenique ſeniles
Ne appingat mores, ſtudia aut regalia ſervo.

De movendis Affectibus.

Ex eodem cap.

ORator ſi vult animos incendere, flagret:
Si terrere, metum ſimulet: quoſcumq;animorum
Motus provocat, illos exhibeat prius in ſe;
Hinc clamor quandoque ſolet, lachrymæque movere,
Quos nulla impellunt verba. Eſt aliquando decorum,
Spem certam ſimulare, timor quando anxius urget:
Quis neget hoc? dicas, quamvis incerta loquaris.
Si rem prodigioſè auges: *Nil augeo*, dicas;
Sed veri me cogit amor tam magna profari.
Omnia quæ facit ars, nil per ſe proferat: hæc eſt
Ars major, quàm quæ patet omnibus. Utere crebrò
Appoſitis, quando motus animi incenduntur,
Præſertim magni ſi oſtendas ſigna furoris.

De numero Oratorio.

Ex Ariſtotelis cap. 8.

EX numeris nimium aſſurgunt, nimiumque ſonanti
Ore fluunt Spondæus, Dactylus, atque Anapæſtus;
Hinc illos rarò junges: exilis Jambus

Eſt

Digitized by Google

Eſt nimium; excidit & crebrò ſermone pedeſtri.
Lubricus, & currens ſaltu gaudere Choræus
Aſſolet: hos inter medius Pæan neque turget,
Nec cadit, aut ſaltat. *Tres ſyllaba longa præibit*
Quando breves, primus Pæan dicetur: *& una*
Syllaba longa tribus brevibus ſubjecta, ſecundus.
Principium primo ducas a Pæone: finis
Commodus, & conſtans, alio ſi Pæone ſæpe
Utaris, ſolet eſſe: Brevis cum ſyllaba claudit
Circuitum, fracta eſt nimium, atque oratio præceps.

De Oratione Periodica, & conciſa.

Ex capite nono:

HIſtorici veteres cæſim plerumque loquuti;
Herodotus veluti, & Divina Oracula, Mundi
Queis primordia narrantur. Sic dicito cæſim.
Eſt viſum Superis Priami ſubvertere gentem.
Res Aſiæ cecidere. Ruit Neptunia Troja.
Auguriis agimur diverſas quærere terras.
Sub miſera claſſem Antandro molimur, & Ida.
Si crebrò ſic incidas, Oratio torquet
Egregias aures. Sed nec producere longos
Circuitus præſtat; fit namque Oratio pendens,
Cui neque principii, neque ſit proportio finis,
Hæreat & ſolùm, cum res abſolvitur ipſa.
Auribus hæc ſemper doctis ingrata videtur,
Quas finis ſpe lactatas rapit anxius ultra
Orator. Velut in ſtadio qui certat, amatam
Cum metam videt, exultat; ſed flectere curſum
Extemplo juſſus queritur, laſſatur, anhelat.
Arridet doctæ verborum ille ambitus auri,
Aptum principium cui ſit, cui finis & ille,
Quem facilè intuitu complecti poſſumus uno,
Quique aptè claudit ſententiam. At integra ſæpe
Pluribus expletur verborum flexio membris,
Poſt quæ reſpiras. Aliquando partibus unus
Circuitus ſimplex non conſtat; membra ſed ipſa
Diſtincta aut ſolùm ſunt, aut contraria. Quando
Inter ſe pugnant, lepor eſt major. Velut: *Undas*
Tranavit pedibus, ſed *montes navibus*, inquit
Iſocrates: *Xerſi, qui junxerat Helleſpontum,*
Velificatus Athos. Jucundus & ambitus ille eſt,
Cui paria inſunt membra, & ferme æqualia verba;
Dicitur hic compar: veluti: *Suprema laceſſit*
In bello dum fata Parens, in pace quieſcens
Uxorem ducit Natus. Nec ſpreveris illos

Circuitus, ſimiles cui partes inſeris. At vel
Principium ſimile eſt: velut: *Agrum accepimus, agrum*
Quem dicas, ſterilis quia ſpe nos ludit inani:
Placati donis, pacative ore fuerunt.
Vel ſimilis finis; ceu: *Non puerum peperiſſe,*
Dicitur, illius tantùm ſed cauſâ fuiſſe.
In caſus vel membra cadunt a nomine eodem
Exortos, ſed mutatos. Ut cum ſimulachra
Ambiret quidam, quem nemo crederet ære
Dignum, aut aſſe uno, dictum eſt: *An dignus ahenâ*
Sit Statuâ, venalem uno quem dixeris ære?
Nomen idem aut repetis: Veluti: *Cum duceret ævum,*
Verbis urgebas malè, quem poſt fata maligno
Nunc calamo exagitas malè. Vel ſi nomen utrumque
Haud ſimile eſt, ſimilis ſaltem ſed ſyllaba claudit
Circuitum. Ut: *Te perpeſſum quod in agmine credis*
Eſſe malum, ſi hunc vidiſti ignavum? Aſt aliquando
Ponuntur quædam veluti pugnantia membra,
Quæ tamen inter ſe non pugnant. Sic Epicarmus;
Interdum fueram unus eorum, interdum apud illos.

De Oratione Urbana, & Arguta.

Ex capite 10. & 11.

SIrenes, Charites, Veneres ſermonis, acutâ
Dicta, quibus gaudet noſtra ætas, cognita magno,
Et laudata Stagyritæ, qui fontibus illa
Quattuor atque decem plerumque affirmat oriri.
Antitheſi: ut: *Pacem, qua Res nunc publica gaudet,*
Privatis rebus bellum putat hoſtis Achivûm:
Metaphora illuſtri, qua res incognita menti
Objicitur ſubitò: veluti cum *Græcia capta*
Uno lumine dicta fuit, cum diruta Sparta eſt:
Cum Paralus navis fortiſſima *Clava* vocata eſt
Cecropii populi. A ſimili, vel Imagine acuta:
Ut Pericles laudans juvenes, quos Martis arena
Suſtulerat: *Patria Urbs viduata hoc Flore videtur*
Anno, inquit, *ſimilis ſpoliato veris honore.*
Ex Energia, quæ vitæ munera rebus
Exanimis tribuit: De ſaxo Siſyphi Homerus;
Ille pudore vacans iterum lapis ima petebat.
Idem de telis: *Optant in corpora figi.*
At cuſpis pectus pertranſit plena furoris.
Ex Enargia, quæ oculis res ſubjicit ipſas:
Ut Sicula Argolici juvenes cum caſtra petebant,
Vividus Author ait; *Clamorem Græcia mater*
Extulit, audiri ut Siculo de littore poſſet,

An

Digitized by Google

An non penè vides Matrem ſine Prole gementem?
Ex errore, alium quo lapſum oſtendis, in illum
Tela retorquendo ſua. Ceu quidam: *Sapiens eſt*
Tempus, ait, *quo res labente ediſcimus omnes*.
At Paron ſubitò: *Inſipiens ergo eſſe negabis*,
Tempore ſi res labente obliviſcimur omnes?
Ex ſenſu diverſo ab eo, quem verba videntur
Primò præſeferre: Velut: *Cantare Cicadæ*
Incipient humi. In his latitant dira omina verbis:
Scilicet: Uſque adeo excindet ferus omnia victor,
Ut nec, aves quibus inſiſtant, virgulta ſuperſint.
Ex verbis, improviſo quæ fulgure mentes
Perſtringunt, quoniam ſenſus contrarius illis
Inſitus eſt animo. Deſunt exempla Stagyræ:
Corduba ſuppeditat, Senecæ cum ſcena Tyrannum
Jactantem ſua probra inducit: *Jura paterna*
Non ego poſſideo ignavi Diadematis hæres:
Virtute invaſit ſceptrum fortiſſima dextra,

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX RERUM.

A

A, atque O. frequentia in vocibus reddunt magnificam orationem, ut notat Ariſtoteles. pag.480
Acuminum ſpecies. Prima ſita in Paradoxa Propoſitione Argumenti. 40. & ſeq. Secunda in Sententiis ingenioſis. 41. & ſeq. Vitia illas coacervantium. 42. Indirectę jucundiores directis. ibid. Harum plurimæ in Exordio Secundæ Philippicæ. ibid. Tertia Species Argutiarum conſiſtens in Ingenioſis Animadverſionibus in breve dictum contractis. 44. Quatuordecim illarum fontes aperuit Ariſtoteles. 44. & ſeq. Quarta Species Acuminum in Acuto Stylo. 48. In quo collocata ſit Argutia,& Lepor Tulliani Styli. 50
Adjuncta. 468. Ab adjunctis aliquando naſcitur Argumentum integræ Orationis. Ibid. Ut Panegyrici de capta Rupella. Et Exordia funebria. Ibid.
Adjunctio. 474
Adverſa. 467
Æneidi præferuntur quò ad Elegantiam Styli Georgica Virgilii. 65. Æneidos Stylum excolere cur magis arduum fuit, quàm Georgicorum. Ibid.
Ænigma. 472
Æſtate præſertim fervere debet Philoſophiæ ſtudium, & ingenioſæ pugnæ. 125
Affectus animi ab Ovidio egregiè exprimuntur. 61. Frequentius, quàm a Virgilio. Ovidium Ducem ad eos permovendos conſectari debemus. ibid. Quomodo excitandi ſint. 480
Afflictationes Corporis mirificæ in S.Roſa de S.Maria. 4. & ſeq.
Alexandri Septimi P.M.Laudes. 458
Alexandro in Octavo Pont.Max.Regiminis preclari ſecuritas ex Actis ante Regnum, & primis Imperii diebus. a pag. 189. ad 200.
Algidum ad montem itineris deſcriptio. a p. 73. ad 76.
Allegoriæ Arcana. 100. Homeri & Virgilii præſtantiſſima. ibid. Morum, & Doctrinarum Allegoria a Poetis texenda. ibid.
Allegoria Tropus. 472
B.Aloyſii Gonzagæ fugam ab Amore Divino fuiſſe amantiſſimam, & cæteris ejus Dotibus anteferendam. 163. & ſeq. Brevem Vitæ uſuram eidem indultam Argumentum eſſe maximæ illius Sanctitatis. 165. Idem oſtenditur eximia Sanctitate præſtans, quia Ticinum pluviis intumeſcentem incolumis tranſivit. 166. Bellicâ Gloriâ præ cæteris omnibus Gonzagis Heroibus demonſtratur inclaruiſſe Beatum Aloyſium. 168. & ſeq. B Aloyſio Gonzagæ cur brevis indulta ſit Vita. a pag. 278. ad 281. Triumphus eidem adornatus ab Amore Divino a pag.281. ad 284. Ejuſdem ad Moderatorem Animi Epiſtola de inutili ſua a cogitatione Divinarum rerum fuga. 284. & ſeq. Illius de Ticino furente Victoria. 286. & ſeq. Ad eumdem fluvium ferocientem in B.Aloyſium Elegia Propertii Stylo. 289. & ſeq. Gonzagarum Heroum, & ipſius Herculis victor oſtenditur B.Aloyſius, Carmine Statii Stylo. 292. & ſeq. Arcana B.Aloyſii pugna, ejuſdemque Triumphus. 295. & ſeq.
Amœnitas Carminis in Claudiano commendatur. 61
Amoris improbi concio ad Ticinum. 286. & ſeq.
Amphimacus amplificator egregius ſterilis argumenti. 480
Amplificatio poetica Laudum, & Objurgationum, a Claudiano petenda. 62. Præſertim naſcitur a diſtributione partium. 466. Fit affirmando, & negando. 480
Anapæſtus, Dactylus, & Spondæus raró conjungendi in ſoluta Oratione. 480
Annominatio. 475
Annum Sanctiorem ipſis quoque cælitibus eſſe. 145.
Antecedentia. 468
Antonomaſia. 471
Apocalypſim explicando quæ propoſuimus Paradoxa. 134. Et quæ in Explicatione Evangeliorum. ibid. Et contra Janſenianos. 135
Apoſiopæſis. 477
Apoſtrophe. 476
Appoſita, ſive Epiteta quænam adhibenda in laudibus, quæ in objurgationibus. Unde petenda. 478. Quæ nihil addunt, non uſurpanda in ſoluta Oratione. ibid. Illuſtria non conjungenda vilibus rebus. 480. Frequenter adhibenda, cum incenduntur animi motus. Ibid.
Argumentatio, ſive uſus argumentorum. 476. Eorum fontes. ibid.
Arianam inter, & Mahometicam Sectam proportio. 151
Ariſtoteles aperuit quatuordecim Argutiarum fontes. Eorum Exempla. 44. Ariſtotelis Doctrina oſtendit breviſſimum Oratorum omnium fuiſſe Tullium. 54. Refellitur quò ad plurima, quæ de fortitudine pronuntiavit. 121. & ſeq. Idem præclarè Centum ferè in Locis loquutus fuit de Deo O.M. 124
Aſtrologos ut Satyrâ perſtringere poſſit Rhetor, eorum arcana noviſſe debet. 247
S.Athanaſii perhonorifica Criminatio, ſive illius Dotes erutæ a congeſtis in eumdem calumniis. 149. & ſeq. Idem Exemplar, Auſpex, & Cauſa, referendi de Turcis Triumphi. 150. & ſeq. Heroica D.Athanaſii Magni Acta Chriſtianorum de Turcis Triumphos augurantur. 152. & ſeq. Ejuſdem ſupra reliquos Eccleſiæ Divinæ Doctores Dotes. 153. & ſeq. Quæ ſpectari queant, ut Sanctus unus alteri præferatur. Ibid. Prorſus inſolita D.Athanaſii Pueritia, & Juventus. Nullus illo efficacius exarſit in Sacris Conciliis. Nemo congreſſus cum tot, ac tam validis hoſtibus. Cum Ethnicis, & Hæreticis. Cum Cæſaribus. Cum Hæreticorum Antiſtitum Cœtibus. Maximos evertit Errores. Summum attulit Eccleſiæ Præſidium. Ipſe habitus Lex, & Norma credendi. Impugnavit etiam Errores deinde exorituros. 154. Mirificus fuit vindex Romanæ Cathedræ. Etiam nunc validiſſimè pugnat contra Schiſma. 155
Attilæ S.Leonem formidantis deſcriptio. 349
S.Auguſtinus in Libris de Civit. Dei facundiam, & eruditionem Ethnicorum in ipſos retorſit. 109
Auroræ domus deſcriptio. 398.

Digitized by Google

B

BAcchi Clypeus Phiala ineptè diceretur. pag.479.
Barbarici Gregorii V. Cardinalis eximiæ Virtutes. 440
Barberini Cardinalis Antonii Galliarum Delphini exortum celebrantis laudes. 365. & ſeq. & pag 426. Ejuſdem, & Franciſci Cardinalis Barberini, & Caroli Cardinalis, & Maphæi Barberini Præneſtinorum Principis Præconia. pag.458. & ſeq.
S.Baſilio Agnomen Magni præ cæteris omnibus Profanis, & Sacris Heroibus tribuendum eſſe. 162. & ſeq.
Bellarmini. V. Cardinalis, & Perronii Laus, pag.239.
Bonviſii Franciſci Cardinalis Præconium. 346
Brevitatis Judices quinam eſſe debeant. 52. An breve debeat eſſe Exordium, & Narratio. ibid. Brevitatis, & longitudinis menſura petenda ex fine Oratori præfixo. 53. Brevitas amanda in Libris contra Recentiores Hæreticos. 239
Budæi Guilielmi nimis avidum ſciendi ſtudium, pag.79.

C

CÆlitibus quoque Sanctiorem Annum eſſe. 145. & ſeq.
Cardinales incluſi Conclavi obſequenti Pareneſi orantur eligere præclarum Pontificem. 362. & ſeq.
Carminis Heroici Idea quænam ſit a pag.58. ad 63. Carminis ſonus aliquando aſperandus. 62. Majeſtas amanda, vitandus tumor. Sententia aliquando cum Carmine ipſo concludenda: aliquando reiiciendus ad ejuſdem Carminis initium, aut medium, finis ſententiæ: deſinere aliquando debet in vocem unicâ ſillabâ conſtantem. ibid. Cur Carminis argumentum abjectum Stylo facilius illuſtretur, quàm ſublime. 63. Carmina latina quorumdam italicè exponenda, ut pateat nihil in eis eſſe ſucci, ac vitæ. ibid. Carmina ſua cur Author in lucem edat. 223
Carolus Quintus Potentior exercendo Sapientiam poſt depoſitum Imperium. 90
Caroli Secundi Catholici Hiſpaniarum Regis in Ortu fæliciſſimo Genethliacon Ovidii Stylo a pag.414 ad 423.
S.Catharinam Senenſem perfectiſſimè imitatur S.Roſa de S.Maria. 2. Hujus cum illa familiare conſortium. 12
Cauſarum genera. 469. Quomodo ex iis eruatur argumentum. ibid. Cauſæ, Locus topicus. ibid.
Chriſtus Dominus præclarum eſſet argumentum Heroici Poematis. 240. Quomodo excultum fuerit a Sannazzario, & Vida. ibid. Chriſti Domini Cruciatus expenſi Oratione oſtendente Inſanientem hominum Prudentiam extincti Numinis ream fuiſſe. 143. & ſeq. Inſana Gentium opinio de amore Chriſti Domini. Ibid. Dementia Judæ. Aliorum Diſcipulorum. Satellitum. Ibid. Judicum. Principum Hebræorum. Falſorum Teſtium. Romani Prætoris quærentis, quid ſit Veritas. Chriſtum Barabbæ comparantis. Sævientis, ut parcere. Manus abluentis. Jubentium, ut e Cruce deſcenderet. Univerſæ Naturæ. 144. Chriſti Domini Cruciatus brevibus Carminibus deſcripti a pag 375. ad 390.
Cicero Scriptoribus omnibus præſtitit acutè dictorum copiâ. 39. & ſeq. Oſtenditur quomodo ejus exemplo Eloquentia cum Acuminibus conjungi poſſit. Ibid. Species Acuminum quatuor. 40.& ſeq. Tullius Oratorum omnium breviſſimus oſtenditur. 51. & ſeq. Quot neceſſariò ipſi dicenda eſſent in Accuſationibus. 53. In defenſionibus. 54. Demonſtratur ipſum fuiſſe omnium breviſſimum ex Ariſtotelis Doctrina. 54. Ejus cum Seneca comparatio. Ibid. In ipſa quoque elocutione breviſſimus cenſendus eſt Cicero. 56. Incredibilis rerum vis in una ejus periodo. 57. Qui formulas tantùm a Tullio mutuantur, anſam dederunt criminationi de illo tanquam prolixo. 57. Ciceronem anteferendum Demoſtheni fateri adiguntur ipſi Græci a pag. 109. ad 112.
Circumſtantiæ, ſive Adjuncta. 468. Quomodo ex illis amplificetur oratio. ibid. Ex illis frequenter ſumuntur Exordia Orationum, & Concluſiones Epigrammatum. Ibid.
Civilis, & Militaris Virtutis Exemplar proponit poetica Allegoria. 59
Claudiani commendatio. 62
Clementis Noni Pont.Max. Præconium a p.372. ad 377.
Clemente in Decimo Pont. Max. Sacrum Imperium recuſante Heroicam Magnanimitatem humillima objurgatione dignam fuiſſe. a pag. 178. ad 183 In eodem redivivæ Dotes Heroicorum Pontificum a pag.183. ad 189.
Clemens X I. Pont. Max. Heroicam exhibuit Fortitudinem in Romano Terræmotu, contra quem mirificè pugnavit. 124. Inter eximias illius Dotes indicantur ſolummodo illæ, quæ nexum habent cum Vita S. Roſæ illi conſecrata. *Initio Volum.*
Cocolatam Angelus Cuſtos defert S. Roſæ de S. Maria. 12
Conceſſio. 477
Concionibus In Sacris nonnulli ſtrenuè peccant. 101. Conciones Poetarum oſtendunt, an Scriptor Judicio polleat. Ibid.
Conciſa, & Periodica Oratio. 481
Conduplicatio. 473
Confidentia ab Oratore ſimulanda. 480
Conjugata. 466
Conjunctionibus crebris dictio aſſurgit. 479
Conſequentia. 468
Contradicentia. 467
Contrapoſitum. 475
Contraria. 467
Converſio. 473
Correctio. 476
Critici Poetarum Cenſores Satyrâ perſtringuntur Perſii Stylo a pag.267. ad 276.
Cultus Orationis videri non debet quæſitus, ſed innatus. 480
Currentis in ſtadio, & juſſi flectere curſum poſtquam ad metam pervenit, comparatio cum periodo nimis in longum producta. 481

D

DEcori ratio ſemper habenda. 48
Definitio. 469. Definitiones conglobatæ. ibid. Definitio uſurpanda identidem pro definito, ut oratio ſit magnifica. 479
Deiparæ dolore confectæ occurſus Filio ſuo Calvariam aſcendenti. 385. & ſeq. Eidem ab Angelo ſalutatæ præludium Pacis hominibus afferenti Carmen Ovidii Stylo a pag.390.ad 394. Ipſi Auguſtiſsimæ Virgini Bethleem proficiſcenti Protrepticon a pag.394. ad 398. Eidem Templum adeunti, quaſi purgatione indigeret. 398. uſque ad 402. Deiparæ amorem eſſe Gaudii fontem oſtenditur Carmine Ovidii Stylo. 402
Demonſtrativum genus. 464
Demoſtheni anteferendum Ciceronem ipſi Græci fateri adiguntur a pag.109. ad 112.
Deſponſatio S.Roſæ de S.Maria cum Chriſto Domino. 8
Deſcriptio petenda a partium diſtributione. 466
Dianæ in Algido cultæ inſultatur. 75
Disjunctio. 474
Diſpoſitio nulla in quorumdam declamationibus. 55
Diſsimilitudo, & Similitudo. 467
Diſſolutio. 474
Diſtributio partium Locus Topicus. Quomodo ab ea naſcatur amplificatio, & deſcriptio rerum. 466. Diſtributio figura. 478
Dityrambus gaudet ſtrepitu vocum. 479
Dominationi præſtat Sapientia, Gloriâ, Jucunditate, ac Honeſtate a pag.81. ad 88. Regibus Ditiores, ac Potentiores ſunt ſapientes viri a pag.88. uſque ad 91.
Dubitatio. 476
Dux Belli Doctrinis omnibus exornandus eſt. 244. Illis exculti fuerunt Veterum celeberrimi. Ibid.

E

ECcleſiæ Occidentalis, & Orientalis nomen exhorruit S.Gregorius Theologus. 157
Elocutio. 465
Emphaſis. 477
Enargia eſt unus ex fontibus argutiarum. 482
Encyclopœdia in eximio Poeta requiritur. 59. Neceſſaria in Principe, vel in Sapientibus ipſius Moderatoribus. 89. Encyclopœdiam neceſſariam eſſe, nec excellere quemquam Oratoria poſſe, vel Poetica Facultate, qui fontes non exhauſerit omnes humanæ ſimul, ac Divinæ Scientiæ: neque numeris omnibus abſolutum eſſe Philoſophum, aut Theologum, qui Arte quoque dicendi non emineat a pag.103. ad 109. Encyclopædia, Carmen Didaſcalicum oſtendens eximium eſſe Philoſophum, aut Theologum nullum poſſe, qui non ſit præclarus quoque Rhetor: aut Oratorem, aut Poetam numeris omnibus abſolutum, qui non præſtet humanis omnibus, Diviniſque Doctrinis a pag.231. ad 249.
Energia arguta. 482
Entymema. 476
Epicherema. Ibid.
Epicurus tantùm ex veteribus inquinavit Stylum. 236
Epigrammata optima Epicheremate comprehendi debent. 63
Epiphonema. 478
Epiteta V. Appoſita.
Equorum, quos D.Joannes vidit in Apocalypſi, explicatio. 161
Errores, in quos lapſi ſunt Poetæ ſecuti deteriores Philoſophos. 246
Eſtenſis Tiburtinæ Villæ cum Parnaſo Comparatio. 130
Ethopeja. 477
Etymologia, ſeu notatio nominis. 466
Exclamatio. 478
Execratio. 478
Exemplum. 476
Extemporariam poeſim quinam exagitent. 62. culpanda ne ſit. Ibid.

F

FIguræ adhibendæ a Philoſophis, ac Theologis diſputantibus. 235. Figuræ Verborum, & Rerum quid ſint, & in quo differant a Tropis.473. Quot modis fiant Figuræ Verborum.Ibid. Et Rerum, ſive Sententiarum. 475
Fœminas immeritò excludit Ariſtoteles ab exercitio Fortitudinis. 121
Fontes argumentorum intrinſeci, & extrinſeci. 465. & 469
Forma & Genus. 467
Formulas tantùm qui mutuantur a Tullio, anſam dederunt criminationi de illo tanquam prolixo. 57. Non hæ ſolummodo excerpendæ a Virgilio. 63. Novæ per illius veſtigia inveniendæ prudenti uſu modeſtæ Metaphoræ. Ibid. Solis Formulis ſuperbiunt aliqui, quorum carmina, ſi vernaculo ſermone donentur, nihil in iis invenietur præter phaleras alienorum verborum. Ibid.
Fortitudo heroica in ipſis quoque Terræmotibus fulgere poteſt. 119. & ſeq. Quot hominum claſsibus fortitudo negatur ab Ariſtotele. 121. Manifeſtum eſt exercitam ipſam fuiſſe a Sanctis Martyribus contra Philoſophi principia. 122. Et ab aliis, qui contra ſe ipſos pugnant. 123.
Frigida Dictio. 479

G

GEnera cauſarum. 464
Genus & Forma. 467
Georgica Virgilii cur elegantiora, quàm Æneis. 63. Unde ejus Elegantia naſcatur. Ibid.
Gradatio. 474
Grandis & magnifica dictio quæ ſit. 479
Græclæ totius votum excutiendi Turcarum jugum. 152
Græcorum Collegii Alumni præclarè meriti de Apoſtolica Sede. 161. Græcum Ritum quot Regiones ſequantur. 162
Grammaticorum, & quorumdam Oratorum conatus inutiles. 79. Grammaticam Artem ob eadem nomina, propter quæ deprimi ſolet, extollendam laudibus eſſe. 129. & ſeq.
D.Gregorium Theologum perpetui Latinos inter, & Græcos, fœderis Conciliatorem eſſe. 155. & ſeq. Multiplici de cauſa S.Gregorium Theologum in Vaticano Templo tumulari voluiſſe. 156. & ſeq. Ipſe fuit Romæ amantiſsi-

Digitized by Google

tiſſimus. 157. Infallibilem cenſuit S.Damaſi Definitionem. Ibid. Synodos rarò expedire putavit. Illis præſtare credidit Apoſtolicam Sedem. Ibid. Innumera in illo collata Dona Vaticanæ Baſilicæ gratulamur. 158. & ſeq. Cæleſtis Amicitiæ Prodigium Gregorius Theologus, & Baſilius Magnus. 159. & ſeq. Idem D.Gregorius Conſtantinopolis Antiſtes præcipuus recuperandæ illius Urbis Chriſtianis Principibus futurus eſt Auſpex. 160. & ſeq.
Gregorium XIII.Pont.Max.Inſtauratorem Mundi potuiſſe cenſeri a pag.169. ad 178.

H

HÆretici humaniorum lepore Literarum ſe in animos inſinuarunt. 238. Iidem contemnunt Stylum, quem Scholaſticum dicimus. Ibid.
Hector ab Ariſtotele propoſitus tanquam Heroum Exemplar caruiſſet vera Fortitudine ex Philoſophi Principiis. 121
Herculis ærumnæ deſcribuntur, a pag. 292. ad 295.
D.Hermenegildus Rex Hiſpaniarum, & Martyr celebratus Carmine Ovidii Stylo a p.406. uſque ad 414.
Hippocrates nocuit affirmando Artem longam eſſe, brevem Vitam. 76
Horatii, aliorumque Satyræ Scriptorum, Præconium. 65. Eorumque Styli diverſitas. ibid. Horatii Stylus in Sermonibus expreſſus a pag. 235. ad 241.
Hoſtes aliquando magis proſunt, quàm Amici. 72.
Hiperbaton. 472
Hiperbole. 473
Hypotypoſis. 477

I

JAnſeniſmi Deſcriptio. 434
Idea Carminis Heroici quenam ſit a pag. 58. ad 63.
Innocentii XI. Gentilitia Inſignia ſpondent Polonorum de Turcis Victoriam. 356. & ſeq. Ejus laudes. Ibid.
Innocentii XII. Pont. Max. eximiarum Virtutum multiplex nexus cum Polemica Hiſtoria Pontificia Concilii Chalcedonenſis illi conſecrata a pag.208. ad 210. Cauſæ,propter quas ejuſdem dotes exigunt Nuncupationem Tractatuum de Præſtantia, & Infallibilitate Pontificia. 210. & ſeq.
Interrogatio. 476
Interruptio. 477
Inventio Poetica intra quos fines contineri debeat. 60. Inventio una ex partibus Rhetoricæ. 464.
D.Joannis Dotes erutæ ex eo, quod cæteri Apoſtoli putaverint illum non moriturum rationibus octodecim. 146. & ſeq. Ejuſdem ſupra Chriſti Domini pectus recumbentis cæleſte Somnium repræſentatum Virgilii Stylo. 403. & ſeq.
Joannem Willhelmum Ignatium Neoburgi, Juliæ, Cliviæ, Montium Principem &c. nunc Sereniſſimum Comitem Palatinum Rheni, ſatis celebrari non poſſe a pag.204. ad 208.
Iride coronatus Princeps, ſive in Iridem, quæ prope Vaticanum effulſit fauſtiſſima die, qua Clemens Nonus coronatus eſt, Carmen Extemporale traditum conſequenti die SS.Pontifici a pag.370. ad 377.
Ironia tropus. 472. Ironia figura. 477.
Italicum, & Latinum Carmen de Romana Supplicatione, & Pace Turcis negata a Polonis a pag.310 ad 339.
Judicii ſumma laus in egregio Poeta requiritur. 59. Exempla quorumdam, qui ea deſtituti videntur. 60. Eo præ omnibus ornati Virgilius, & Horatius. Ibid. Eniteſcit in ipſis Epiſodiis Odarum, & in luſibus Epigrammatum. Ibid. Illo infœliciter deſtituuntur plurimi Carminum Farctores. 60. Præſertim in Inventione, & Collocatione rerum, & perſonarum, & in Concionibus. Et in ſelectu laudum Heroibus tribuendarum. Ibid.
Juvenalis, aliorumque Satyræ Scriptorum Præconium. 65. Illius imitatio. 261. & ſeq.
Juvenum quorumdam inertiſsima vita. 78. Juvenis improbi antemeridianæ curæ Satyrâ exagitantur Horatii Stylo a pag. 249. ad 261.
Juvenis Sanctiſsimi Vitæ Deſcriptio. 407

L

LApidatores exagitantur Satyrâ Stylo Juvenalis a pag.261. ad 267.
Laudatio ſui ipſius quando excuſari poteſt. 69.
Laudes peculiares, & propriæ tribuendæ ſunt Heroibus in Natalitiis, in aditu Principatus, in victoriis &c. 60
S.Laurentius Martyrum Phœnix honore proſequitur S.Stephanum. 149
Librorum immenſa vis a quibuſdam perſcripta. 77.
Licentia. 477
Literarum in Divinarum Explicatione Paradoxa proponi poſſunt, atque hoc præſtandum ab Interpretantibus Iſaiæ Prædictiones. 134. & ſeq.
Lucani Laus, & Petronii. 61. Lucani Stylus expreſſus a pag.340. ad 344.
Lucretii Stylus exhibitus a pag.231. ad 235.
Lunam in tectam Nubibus, dum feſti exhibentur ignes in honorem nati Galliarum Delphini, Carmen Extemporale dictum conſequenti mane a pag.364. ad 369.

M

MAgnifica & Grandis Dictio. 479
Mahometis de Secta quamprimùm delenda Præſagia. 161
Martyres, aliique Sancti Viri Fortitudine inclyti, fruſtra repugnante Philoſopho. 122. & ſeq.
Maximi Camilli Cardinalis Virtutum Concentus cum Tragœdia P.Stephani Tuccii, quæ inſcribitur *Chriſtus Judex*, ipſi proinde tredecim ex cauſis conſecranda. 214. Ejus Dotes. 231. & 235.
Memoria. 465
Metalepſis. 472
Metaphora. 470. Quatuor ejus genera. Ibid. Metaphora decorum cuſtodiat. 478. Sæpe miſcenda perſpicuis verbis. Ibid. Unde petendæ metaphoræ. Ibid. Metaphoram inter, & Similitudinem, diſcrimen. 479
Metonymia. 471

Mili-

Digitized by Google

Militaris, & Civilis Virtutis Exemplar proponit Poetica Allegoria. 59
Miracula impetrata a S.Roſa de S. Maria. 27. & ſeq.
Mores hominum pingendi a Rhetore. 59
Morum Philoſophiæ gloria plurimùm augetur ab argumentis, quibus illam cum Ariſtotele impetunt Sapientiſſimi Viri a pag.112.ad 119. Inutiles Utilibus Scientiis, qualis hæc eſt, aliqui præferunt. 112. Sapientes appellant Inutilium Profeſſores. Ibid. Fœlices illos exiſtimant. 113. Sed peſſimi ſunt Sapientum Errores. Ibid. Sapientes potius dicti Morales Philoſophi. Ibidem. Non eſt illuſtrius id, quod alia Philoſophia contemplatur. Ibid. Plurima Theologi mutuantur a Morali. Inepta erat Ethnicorum Theologia. Ibid. Morales aſſequuti cognitionem Dei. Ibid. Impugnatur Seneca extollens inutiles Scientias. Ibid. Injuſtè Moralis comparatur Servo, aut Oeconomo. 114. Summum inter hæc diſcrimen. ibid. Etiam noſtra Scientia contemplatur. Ibid. Aliæ quoque Scientiæ diriguntur ad opus implendum. Et hoc inquirunt earum Profeſſores. Ibid. Princeps, & non Oeconomus, exhibetur a Morum Philoſophia. 115.
Morali Scientiæ traditæ ab Ariſtotele quid deeſt, 116.
Mors obita ſanctiſſimè a S.Roſa de S.Maria. 21

N

Negando amplificari poteſt, ſicut affirmando. 480
Nigidii Grammatici ſuam Artem celebrantis Oratio. 131
Notatio Nominis, ſive ethimologia. 466
Numerus Oratorius. 480

O

O, atque A. frequentia in vocibus reddunt Orationem Magnificam. 480
Obſcura verba, aut exaggerata, & poetica in Oratione ſeligentium labes. 49
Occupatio. 476
Odarum Epiſodia inſeri non debent imprudenter. 60
Olivæ Joannis Pauli Præpoſiti Generalis Societatis Jeſu Virtutum nexus cum Epiſtolis P.Bernardini Stephonii eidem conſecratis a p.216. uſque ad 220.
Onomatopeja. 471
Orandi ſtudium perpetuum in S.Roſa de S.Maria. 9
Oratio conciſa, & periodica. 481. Urbana, & arguta. 482. Oratorius numerus. 480. Oratores Sacri deſtitui non debent cognitione Doctrinarum omnium. 244
Oratoria Paradoxa a pag.33. uſque ad 220.
Oratori perfecto neceſſaria eſt Encyclopœdia a pag.103. ad 107.
Ovidii Præconium. 60. Defenditur ab Impugnatoribus. Expedit illum conſectari in exprimendis Affectibus, & in aliis rebus. Ingenioſæ illius Animadverſiones. 61

P

Pallavicini Sfortiæ Cardinalis præconium. 108. Eidem eximio Rhetori, ac Theologo, præcipuè dedicandum Volumen pertractans de Juriſprudentia. 212. & ſeq.
Pamphagi Gigantis in Algidum Montem Metamorphoſis. 74
Pamphilio Benedicto Excellentiſſimo Principi, & nunc S.R.E. Cardinali, Nuncupatio Carminis in Iridem. 370. & ſeq. Eximiæ illius Dotes. Ibid.
Parentheſis, ſive Interruptio. 477
Partes Rhetoricæ. 464
Partium Diſtributio. 466. Ex illa oritur Deſcriptio, & Amplificatio. Ibid.
Paſquillus magnos tantùm Viros aggreditur. 68.
Paradoxa Oratoria a pag.33. uſque ad 220. Paradoxa quid ſint, & quatuor illorum Claſſes, & ſingularum Exempla.33. & ſeq. Eadem proponi poſſunt etiam in tractatione Ethicæ, ac Politicæ. 35. Et in Sacris Sermonibus. 36. Et in Polemica Theologia. Ibid. Paradoxum Orationis Argumentum ſuggerit primam Acuminum ſpeciem. 40. Ejus Exempla in Tullio. 41. Paradoxum eſt, quod Iſaias agat in ſingulis Capitibus de Chriſto Domino. 135. Paradoxa Hiſtorica quò ad ipſius Iſaiæ Vitam. 136.
Patriarchæ Conſtantinopolitani nuper profeſſi Catholicam Fidem. 156
Periodus quomodo conflanda. 481
Periphraſis. 472
Permiſſio. 478
Perſii, aliorumque Satyræ Scriptorum Præconium. 65. Ejus imitatio. 267. & ſeq.
Philippicæ Secundæ Prooemium plurimas includit Sententias indirectas. 42. Innumeræ detegi poſſunt in Tullio. 43
Philoſophandum eſt poeticè, ut verè, ac optimè philoſophemur a pag.91. ad 97. Philoſophia, ſi poetica ſit, jucundior erit, quàm ipſa Poeſis. 95. Philoſophiæ Magiſtrum, cui vacatio quotidiana non indulgetur, minoribus curis urgeri, quàm Rhetoricæ Inſtitutorem ſemel tantùm quotidie docentem, oſtenditur a pag.97. ad 103.
Philoſophus, ac Theologus numeris omnibus abſolutus eſſe nequit, ſi deſtituatur Encyclopœdiâ a p.107.ad 109. Philoſophiæ Morum gloria plurimùm augetur ab argumentis, quibus eamdem impetunt Sapientiſſimi Viri a pag.112 ad 119.
S.Pii Quinti Actiacam Victoriam celebrantis Concio. 350
Platonis mira facundia, & elegantia. 235
Poetarum, & Philoſophorum quorumdam noxius labor. 79. Poeticè philoſophandum eſt, ut verè, ac optimè philoſophemur a pag.91. ad 97. Poetæ fingere auſi non ſunt ea, quæ re ipſa contigerunt. 94. Poetæ perfecto neceſſaria eſt Encyclopœdia a pag. 103. ad 107. Poeta niſi omnibus Doctrinis excultus ſit, mutuari prudenter ab aliis earum notitiam nequit. 106
Poliſindeton. 474
Polonorum de Moſchis Triumphus Virgilii Stylo a pag.300. ad 305. In Romanam Supplicationem inſtitutam a Clemente X. & Pacem

cem Turcis negatam a Polonis, Latinum, & Italicum Carmen. a pag 310. ad 339 Paræneſis ad Polonos, ut bellum urgeant in Turcas, Lucani Stylo a pag.340 ad 344. In Vexillum Imperatoris Turcarum a Joanne Sobiesko Polonorum Exercituum Duce conſecratum Sanctiſſimo Pontifici Clementi Decimo Carmen Statii Stylo a pag.344. ad 354. In Victoriam Polonorum de Turcis relatam fauſtiſſima die, qua renuntiatus eſt SS.Pontifex Innocentius XI. 353. ad 361.

Pompeii Magni præconium. 105

Potentiæ argumenta in ſpeciem facta contra Sapientiam. 82. Solvuntur. 83. & ſeq. Sapientibus exhibitus cultus ab ipſis Regibus. 83. & ſeq.

Principes plerumque ſua bona ignorant. 89. Princeps, & non Oeconomus, exhibetur a Morum Philoſophia. 115

Proba Falconia præſtaret cæteris Vatibus, ſi ſatis eſſet ad poeticam laudem depopulari Virgilii flores. 63

Prolixitatis amica noſtra Ætas eam damnat in Oratoribus. 51. Diutiſſimè Veteres perorarunt. Ibid.

Propertii Stylus expreſſus. 289 & ſeq.

Propheticus Spiritus S.Roſæ de S.Maria. 20

Proſopopæja. 476

Prudentia Ciceronis in ſelectu Acuminum. 47. Ineptiæ quorumdam ea quærentium. Ibid.

Prudentia nulla Improbis ineſt, & ne ipſa quidem Aſtutia concedenda eſt Everſori Veræ Politicæ. 125. & ſeq.

Pſeudopolitici Dementiæ a pag.117. uſq. ad 119. Cenſeri non poteſt Prudens. 126. Nequivit in eo eſſe Politica. Et Prudentia ſaltem ſecundùm quid. Ibid. Et falſa, & abuſivè dicta. Ibid. Et Vafritia. Ibid. Imprudentem, & Ineptum illum fuiſſe multipliciter demonſtratur. 127. Vel nullas, vel deridendas affert rationes. Ibid. Pueriles illius Paralogiſmi. Ibid. Stolida ejus Præſumptio de univerſali Hominum Stoliditate. Ibid. Pugna inter ſe illorum, quæ affirmat. Ineptiſſima, quæ ſeligit, Exempla. Damna, quæ affert habitus ſimulandi ab illo celebratus tanquam utiliſſimus. Ibid. Noxium fuiſſe uni ex ejus Heroibus oſtenditur. Ibid. Hic nihil fraude fuit adeptus. 128. Nec eadem profuit alteri ejus Heroi. ibid. Quàm ſtolidè hic dicatur peccaſſe tantùm ſemel contra Politicam. Ibid. Tertio ejus Heroi perniciosiſſima fuit Simulatio. Ibid. Commune odium contra ſe concitatum ab illo. Idem furit ſperans ab Italis tolerandas barbaras Turcarum imperandi Leges. Ibid.

R.

RAſpono in Cæſare Cardinali pugnantium cum ſingularum victoria Virtutum triumphum fulſiſſe a pag 200. ad 204.

Regulæ quædam ſervandæ pro ſtatuendis Paradoxis. 137

Repetitio, & Numerus Oratorius non officit brevitati. 56

Reſponſio. 476

Repugnantia. 468

Rhetoricæ Inſtitutor ſemel tantùm quotidie docens pluribus curis urgetur, quàm Philoſophiæ. cui vacatio quotidiana non indulgetur. 97. Quæ a Rhetore præſtanda ſint. Ibid. De rebus omnibus debet Orator eleganter, & copiosè poſſe diſſerere. 98. Et de iis, quæ docuerunt Plato, Ariſtoteles, & Sancti Patres. Ibid. Callere debet Politicam Scientiam, ut ipſos quoque Poetas interpretetur 99. Exempla Allegoriæ, quam explicare nequibit Rhetor ſine arcana Politicæ Scientia. 100. Aptè judicare de ipſis Poetis non poterit, qui omnibus non ſit literis excultus. 100. Et dare Præcepta de Oratione, Carmine, & Hiſtoria condenda. 101. Et de Sacris Concionibus, in quibus nonnulli ſtrenuè peccant. 101. Et de variis Poematum ſpeciebus. Ibid. Niſi Rhetor ipſe perfectè ſcribat, non audebit vera Præcepta tradere. Ibid. Quàm varia ſcribenda ſint a Rhetoricæ Iuſtitutore. 102. Diſcrimen inter ipſum, & Scriptores alios. Ibid.

Rhetoricæ ornamenta, quæ deceant Philoſophum, ac Theologum. 235. Ejuſdem Rhetoricæ cum Theologia fœderatæ præclarum Exemplar in Sfortia Cardinali Pallavicino. 236. & ſeq.

Ridicula ingenioſè dicta Oratorem aliquando decent. 46

S.Roſæ a S.Maria Vita a pag. 1. uſque ad 28.

S

SAnctus unus quo pacto præferri alteri queat. 153. Sanctorum Cæleſtes Chori diverſi deſcribuntur. 404

Sapientiam ad comparandam brevis non eſt humana Vita, ſi prudenter impendatur pag.76. ad 81. Sapientiæ Studium quomodo excolendum. 80. Sapientiam Dominationi præſtare Gloria, Jucunditate, Honeſtate, Divitiis, ac Potentia oſtenditur a pag.81. ad 91. Afferuntur Argumenta Potentiæ contra Sapientiam. 82. Solvuntur argumenta hæc. 83. Non qualiſcumque, ſed ſumma Sapientia ſummæ Potentiæ præfertur. ibid. Sapientia eſt Finis homini ſtatutus a Natura, Potentia Medium. ibid. Rex eſt Servus publicæ Fœlicitatis. ibid. Princeps Sapientiâ deſtitutus quo in pretio ſit. ibid. Cultus exhibitus Sapientibus. ibid. Ab ipſis Regibus, ut ab Alexandro, ab Artaxerſe, ab Ægypti Regibus, a Dionyſio, a Pompejo, a Trajano, a Cæſare. ibid. & 84. Poſthuma Gloria major Sapientum, quàm Regum. ibid. Veri Sapientes Regibus non adulantur. Magiſtri ſunt Principum. Ab illis timentur. Perpetuæ Infamiæ metus incuſſus Regibus a Sapientibus. ibid. Sapientes gloriam non venantur ab umbratili Dominationis imagine. 85. Regum curæ moleſtiſſimæ, jucundiſſimæ Sapientum. Scire omnes optant, non omnes imperare. ibid. Falsò dictum fuit, quod omnes vellent eſſe, quod Cæſar. ibid. Multi recuſaverunt Imperium, Sapientiam nemo. 86. Impii quoque Principes Imperii pertæſi. ibid. Principes, qui Sapientiam Potentiæ prætulerunt. ibid. Cur Jupiter exoſus Palladem. ibid. Deus O.M. Sapientiam ſemper, non ſemper Dominationem exercuit. Ibid. An Principes ſimiles Divinitati? Tunc ſolùm, quando Sapientes. Ibid. Plerumque ſimiles belluis. 87. Facilius ſibi imperant Sapientes, quàm Reges. ibid. Illuſtriorem in animo Divinitatis Imaginem pingit Sapientia, quàm Potentia. Ibid. Quæ obiici Sapientibus conſueverunt, præſertim Pau-

Digitized by Google

Paupertas. 88. Cur Literati adſint Divitum Januis. Ibid. Quid a Sapientibus Reges inquirant. Ibid. Cur Principes aliqui contemnant Sapientes. Ibid. Pluribus indigent Reges, quàm Sapientes. Ibid. Præſertim indigent Sapientibus ipſis. 89. Encyclopœdia neceſſaria in Principe, vel in Sapientibus ipſius Moderatoribus. Ibid. Sua bona plerumque Principes ignorant. ibid. Quæ ſit Regum Potentia. 90. Quàm minimum ſui arbitrium habeant Principes &c. Ibid.

Satyra egregie commendat, & Laudationi antecellit in genere exornativo. 64. Ejus Definitiones. Ibid. Indoles illuſtrior, quàm Panegyrici. Ibid. Laudat Scriptorem ſuum. Oſtendit illum alienum eſſe a vitiis, quæ vexat. Laus Veterum Satyræ Auctorum. Et Sacrorum Oratorum, qui contra crimina invehuntur. 65. Ipſa quoque livida Satyra Scriptorem ſuum evehit, ſaltem apud Vulgum, apud quem jacent liberales Laudatores. 66. Cenſentur a multis egregii Policici, qui omnia ſugillant. Præſertim qui Acta Principum perperam interpretantur. 66. Satyrici Vulgo adulantur; ideoque laudant plures, quàm qui Panegyricos texunt. Et vehementius hoc præſtant 67. Etiam qui laudes merentur, iis magis, quàm a Panegyrico, illuſtrantur a Satyra per locum a contrario. 67. Illo uſi veteres Panegyrici. 68. Liquet de præſtantia illorum, in quos cuditur Satyra. Paſquillus magnos tantùm Viros aggreditur. Satyra celebrat identidem illos, in quos inſurgit. Ibid. Nihil obeſt, quod hoc præſtet ironicè. Etiam cum atrociter ſævit in aliquos, eoſdem laudat. ibid. Sive falſa, ſive etiam vera, crimina adoriatur. 68. Si falſa, omnes inſurgunt contra Satyricum, & exhibetur neceſſitas calumniæ propulſandæ ſuas dotes detegendo. Si declamat contra vera crimina, jucunda ſceleſtis accidit Satyra. Sunt, qui flagrant deſiderio Infamiæ, & jactant ſua dedecora. 69. Dotes veterum Satyricorum exprimendæ. 70. Satyrographus magis ornatur a Satyra, quàm Scriptor Panegyrici a Laudatione. 70. Quàm arduum ſit Satyram ſcribere. 71. Laudat Satyra, quia excitat ad laudes promerendas. Præſertim Reges, quos Adulatores in præceps agunt. Ideo illam amplexæ nobiles omnes Rationes. Sapientum de illa Præconium. ibid. Ipſius Naturæ de illa Judicium. Et Dei O.M. jubentis, ut contra ſe unuſquiſque Satyram formet. 72. Noxia plerumque laus, utilis objurgatio. Magis proſunt Hoſtes, quàm Amici. Satyra fœlicius aſſequitur Finem, ob quem Virtus commendanda eſt. ibid. Anſa nobis oblata ſcribendæ geminæ Proluſionis in laudem Satyræ. 73

Scaligeri Julii Cæſaris Proluſionem ab eo improbatam audientis deſcriptio. 59

Scientiæ inutiles num præferendæ utilibus. 112

Senecæ cum Tullio comparatio. 54. Seneca extollens Inutiles Scientias impugnatur. 113

Sententiæ, quæ conſtituant ſecundam Argutiarum ſpeciem. 41. Vitia eas coacervantium. 42. Indirectæ jucundiores directis. ibid.

Somnium Cæleſte D. Joannis Evangeliſtæ ſupra Chriſti Domini pectus recumbentis. 403. & ſeq.

Statii Præconium. 62. Immeritò carpuntur Extemporalia ejus Poemata. Quænam dotes ab illo petendæ. 62. Statii Stylus expreſſus a pag. 292. ad 295. & frequenter alibi.

S. Stephanum omnibus Fidei Teſtibus anteferendum eſſe, quia omnium primus pro Chriſto Domino Mortem obiverit. 148 & ſeq.

Stephonii P. Bernardini Epiſtolarum Præconium. 216. & ſeq.

Stradæ Famiani laus. 58

Stridonii V. P. Martini Prædictio de quamprimùm evertenda Secta Turcarum. 152

Studia nonnullorum inepta. 78

Styli acuti expenſio. 48. & ſeq. Quæ in illo a multis peccantur. Ibid. Labes obſcura verba ſeligentium. 49. Aut exaggerata, & poetica in Oratione. Ibid. In quo collocata ſit argutia, & lepor Tulliani Styli. In Translatis: in Similitudinibus: in Energia: in Enargia: in Hyperbole. 50. & ſeq. Stylum cur inquinaverint Philoſophi aliqui. 96

Suavis Petri nequiſſimæ artes. 236

Subjectio. 476

Suppoſitiones expendendo factas a Divina Sapientia proferri poſſunt nova, & validiſſima Argumenta contra Veræ Fidei Hoſtes. 135

Suſtentatio. 477

Syllogiſmus. 470

Synecdoche tropus. ibid.

Synecdoche figura. 475

Synæcioſis. Ibid.

Synodos raró expedire putavit S. Gregorius Theologus, & illis prætulit Apoſtolicam Sedem. 157

Synonimia. 474

T

Terræmotibus etiam in ipſis fulgere poteſt heroica Fortitudo a pag. 119. ad 125.

Theologorum quorumdam inane Studium. 79.

Theologus numeris omnibus abſolutus eſſe nequit, ſi careat Encyclopœdiâ. 107. ad 109.

S. Thomas præclarè definit Fortitudinem. 122

Ticini ferocientis contra B. Aloyſium deſcriptio. 288

Traductio. 474

Tragœdiam ut inconnexam aliqui Philoſophi pingunt rerum Naturam. 93

Tropi. 470

Tuccii P. Stephani Tragœdię, quæ inſcribitur *Chriſtus Judex*, Præconium. 214

Tullius V. Cicero.

Tyberis Concio inſultantis Annibali, cui D. Petrum præfert. 348

V

Varronis Oratio in Senatu Muſarum Grammaticæ Artis præſtantiam extollentis. 133

Virgilii tantùm Imitatio quærenda ne ſit in brevibus Carminibus. 58. Ejus univerſalis Doctrina. Præclara Allegoria. Summi Judicii laus. 59. Præcipuè fulgens in Concionibus. 60. Et in Selectione laudum Heroi tribuendarum. Ibid. Ejus Styli mira elegantia. Cur major in Georgicis. 63. Virgilii Stylus in Didaſcalicis Carminibus expreſſus a pag. 243. ad 249.

Vita humana, ſi prudenter impendatur, brevis non

Digitized by Google

non eſt ad Sapientiam comparandam a pag.76 ad 81.
Vitæ deſcriptio. 415
Urbanitates cur appellatę ſint Argutiæ. 46. Urbana, & arguta Oratio. 482

Z

Zeuſin imitari expedit in pingenda rerum natura. 92.

			Errata	Corrige
In Indice Capitum			Cap. IV. Roſa	Roſæ
Vitæ S. Roſæ.			Cap. VI Roſæ	Roſa
Pag. 57	col. 1	lin. 13	Solet eſſe, quædam	Solet eſſe quædam
68	2	11	Cyrcæis	Circæis
Poſt 69.			80	70.
111	1	26	ſed ad ipſa cauſa	ſed ab ipſa cauſa
123	1	12	eruenta	cruenta
128	1	25	iidem	iiſdem
173	2	11	irogando	erogando
216	1	34	gloriati	gloriari
227	1	24	Amora	Amore
244		31	increbuit	increbruit
274		5	nunc	hunc
293		4	Phaeto	Phaeton
293		47	teda	tæda
306		22	Maſſica	Maſſica
313		12	guarrieri	guerrieri
352		6	Pax	Paz
357		33	in ulti	inulti
367		37	Æmam	Ætnam
373		4. ante fin.	aures	aurei
378		19	durnos	dumos
400		32	Dein	dein
407		3	Di em	Ditem
451		3. ante fin.	Deæ,	Deæ
455		11	Fn	En
455		15	faucia	ſaucia
455		26	volantes.	volantes
456		43	inundat,	inundat
470		3. ante fin.	præcedenę	præcedunt

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google